UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Abdiae Babyloniae Primi Episcopi Ab Apostolis Constitvti, de historia certaminis Apostolici, libri decem

Abdias <Babylonius>

Coloniae, 1576

VD16 B 5299

urn:nbn:de:hbz:466:1-45288

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

memoria do oblivio d exhibu
lices adm non est c monitionis
tacite fuissent pulchris exemplis fortasse abstinuisset
et calefecisset. Dummodo ego libenter scribo opinionem
ibus, et inopia epistolarum tuarum secundum intellectu
et me admonere (et libertim incedere volo tuo
arrogare) supremere nolo. Utilitatem quam lar
ne. Nec na memoria atque affectus sine peritia solum
et Dicte quod nisi iace pro petibus et pu
tuziam nisi nihil solicitat. Preterea nicen
M et nunquam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2568.

K
1
4 L

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ABDIAE

BABYLONIÆ PRIMI EPISCOPI, AB APOSTOLIS CONSTITVTI,

de historia certaminis Apostolici, libri decem, Iulio Africano interprete.

ITEM:

Ioachimi Perionij de rebus gestis & vitis Apostolorum liber.

Quibus adiunximus propter argumenti affinitatem vitas BB. Matthiæ Apostoli, atque Marci Euangelistæ, ex scrinijs Notariorum primitiuæ Ecclesiæ depromptas.

Societatis Iesu Paderborna

Cum rerum & verborum Indice luculento.

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
Anno M. D. LXXVI.
Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Apostolorum series, quorum vitæ hoc opusculo describuntur.

Petrus	fol.	4	&	367.
Paulus		39	&	402.
Andreas		52	&	469.
Iacobus, Ioānes fratres		118	&	479.
Ioannes Apostolus & Euangelista.		133	&	491.
Iacobus frater Dñi, Iudas Tadæus	fratres	187	&	582.
Matthæus Apostolus & Euangelista.		225	&	515.
Bartholomæus		253	&	532.
Thomas		270	&	546.
Philippus		321	&	568.
Matthias		326.		
Marcus Euangelista		347.		

CANDIDIS ET BENEVOLIS LECTORIbus, Maternus Cholinus. S. P. D.

DVplicem statuo historiam, sacram nimirũ & prophanam: & vtriusq; lectionẽ vtilẽ cum primis & iucũdã quidem iudico: sed illam tamen hac necessariã magis. Quẽadmodum enim anima corpore præstantior est & habetur meritò sic etiam illa huic optimo iure præferenda, hęc quidem politiæ vitæq; humanæ rectè instituendæ ad virtutem formandæ exempla cõmonstrat & prętęritarum præclarè gestarum rerum gratam memoriam suggerit: at illa præter eam voluptatẽ, quam cum hac communem habet, perpetuæ etiam vitæ adipiscendæ regulam nobis exhibet, vestigiaq; ea nobis exhibet, quibus insistendum sit ad animæ vitam conseruandam & consequendam, hæc casus humanos, regnorum, vrbiumque euersiones, rerum publicarum mutationes copiarumque multarum interneciones & deletiones, victorias, triumphos refricat: at illa viam commonstrat, qua nunquam interituræ cælestis Reip. consortes

& ciues fiamus: nec intereamus, sed perpe-
tua aspectus altilsimi fruitione foueamur. Summa, plurimæ sunt rationes, ob quas meritò sacræ historiæ prophana cedat, quibus recensendis iustam epistolæ metam excederem: ideoque lubens easdē prętereo. Proinde vobis cùm pietatis, tùm historiæ studiosis inseruire gratificariq́ue volens, libuit hac enchiridij forma, quæ hactenus non extarunt, diuersæ ætatis hosce authores historiæ apostolicæ, vetustissimum nimirum Abdiam Babyloniæ Episcopum, atque recentiorem Ioachimū Perionium coniunctim edere, ratus hanc & connexionem & formam cum primis gratam vobis fore, vsuiq́ue quotidiano ac commodam. Attexui, prætereà tanquam historiæ huic necessarias vitas D. Matthię Apostoli, atque Marci Euangelistæ ex scriniis primitiuæ Ecclesiæ Notariorum depromptas. Exemplari verò vsus sum Parisiensi, quod nitori pristino restituisse se sublatis fœdis mendis D. Ioannes Faber Theologus Parisiensis, affirmat. Studij cōsilijq́ue nostri, quo ad hanc editionem adductus sim, rationem cùm nunc candidi lectores cognoscatis, eandem precor & vos etiam approbate & complectimini, atque valete, mihiq́ue faueto. Coloniæ Kalend. Septemb. 1569.

EX

EX PRÆFATIONE D. VVOLFGANGI LAZII, QVI ABDIAM PRIMÙM è tineis erutum orbi communicauit, libuit subsequentia attexere, vtpote lectori cognitu necessaria in Abdiæ lectione.

TAque in ipso labyrintho negociorum & molestiarum mearũ, aliquot horas describendæ Africanianæ translationi dedi. Quo rursus in labore, cùm legerem in historia Simonis & Iudæ, Abdiam Christum Saluatorem nostrum in carne vidisse: cumque esset vnus ex Septuaginta duobus discipulis Simonem & Iudam in Persida, abeuntes, vt verbum Domini eius incolis adnunciarent, secutum, Babyloniæ postremò ab eisdem Apostolis Episcopum esse relictum: iam maior incesserat euulgandi huius authoris cupido. Non enim vitio accessisse hoc authori, ex serie historiæ animaduertebam: propterea quod subinde prima persona pluralis introducatur, vt cum Apostolis hunc profectum esse, & interfuisse rebus eorum gestis, & potissimum qui in Asia Euangelium adnunciabant, liquidò appareat. Vt sub fi-

nem libri tertij, ci m beati Andreæ passionem descripsisset: E hæc dicens, diutissimè Dominum clarificans & gaudens, nobis flentibus reddidit spiritum. Et in libro quinto, cum Drusiam doceret à sancto Ioanne Euangelista à mortuis suscitatā: Cùm igitur (inquit) appropinquassent sepulchro, subitò præcepto Ioannis apertæ sunt fores, & iuxta sepulchrum Drusianæ vidimus speciosum adolescentem arridentem. Et iterum eodem libro, cum S. Ioannis sepulturā describeret: Vbi autem, sicut voluit, facta est fouea, nihil quoquam nostrūm sciente, exuit vestem, & strauit eam in illa fouea. Idem libro nono, in historia Diui Thomę: Neq; enim serui Dei dormire tum poterant, quos sic CHRISTVS excitabat, neque patiebatur nos somno dimergi. Transeo orationes, quas apostoli vel ad Christum in martyrij coronis fundebant, vel vbi mortuos suscitabant, aut populos ad fidem vel suscipiendam vel retinēdam adhortabantur, miro artificio, ac planè rethoricè scriptas, energiæ ac grauitatis plenissimas. Hæc inquam, & his similia cùm inter exscribendum legissem, iam nihil quicquam dubitans, hunc ipsum dignum luce autorem iudicare: & eo quidem

dem magis, quòd Ioachimus Perionius Gallus, homo alioquin doctissimus, ex fragmentis, cùm illius (vt arbitror) Africanianæ translationis, tum ex his quas Legendas Ecclesia appellat alijsque in fide nostra authoribus, librum superiori anno de Apostolorum historia euulgasset, latinissima quidem phrasi scriptum, sed vbi multa desiderantur (pace optimi viri dictum sit) adeò vt affirmare ausim, vix tertiam partem, aut etiam minus, huius nostræ historiæ attingere, id quod candido lectori perspicuũ euadet, si Diuorum Andreæ, Ioannis, & Thomæ historias vtrobique contulerit, Fateor quidem, in Diui Pauli historia fusissimum esse Perioniũ, & longo interuallo Africanum superare, vel Abdiam: vt qui breuior in eius vita propterea (vt arbitror) fuit, quòd procul in Asia remotissimè à Diuo Paulo scripserat: vel quòd epistolæ huius Apostoli instar historiæ Christianis essent, ex quibus etiam suam de hoc Apostolo magna er parte Perionius historiam sumpsit. Hæc fortè scrupulum lectori vel Abdias, vel Africanus eius interpres fecerint, qui in prioribus duobus libris, multa quæ in Actis extant, recensentur: sed tamen breuius, & cursim, vt ita dicam: vt

vel Abdiā hæc ex Luca sumpsisse, vel Lucam ex Abdia, credendum sit, cum vterque eodem tempore vixerit, & apostolorum discipulis extiterit:

Neque verò vel materia, quæ sacra est, & historiæ nondum satis cognitæ, displicebit. Arridebit, ni fallor, & ipsa phrasis quæ tametsi patrum Ecclesiæ vetustiorū elocutionem referat, tamen culta est, & multò quàm ea quæ est in Actis Apostolorum, aut ipsa etiam Euangeliorum historia, ornatior. Sat scio obijciet quispiā, historiam Apostolorum in Actis contineri, vt ipse etiam Abdiæ nostri interpres in præfatione sua testatur: verùm quæ singuli, postquam in gentes diuisi abierant, diuersis in regionibus præclarè, & ad fidei ædificationem necessaria gesserunt, neque in Actis, neque vllo in recepto aut peruetusto autore habere existimarim. Nam Legendis vulgaribus, vt ingenuè fateor, multa accesserunt; postquam illæ primæ & veritate fundatæ historiæ fuissent deperditæ: atque ista accessoria, dici non potest, quàm fidei sanctissimæ historiæ detraxerint, & beatissimos apostolos apud malos & hæreseos maculis respersos in contemptu adduxerint, vt seculum nostrum abundè satis testatur.

IVLII

IVLII AFRICANI HISTORICI ET EPISCOPI IN HISTOriam Apostolicam Præfatio.

QVANQVAM plurima de Apostolicis signis sacra Euangeliorum, vel illa, quæ ab ipsis actibus nomen accepit, narret historia: tamen visum est nobis, vt retractis exemplaribus ac voluminibus istis, & maximè quæ ab Abdia, qui Saluatorem in carne viderat, & secutus Simonem & Iudam Apostolos in Persida, primus Babylonis Episcopus fuit, de vniuscuiusque virtutibus sermone Hebraico scripta sunt, quantum inuenire potuimus, libros singulos conscribamus: vt etiam si alicui delectatio fuerit inquirendi, quod ille aut ille proprium gesserit, singulatim reperiatur in singulis. Nam de

multis quæ hac de re à veteribus scripta sunt, nihil ad nos, præter ipsorum passionũ monumẽta venerunt. Quod nos pro magno complectimur, scientes scriptum: Honorandi sunt amici tui Deus: Verùm vtrùm magna ostendissent prodigia in populis, an minora, non hæc fragilitati humanæ sunt ascribenda, sed à nobis fideliter confitendum, quia operatur ea vnus atque idem Dominus Iesus Christus, qui in eis per bonam voluntatem & sensus puritatem habitat, sicut dudum protulit Propheta: Quia inhabitabo in eis, & inambulabo in illis, & ero illorum Deus. Ergo in huius Iesu Christi filij DEI omnipotentis nomine, quæ scripsit sanctorum Apostolorum gesta Abdias Episcopus Babyloniæ, qui ab ipsis Episcopus ordinatus erat, sermone Hebræo, & quæ discipulus eiusdem Abdiæ Eutropius in Græcam linguam transtulerat, hæc nos vniuerso Latino reddidimus sermoni, & in decem libros

bros descripsimus, gloriam semper referentes DEO *patri, per vnigenitum eius filium,* Dominum *& redemptorem nostrum* IESVM CHRISTVM, *in spiritu sancto, inluminatore animarum nostrarum, & nunc, & semper, per sæcula sæculorum.*

Amen.

HISTORIAE APOSTOLICAE AVTORE ABDIA BABYLOniæ Episcopo, & ipsorũ Apostolorum Discipulo, quam ex Hebraica lingua in Latinam Africanus vertit,

LIBER PRIMVS.

De rebus à beato Petro, principe Apostolorum, præclarè gestis.

POST corporeum Dominicę natiuitatis aduentum, cùm ipse Dominus IESVS CHRISTVS, vera lux mundi, mundanis inluxisset tenebris, ambulans iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrẽ eius, mittentes retia in mare: erant enim piscatores, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus, secuti sunt eum. Et cùm venisset in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos

pulos ſuos dicens: Quem dicunt homi nes eſſe filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Tum Simon Petrus conſtanter & intrepidè reſpōdit: Tu es Chriſtus, filius Dei viui. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis. Ego verò dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcūque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Contigerat fortè eodem tempore, vt CHRIſtus oraturus, ex more in montem quendam abiret, adſumptis ex diſcipulis tribus carioribus, Petro, Ioanne, & Iacobo. Cumque adſumptus, paulò altiùs Solisque lumine circundatus, in medio Moyſis & Heliæ, clarificatus à diſcipulis videretur: Domine (inquit Petrus) bonus eſt iſte locus ad habitandum: itaque ſi placet, tria hic ta-

bernacula faciemus: tibi vnum, & reliquum Helię ac Myosi. Sed nihil tum Iesus respondit: verùm vt surgerent ac timorem exuerent admonuit, reliquumque de passione sua sermonem protrahebat. Quæ cùm postea ante Paschatis solemnia instaret, sciens Iesus, quia omnia dedisset ei Pater in manus, & quia à Deo exiuerat, & ad Deum vaderet, surgit à cæna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum suorũ, & tergere illos linteo. Cumq; venisset ad Simonẽ Petrum, dixit illi Petrus: Domine, tu mihi ne lauabis pedes? Respondit illi Iesus: Quod ego facio, tu nescis modò, scies aũt postea. Tum Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Ad quæ Petrus: Non tantum pedes, sed etiam caput meum, & manus meas. Quem sermonem excipiens Iesus, ait: Qui lotus est, non indiget vt iterum lauetur, sed est mundus totus. Hæc ante resurrectionem à beato Petro gesta sunt. Post resurrectionẽ autem dicebat Dominus

Iesus

Iesus Petro: Simon Ioannis, diligis me? Etiam Domine, inquit Petrus, tu scis quia amo te. Tum CHRISTVS: Pasce agnos meos, & subdit: Simon Ioannis, diligis me? Dicit ei Petrus: Tu scis quia diligo te. Pasce ergo oues meas, ait Iesus. Et dicit Petro tertiò: Simon Ioannis, amas me? Quæ cùm audisset Petrus, contristatus est, quòd ei tertiò dixisset, amas me, & respondens ait: Domine tu scis, quia amo te. Et Iesus: Pasce ergo oues meas: Amen amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans, quia morte clarificaturus esset Deum: Hæc autem facta sunt eo tempore, quo ad mare Tyberiadis Saluator post resurrectionem, piscantibus discipulis in littore apparuerat, quærens, nunquid pisces aliquot cepissent? Sed illi, qui Dominum tum non cognouerant, eminùs pernegabant. Quo audito, Iesus rete ad dextram partem nauis mitti præcepit. Quod vbi hi fecissent, & Petrus se in mare dimisisset, rete plenum

piſcibus retraxerunt, atque ex eo miraculo attoniti, Dominum cognoſcere cœperunt: & appellãtes ad littus, prope eum piſcẽ ſubiectis carbonibus, & panẽ inuenerunt. Cũq; centũ & quinquaginta piſces numeraſſent, quos ex reti colligebant, inuitabat Chriſtus diſcipulos vt ſederent, piſcẽq; & panẽ ſecũ ederẽt. Et hæc quidẽ dũ adhuc in terra is degebat, poſt reſurrectionem, à Petro facta ſunt, quæ digna ſunt memoria. Poſtquã aũt Dñs Ieſus adſumptus eſt in cælum, Petrus & Ioannes aſcendebant in tẽplum, ad horã orationis nonam: & ecce quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur: quem ponebãt quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templũ. Is cũ vidiſſet Petrũ & Ioannem ingrediẽtes ſupplicabat, vt eleemoſynã acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis, Tum Petrus: Argentum & aurum nõ eſt mihi: quod autem habeo hoc do tibi, In nomine IESV Chriſti Nazareni, ſurge & ambula. Et apprehenſa eius

Hæc hiſtoria recenſetur in actis Apoſtolorum à S. Luca.

eius dextra, alleuauit eum. Et protinùs consolidatę sunt bases eius & plātæ: & exiliens stetit, & ambulabat: & ingressus cum illis in templum, coram omni populò testificabatur & magnificabat Dominum. Erat autē annorum amplius quadraginta. Augebatur verò intereà numerus credentium in Christum, multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eijcerēt infirmos, & ponerēt in lectulis suis ac grabatis, secus vias publicas, quibus Apostolos audiuerant vēturos. Conueniebant autem & ex proximis ciuitatibus multi Hierosolymam, ægros adferentes, & qui à spiritibus immundis vexabantur, quos omnes curabat Petrus. Intereà cùm fama venisset Hierosolymam, quia Samaria verbum Domini reciperet, miserunt eò Apostoli Petrum & Ioannem: qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Iesu. At Apostoli imponebant manus super illos, & acceperunt spiritum sanctum & Samaritani. Quam rem cùm vidis-

ſet Simon, qui dicitur Magus, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur ſpiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicẽs: Date & mihi hanc poteſtatem. vt cuicunque impoſuero manus, accipiat ſpiritum ſanctum, Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donũ Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Nõ ſit tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Quare age pœnitentiam, & recede ab hac nequitia tua, & roga DEVM ſi fortè remittatur tibi. Hæc cogitatio cordis tui praua eſt: in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Reſpondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me Dominum, vt nihil eueniat ſuper me horum quę dixiſtis. Et iſti quidem teſtificati & locuti verbum Domini, redibant Hieroſolymam. & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant Dominum. Factum eſt autem, vt Petrus dum pertranſiret multas vrbes ac vicos, deueniret ad ſanctos qui habitabant Lyddæ. Ibi hominem quendam inuenit nomine Aeneam, ab annis octo iacẽtem in le-

cto

cto, qui erat paralyticus. & ait illi Petrus: Aenea surge, sanat te Dominus noster IESVS Christus. Et continuò surrexit, & strauit sibi, & videbant illum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ, qui conuersi omnes ad Dominum fuerunt. Dum hæc agerentur, CHRIsti discipula quædam nomine Thabitas occurrit, quæ interprætata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas quotidie erogabat. Accidit autem vt fortè infirmata moreretur. Quam cùm lauissent agnati, deposuerunt eam in cænaculo. Quia autem non procul distabat Ioppe à Lydda, miserunt duos viros ad Petrum, rogantes vt non differret venire ad eos. Quæ cùm accepisset Petrus, exurgẽs peruenit cum illis Ioppen. Et cùm venissent, duxerunt eũ in cænaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas ac vestes, quas fecerat illis Dorcas. Quarum fletibus condolens Petrus, eiectis omnibus qui aderant foràs extensis in cælum cum oculis manibus, & ponens genua orauit. Conuersusque ad corpus, dixit: Thabita surge. At illa aperuit

oculos ſuos, & viſo Petro reſedit, Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocaſſet ſanctos & viduas ad ſe, ſignificauit eam viuam. Notum autem factum eſt per vniuerſam Iop, pen, & crediderunt multi in Dominum.

Hæc omnia capite duodecimo Actorum habentur, quare vel Abdiam ex Luca ſumpſiſſe, vel Lucã ex Abdia, cùm fuerit vterque Apoſtolorum diſcipulus, credendum eſt.

Eodem tempore miſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de eccleſia. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere & Petrũ: erant enim dies azymorum. Quẽ cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradensque quatuor quaternionibus militum cuſtodire eum, volebat poſt paſcha producere eum populo. Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere: fiebat autem oratio ſine intermiſſione ab eccleſia ad Dominum pro eo. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Et cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris: percuſſoque latere Petri, ſuſcitauit eum Dominus: Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius. Di-

xit autem angelus ad eũ: Præcinge te, & calcea te caligas tuas, & fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum esset quod faciebat per Angelũ: æstimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primã & secundam custodiam venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum, & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelũ suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. His ita gestis, surrexit quidam Simon Samarius genere, qui dudum visis miraculis Petri, pecunia comparare voluit donum spiritale; qui se magũ & perpetualiter stantẽ esse dicebat: promittens eos qui in se crederẽt, prorsus dissolui non posse. Hic etiam Petri cupiens euertere vias, & ea, quæ docebat ad irritum reuocare, diem constituit, in quo conuenientibus turbis ad disputandum cũ Petro, præsens adesset. Erat autẽ tunc Petrus apud Cæsaream

Stratonis. Igitur illucescente statuta die, Zachæus, qui erat prior ciuitatis, astitit Petro dicens: tempus est vt procedas ad disputandũ Petre. Turba autem in medio atrij congregata opprimitur, te opperiens, quorũ in medio multis fultus ad se * constitit Simon. Tum Petrus vt hæc audiuit, orationis gratia secedere aliquos iubẽs, qui nondum erant diluti à peccatis, quæ ignorantiâ commiserant, ait ad reliquos: Oremus fratres, vt Dominus per Christum filium suum pro ineffabili misericordia sua adiuuet me, exeuntem pro salute hominum qui ab ipso creati sunt. Et hæc cùm dixisset, oratione facta, processit ad atrium domus, in quo erat multitudo plurima populi congregata. Quò vbi omnes summo cum silentio esse attentos videret, & Magũ Simonem in medio eorum velut signiferum, statim hoc modo cœpit: Pax vobis omnibus, qui parati estis dare dextras veritati. Quicunque enim obediũt ei, videntur quidem sibi aliquid gratiæ conferre Domino. Porrò autem ipsi ab eo donum summi muneris cõsequuntur, iustitiæ eius semitas incedentes. Propter quod

& pri-

& primum est omnium, iustitiam Domini, regnũque inquirere eius. Iustitiam quidẽ, vt rectè agere doceamur: regnũ verò, vt quæ sit merces posita laborum & patientiæ, nouerimus. In quo est bonis quidem æternorum bonorum remuneratio: his autem, qui contra voluntatem eius egerint, pro vniuscuiusque gestis pœnarum digna restitutio. Hic ergo, hoc est, in præsenti vita positos oportet vos agnoscere volũtatem Domini, vbi & agendi locus est. Nam, si quis velit, antequam actus suos emendet, de his requirere, quæ non potest inuenire, stulta & inefficax erit huiuscemodi inquisitio. Tempus enim breue est, & iudiciũ digestorũ causa agitur, nõ quęstionũ. Ideoq; ante omnia hoc quæramus, qd nos, aut qualiter agere oporteat, vt æternã vitã consequi mereamur. Mea ergo ista sentẽtia est, sicut & vero prophetæ visum est: vt primùm de iustitia requiratur, ab his maximè qui Dominũ se nosse cõfitẽtur. Si ergo habet aliquis, quod esse rectiùs putet, dicat. Et cum dixerit, audiat: sed cum patiẽtia & quiete. Propter hoc enim ab initio saluationis, speciem pacis cunctis

impre-

imprecatus ſum. Ad hæc Simon reſpondit: Non, pace tua opus non habemus. Si enim pax & concordia ſit ad inueniendam veritatem, nihil proficere poterimus: habent enim pacem inter ſe & latrones, & ſcortatores: & omnis nequitia cum ſemetipſa concordat. Et nos ergo ſi ob hoc conuenimus, vt pacis cauſa omnibus quæ dicuntur præbeamus aſſenſum, nihil auditoribus conferemus: ſed è contrario inluſis eis, nos amici diſcedimus. Propter quod noli inuocare pacem, ſed magis pugnam: & ſi potes expugnare errores, ne requiras amicitiam, iniuſtis aſſentationibus partã. Hoc enim te ante omnia ſcire volo, quia duobus inter ſe dimicantibus, tunc erit cùm alter ceciderit ſuperatus. Et Petrus ait: Quid times crebrò audire pacem: an ignoras, quia perfectio legis eſt pax: Ex peccatis enim bella naſcuntur, & certamina. Vbi autem peccatum non ſit pax in diſputationibus, veritas in operibus inuenitur. Et Simon: Nihil momenti continent hæc verba, quæ loqueris. Sed nunc oſtendam virtutis ac dignitatis meæ potentiam, vt repẽtè procidas, &

ado

adores me Ego ſum prima virtus, qui ſemper & ſine initio ſum. Ingreſſus aũt in vterũ Rachel, natus ſum ex ea, vt homo, quo ab hominib. videri poſſim. Ego per aẽrem volaui igne commixtus, vnum corpus effectus ſum: ſtatuas moueri feci, animaui exanima, lapides panes feci, de monte volatu tranſmeaui, manibus angelorum ſuſtentatus ſum, ad terram deſcendi. Hæc non ſolum feci, ſed & nunc facere poſſum: vt rebus ipſis probẽ omnibus, quia ego ſum filius Domini, ſtans in æternum & credentes mihi ſimiliter in perpetuò ſtare faciã. Tua autem verba vana ſunt omnia, nec vllum potes opus oſtendere veritatis: ſicut & ille qui miſit te Magus, qui nec ſe ipſum potuit liberare de crucis pœna. Poſſum enim facere vt volentibus me comprehendere, non appaream: & rurſum volens videri, palam ſim: ſi fugere velim, montes perforem: & ſaxa, quaſi lutum pertranſeam. Si me de mõte excelſo præcipitem dedero, tanquam ſubuectus intrans illæſus deferar. Vinctus memetipſum ſoluam, eos verò, qui vincula iniecerint, vinctos reddam. In car-

carcere conligatus, clauſtra ſpontè patefieri faciam. Statuas inanimatas reddam ita, vt putentur ab his, qui vident, homines eſſe. Nouas arbores ſubitò oriri faciam, & repentina virgulta producam. Igni meipſum inijciam, vt non ardeam. Vultum meum commuto, vt non cognoſcar. Sed & duas facies habere me poſſum hominibus, oſtendere, vt ouis, vt capra efficiar, puer paruus barbam producam. In aëre volando inuchar, aurum plurimum oſtendam: Reges faciam, adorabor vt Dominus: Publicè diuinis donabor honoribus, ita vt ſimulachrum mihi ſtatuentes, tanquam Dominũ colant, & adorent. Et quid opus eſt multa dicere? quidquid, voluero, facere potero. Multæ enim iam mihi experimento cauſæ cõſummatæ ſunt. Denique aliquando, inquit, cùm mater mea Rachel iuberet me exire ad agrum, vt meterem: ego falcem videns poſitam, præcepi ei, vt iret & meteret: meſſuit decuplo ampliùs cæteris. Multa iam noua virgulta produxi de terra, & comare ea ego feci, & ſub momento temporis apparere: & montem proximum ego ſecundò

per-

perforaui. His dictis à Simone, Petrus respondit: Ne alijs aliena. Tu enim quòd sis Magus, ex ipsis quæ gessisti confessus es, & manifestatus. Noster aũt magister, qui est filius Domini & hominis, manifestè bonus est. Quòd autem verè sit Domini filius, quibus oportuit dictum est, & dicitur. Tu autem si non vis confiteri quòd magus es, cum omni hac turba pergamus ad domum tuam, & tunc apparebit quis sit magus. Hæc autem Petro dicente, Simon blasphemijs & maledictis agere cœpit, & seditione facta, perturbatis omnibus, argui non potuit. Et Petrus, ne quasi blasphemiæ causa secedere videretur, perstitit immobilis, & arguere eum vehementiùs cœpit. Tum populus indignatus, Simonem de atrio eiectum extra ianuas domus repulit: eoque depulso, vnus secutus est solus. Facto autem silentio. Petrus alloqui populum hoc modo cœpit: Patienter, fratres, malos ferre debetis, scientes quia Dominus cùm possit eos excidere, patitur tamẽ durare vsq; ad prestitutam diem: in qua de omnibus iudiciũ fiet. Quomodo ergo nos non patiemur,

tiemur, quos patitur Dominus, cui ſubſunt & obediunt cæli, & terræ? Vos ergo qui ad Dominum conuertimini per pœnitẽtiam, curuate ei genua. Hæc cùm dixiſſet, omnis multitudo genua flexit Domino. Et Petrus reſpiciens ad cælum, cum lachrymis orabat ſuper eos, vt Dominus pro ſua bonitate ſuſcipere eos dignaretur, confugientes ad ſe. Et poſtquam orauit, & præcepit vt die poſtera maturiùs conuenirent, ſacrificium fecit: tum deinde ſecundum conſuetudinem quieuit. Mane autem facto, veniens quidam ex diſcipulis Simonis, clamabat dicens: Obſecro te Petre, ſuſcipe me miſerum, & à mago Simone deceptum, cui ego velut cæleſti Domino intendebam, pro his quæ ab eo fieri mirabilibus videbam; auditis tamen ſermonibus tuis, cœpit iã homo mihi videri, & quidẽ malus. Veruntamen cùm hinc exiſſet, ego eũ ſubſecutus ſum ſolus: nondum enim ad liquidum impietates eius agnoueram. Cùm autem vidiſſet me ſubſequentem beatum me dicens, perduxit me in domum ſuam. Circa mediũ verò noctis ait ad me; Omnibus te homini-

minibus faciam meliorem, si volueris vsque ad finem perseuerare mecum. Qui cum promisissem, exegit à me sacramentum perseuerantiæ: eoque accepto imposuit super humeros meos polluta quædam & execrabilia secreta sua, vt portarem, & secutus est me. Vbi verò ventum est ad mare, nauigium, quod fortè aderat ingressus, sumit à ceruicibus meis, quod portare me iusserat, & paulo post egressus, nihil extulit: certum quod in mare quid deiecerat. Rogabat ergo me cũ ipso vt proficiscerer, dicens se Romam petere. Ibi enim se in tantum placiturum, vt Dominus putetur, & diuinis publicè donetur honoribus. Tunc, inquit, te omnibus diuinis repletũ, si huc redire placuerit, pluribus fultum ministerijs remittam. Hæc ego audiens, nihil in eo secundum hanc professionem videns, sed Magum & deceptorem eum intelligens, respondi: Quæso te ignosce mihi, quia pedes doleo, & propterea exire Cæsaream non valeo. Præterea est mihi vxor, sunt paruuli liberi, quos relinquere omnino non possum. At ille hæc audiens, & igna-

uiæ me incusans, profectus est Romam dicens: Cùm audieris quanta mihi gloria in vrbe Roma erit, pœnitebit te. Et post hæc ipse quidē vt aiebat, Romam petijt. Ego autem confestim redij huc, orans vt me suscipias ad pœnitentiam, quia ab eo deceptus sum. Cùm hæc dixisset is qui à Simone regressus est, iussit eum Petrus, in atrio residere. Procedens autem ipse, & turbas videns multò plures quàm superioribus diebus, stetit in loco solito, & ostendens eum, qui à Simone venerat, ait: Iste, fratres, quē videtis, paulò antè venit ad me, de Simonis mihi malis artibus nuncians, quomodo ipsam sceleris sui officinam proiecerit in profundū, non quasi pœnitentia ductus, sed metuens ne deprehensus publicis legibus subiaceret. Hæc dicente Petro, populus videns hominem qui venerat à Simone, stupebat. Igitur Petrus à Cæsarea digressus, Tripolim venit: & ingressus domum Maronis, vidit locum aptum ad disputandum. Vt autem vidit turbam, velut ingentis fluuij inundasse leuem meatum, ascendens supra basim quandam quæ fortè in-

tē iuxta horti parietem ſtabat, primùm religionis more populum ſalutauit. Quidam autem ex his qui aderant, & longo tempore à dæmonibus fuerant fatigati, in terram proruunt, obſecrantibus ſpiritibus immundis, vt vel vno die indulgeretur eis in obſeſſis corporibus permanere. Quos Petrus increpans ſtatim iuſſit abſcedere: & ſine mora diſceſſerunt. Poſt hos alij longis afflicti languoribus, rogabant Petrum, vt reciperent ſanitatem. Pro quibus ſe ſupplicaturum Domino, populo pollicetur, cùm priùs ſermo doctrinæ fuiſſet expletus: ſed ſtatim, vt promiſit lāguoribus reſoluti ſunt. Et iuſſit eos ſeorſum reſidere, cum his qui à dæmonibus fuerant curati, quaſi poſt laboris fatigationem. Petrus autem egreſſus à Tripoli, pergebat Antiochiam: & venit ad inſulam Ancharadum nomine, vbi erāt, in æde quadam columnæ vitreæ miræ magnitudinis, ad quas contuendas cùm multi abijſſent cum Petro, & Petrus miratus eas egreſſus eſſet pro foribus, vidit mulierculam quandam ſtipem, ab introeuntibus depoſcentē. Quam attētiùs conſiderans

ſiderans, ait: Dic mulier, quod tibi membrum corporis deeſt, quòd huic iniuriæ te ſubieciſti, vt ſtipem petas, & non potiùs manibus tuis, quas à Domino accepiſti, operũ cibum quæras? At illa ſuſpirans ait: Vtinam mihi quidem manus eſſent, quæ moueri poſſent, nunc autem ſpecies tantum ſeruata eſt manuum. Nam ipſæ ſunt mortuæ, & meis morſibus debiles, & ſine ſenſu redditæ. Tunc apprehenſis Petrus manibus eius, ſanauit eas. Erat enim hæc mulier mater Clementis, à quo & in eodem loco cognita eſt. Nam per virtutes Petri & alios filios recepit Fauſtinum & Fauſtum, qui mutatis nominibus Aquila ac Nicia appellabantur: & virum ſuum Fauſtinum, qui multo à ſe tempore fuerant ſeparati. Et cùm vellent nauigare ex illa Inſula, mater ait ad Clementem: Fili dulciſſime, rectum eſt, vt valedicam mulierculæ quæ me ſuſcepit. Eſt enim egens & paralytica, iacens in lecto. Quibus auditis, Petrus, & omnes, qui audierant admirati ſunt bonitatem & prudentiam fœminæ. Et continuò iuſſit Petrus adire quoſdam, & deferre mulierem

in

in lectulo, vt iacebat. Cùm fuisset allata, & in medio turbæ astantis collocata, in conspectu omnium Petrus ait: Si veritatis ego sum preco. ad confirmandam fidem horum omnium qui assistunt, vt sciant, & credāt, quia vnus est Dominus, qui fecit cælum & terram, in nomine IESV CHRISTI filij eius, surgat hæc mulier, & statim vt hæc Petrus dixit, surrexit mulier sana, & procidit ad pedes Petri, atque amicam suam ac familiarem osculis petens, gratias Domino referebat. His expletis, volente Petro vt iret ad hospitium, dominus domus ait ad eum: Turpe est, & impium tali sancto viro, manere in stabulo. cùm ego penè omnem domum vacantem habeam, lectosque stratos quâm plurimos, & quæ necessaria sunt parata. Sed Petro contradicente, vxor patrisfamiliás vna cum liberis suis prostrauit se ante eum, & exorabat dicens: Obsecro te mane apud nos, sed ne sic quidem adquiescebat Petrus, donec filia eorum qui rogabant, ab immundo spiritu temporibus multis vexata, & catenis vincta, quæ fuerat intra conclaue clausa,

effugato à se dæmone, & ostijs patefactis, cum catenis suis veniens, procidit ad pedes Petri, dicens: Rectum est mi Domine, vt agas hodie hic salutaria mea, & non contristes me, neque parentes meos. Petro autem requirente catenarum sermonumque eius causam: parentes præter spem læti effecti, de filiæ sanitate, & velut stupore quodam attoniti, ipsi quidem dicere nequeunt. Adstantes autem familiæ aiunt: Hæc à septimo ætatis anno dæmone tentata, omnes qui accedere tentassent ad eam scindere dilaniare, morsibus etiam disrumpere conabatur. Et hoc à viginti annis vsque ad præsens facere nunquam destitit, nec ab aliquo potuit curari: sed nec accedere quidem quisquam valebat ad eam. Multos enim inutiles reddidit, alios interemit. Omnibus enim viris validior erat, sine dubio viribus dæmonis vsa. Nunc autem, vt vides, ex præsentia tua dæmon quidem fugit: ostia verò quæ summo cum munimento clausa fuerant, aperta sunt, & ipsa sana stat ante te, rogans vt diem salutarium suorum lætum & ipsi & parentibus eius faci-

facias, & maneas apud eos. Hæc cùm ita vnus ex famulis enarrasset, ac ipsæ etiam catenæ de manibus eius ac pedibus fuissent spontè resolutæ, Petrus certus quòd per ipsum sanitas hæc reddita sit puellæ, adquieuit vt maneret in domo patris eius. Post hæc autem Petrus Romam veniens, in ipsis diebus sibi finem vitæ imminere præsensit. In conuentu ergo fratrum positus, adprehensa Clementis manu repentè consurgens in auribus totius ecclesiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conserui mei: quoniam sicut edoctus sum ab eo, qui me misit Domino & magistro IESV CHRISTO, dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordinabo, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram eredo, qui mihi ab initio vsque ad finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit, Qui in omnibus tentationibus meis socius extitit, fideliter perseuerans: quem præ cæteris expertus sum, Dominum colentem, homines diligentem, castum, discendi studijs deditum, sobrium, benignum,

iustum, patientē, scientem ferre nonnullorum etiam ex his, qui in verbo Domini instruuntur, iniurias. Propter quod ipsi trado à Domino mihi datam potestatem ligandi & soluendi, vt de omnibus quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cælis. Ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod oportet solui. Et hæc cùm dixisset, manus ei imposuit, eumque in cathedra sua sedere compulit: multum eum instruens, qualiter aut Ecclesiam sibi commissam regeret, aut oues susceptas aleret. Tunc & Paulus Apostolus Romam veniens, Christum Dominum prædicabat. Tempore igitur Neronis Cæsaris, erant Romæ salutiferi doctores Christianorum Petrus & Paulus Apostoli, per quos dum fides Domini Iesu Christi in omnium crescceret mentes, & religionis propagarentur augmenta, quia essent sublimes operibus clari magisterio ob virtutem diuinæ gratiæ. Nero per magum Simonem vehementer aduersari cœpit Apostolis: quia diuersis illusionibus dæmonum ita magus Cæsaris animum obtinuerat, vt eum

salutis

ſalutis ſuæ præſulem, vitæque cuſtodem, remota ambiguitate confideret. Nam & bellorum victorias, & ſubiectiones gentium, & proſperitatem rerum ſe per eum in omnibus habiturum eſſe credebat. Sed Petrus Apoſtolus vanitates eius & flagitia vniuerſa detexit. Quia veritatis lux, & verbi diuini claritas, quæ ob ſalutem hominum nuper obfulſerat, totius mendacij caligine de humanis mentibus diſcuſſa per Apoſtolos, ignorantiæ tenebras effugabat. Tunc Simon magus veri luminis fulgore perculſus cęcitatem continuò malè ſanæ mentis incurrit, quippe qui iam in Iudæa per Apoſtolum Petrum de his quæ egerat ſceleribus confutatus, tranſmarinam ingreſſus eſt fugam. Et qui in alijs terrarum partibus Petri expertus erat potentiam, tamen præueniens Romam, auſus eſt ſe iactare: quòd poſſet mortuos ſuſcitare. Illo ipſo tempore erat quidam defunctus adoleſcens nobilis, propinquus Cæſaris, Vbi cùm multa turba propinquorum conueniſſet, ſciſcitabantur inuicem ſi eſſet aliquis qui poſſet mortuum excitare. Celeberrimus

ſcilicet, & tunc Petrus in his operibus habebatur, ſed apud Gentiles nulla huius firmabatur fides. Dolor tamen exegit inquiri remedium: perrectum eſt ad Petrum. Fuerunt equidem qui etiam Simonem accerſendum putarent, vt vterque adeſſet. Tum Petrus ad cognatos defuncti ait, vt Simon, qui de ſua ſe iactabat potentia, prior, ſi poſſet, mortuum ſuſcitaret. Sin ille nequiuiſſet. ſibi non ambiguum, quin CHRISTVS opem ferret defuncto. Ibi Simon, qui putabatur apud Gentiles magnæ eſſe potentiæ, conditionem interpoſuit, vt ſi ille mortuum ſuſcitaret, Petrus occideretur, qui tantæ poteſtati verbis audacibus laceſſendo inrogaſſet iniuriam. Si verò illo nihil agente, Petrus mortuum ſuſcitaſſet, magus ſententiæ quæ in Apoſtolum data fuerat, ſubiaceret. Talis cùm eſſet interiecta conditio, quieuit Petrus. Exorſus eſt autem Simon, & accedens ad lectulum defuncti, incantare, atque immurmurare dira clàm carmina cœpit. Viſumque eſt circunſtantibus, caput agitari defuncti. Itaque clamor Gentilium ingens attollitur, quod iam vi-

uc-

ueret, quòd cum Simone ioqueretur. Miraque indignatio in Petrum esse omnium cœpit, eò quòd esset ausus se tantæ potestati conferre. Tum Petrus fieri silentium postulat. & ait: Si viuit defunctus, loquatur: si suscitatus est, surgat & ambulet, atque fabuletur. Ego verò phantasma hoc, non veritatem esse, quòd cernitis, motum caput defuncti, docebo. Denique (inquit) separetur magus à lectulo, & ad plenum figmenta diaboli denudabuntur. Abducitur itaquè Simon à lectulo, & sine vlla spe vitę manet defunctus immobilis. Astitit Petrus â longè, & intra se orationi paulisper intentus, cum magna voce ait: Adolescens tibi dico surge: sanat te Dominus noster IESVS Christus. Et statim surrexit adolescens, & locutus est, & ambulauit, & dedit eum Petrus matri suæ viuentem. Quæ cùm remunerare beatum Apostolum vellet: Secura (inquit) esto mater de filio, & non verearis: habet enim custodem suum. Et cùm vellet populus magum Simonem lapidare, ait Petrus: Satis est ad pœnam eius, quod agnoscit se in suis actibus superatũ. Viuat

& regnum CHRISTI crescere videat, vel inuitus. Torquebatur intereà magus, & Apostolica perculsus gloria ad Neronem Cæsarem currit, nouamque Petro injuriam molitus, obtinuit vt Petrum vocaret. Itaque cùm vterque coram Imperatore staret, prior Simon: Miror te (inquit) Cæsar, hunc te alicuius momenti hominem existimare imperitum piscatorem, mendacissimum, & nec in verbo nec in re aliqua præditum potestate. Sed ne ditiùs hunc patiar inimicum, præcipiam modò angelis meis, vt veniant, & vindicent me de isto. Ad quæ Petrus: Non equidem timeo angelos tuos, qui me coguntur timere, & in virtute, & in confidentia huius CHRISTI Domini mei, quem te esse mentiris. Nam si diuinitas in te est, quæ cordis arcana rimatur, dic mihi nunc Simon, quid cogitem, vel quid facturus sim. Quam cogitationem meam, antequam tibi mentiatur magus, Cæsar optime, auribus tuis insinuabo, vt non possit mentiri quid cogitem. Tum Nero: Accede huc, & dic mihi quid cogites. Petrus dixit: Iube mihi adferri hordeaceum panem, & oc-

Concertatio S. Petri cum Simone mago coram Nerone.

occultè dari . Cumque hoc iussum fuisset, Petrus ait: Dicat nunc ergo Simon, quid cogitatum, quid dictum, quidúe sit factum à me. Tum Nero, Quid dicis Simon? Respondet Simon: imò Petrus dicat quid ego cogitauerim, vel quid fecerim. Tum Petrus: Quid cogitet Simon, me scire docebo, si tamen ipse priùs dixerit, quid ego cogitauerim. Quæ cùm audiuisset Simon: Hoc (inquit) scias bone Imperator, quia cogitationes hominum nemo nouit, nisi solus Deus: cæterùm Petrus mentitur. Ad quæ iterum Petrus: Tu verò, qui filium Dei te esse dicis, dic quid cogitem, & quid fecerim modò in occulto, si potes, exprime. Petrus autem benedixerat panem hordeaceum, quem acceperat, & fregerat, & in dextra atque sinistra manica sua collocauerat. Tunc Simon indignatus, quòd dicere non posset secretum Apostoli, exclamauit dicens: Procedant canes magni, & deuorent eum in cõspectu Cæsaris. Et cùm hæc dixisset, apparuerunt canes miræ magnitudinis, & impetum fecerunt in Petrũ. Petrus verò extendens manus in ora-

tionem, ostendit canibus, quem benedixerat panem. Quem vt viderunt canes subitò nusquam comparuerunt. Tum conuersus Petrus ad Cæsarem: Ecce ostendi tibi Imperator, quid cogitarit Simon, non verbis, sed factis. Nam qui angelos promiserat contra me esse venturos, canes exhibuit, vt se ostenderet non diuinos Angelos, sed caninos habere. Quare indignatus magus, sese ad omnem excitare cœpit carminum suorum potentiam. Congregatque populum, ac offensum se dicit à Galilæis: relicturum se vrbem, quam tueri soleret. Denique diem statuit, quo se per volatum supernis sedibus satis iactanter promittebat inuehendum, veluti quando vellet cælum petiturus, in sua potestate consisteret. Statuto igitur die montem Capitolinum ascendit, ac se de rupe deijciens, volare cœpit. Mirari populus ac venerari. Plerique etiam dicebant, Dei hanc esse potentiam, non hominis, qui ita corpore volaret ad cælum: nihilque tale Christum fecisse, multi asseuerabant. Tunc Petrus stans in medio inquit: Domine IESV, ostende, virtu-

tem

tem tuam, & ne permittas his vanis artibus decipi populum, qui tibi est crediturus. Sic decidat Domine (inquit) vt viuens se contra tuam potentiam nihil potuisse cognoscat. Cumque hæc cum lachrymis orasset Apostolus, ait: Adiuro vos in nomine IESV CHRISTI, qui eum fertis, vt nunc demitatis. Et statim ad vocem Petri demissus à dæmonibus, implicitis remigijs alarum quas sumpserat, corruit: nec statim exanimatus est, sed totus fractus corpore, debilitatisque cruribus, post paruum horarum spacium inibi expirauit. Quòd vbi Neroni compertum est, deceptum se ac destitutum dolens sublatumque sibi virum vtilem ac necessarium reipublicæ indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Itaque datur à Nerone præceptum, vt Petrus comprehenderetur. Et cùm ab omnibus antè fuisset rogatus, vt se alio conferret, ille semper resistebat, dicens: Nequaquam hoc se esse facturum, vt tanquam metu mortis territus fugeret. Quippe cùm sciret, & sibi & omnibus pro passione Christi, immortalitatis glo

riam prouenire. Cumque hæc & talia Petrus obtexisset, plebs lachrymans, ne se relinqueret, ne imminente procella Christianorum, despiceret tot bonorum lachrymas, victus tandem populorum fletibus adquieuit, promisitque se vrbem egressurum. Proxima igitur nocte salutatis fratribus, celebrataque oratione, proficisci solus cœpit. Vbi ventum erat ad portam, vidit CHRISTVM sibi occurrere. Quem adorans ait: Domine quò vadis? Cui Dominus, Venio Romam iterum crucifigi. Quod cùm audisset, intellexit Apostolus, de sua hoc passione dictum, in quo scilicet passurus videretur Christus, quem pati constabat in singulis non dolore corporis, sed misericordiæ contemplatione, & pietatis affectu. Itaque Petrus ad vrbem redijt, captusque à custodibus, mox cruci adiudicatus est. Quo audito, ingens subitò populi concursus est: ita vt plateæ non reciperent homines vtriusque ætatis, & sexus. Qui summa voce clamabant dicentes. Cur occiditur Petrus? Quid admisit criminis? Quid læsit vrbem? Innocentem

Captiuitas S. Petri.

tem damnare nefas eſt. Et metuendum eſt, ne in tanti viri nece vlciſcatur CHRISTVS, & nos omnes pereamus. At verò Petrus mulcebat plebis animos, ne aduerſus principem deſæuirent dicens eis: Viri Romani, qui in Chriſto creditis, & in illo ſolo ſperatis, in mente habetote eius patientiam, & conſolationem in his ſignis quæ vidiſtis facta per me. Suſtinete itaque eum aduenientem, & retribuentem vnicuique ſecundum opera ſua. Hoc autem quod nunc in me videtis fieri, iam antea mihi à Domino eſt proditum, non eſſe diſcipulum ſupra magiſtrum, nec ſeruum ſupra Dominum. Quare ſcitote, ad hoc ipſum me feſtinare, vt carne exutus, Domino adſiſtam. Sed quid moror (inquit) & non accedo ad crucem? Teneant perſecutores corpus, ego Domino meo ſpiritu adhærebo. Et accedens ad crucem rogauit vt cruci inuerſis veſtigijs figeretur: ea reuerentia, ne ita ſeruus crucifigi videretur, vt Dominus. Quod vbi factum eſt, cœpit de cruce ad populum loqui: ô ineffabile ac profundum myſterium crucis, ô inſeparabile vinculum charitatis.

Plena energiæ S. Petri oratio in cruce.

Istud est lignum vitæ, in quo Dominus Iesus exaltatus, omnia traxit ad se. Istud est lignum vitæ, in quo crucifixum est corpus Domini Saluatoris. At in eo confixa est mors, & mundus totus æternæ mortis est vinculis absolutus. O gratia incomparabilis, & amor crucis inrecessibilis. Gratias itaque tibi Domine Iesu, fili Dei viui, non solùm voce & corde ago, sed etiam spiritu, quo te diligo, quo te loquor, quo te interpello, quo te teneo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi omnia, & in omnibus, tu mihi totum, & nihil mihi aliud præter te solum. Qui es bonus & verus Dei filius & Deus, cui cum æterno patre & spiritu sancto honor & gloria est, in cuncta semper sæcula sæculorum. Et cùm magna voce omnis populus respondisset Amē, emisit spiritum. Cuius corpus Marcellus, vnus ex discipulis eius, nullius expectans sententiam proprijs manibus de cruce deposuit, & preciosissimis aromatibus conditū in suo ipsius sarcophago collocauit, in loco qui dicitur Vaticanus, iuxta viā triumphalē, vbi totius vrbis veneratione celebratur in pace.

LIBER

LIBER SECVNDVS HIstoriæ Apostolicæ, ab Abdia Babyloniæ Episcopo Hæbraicè conscriptæ, & in linguam Latinam ab Africano versæ, de rebus à beato Paulo Apostolo & gentium doctore hinc inde gestis.

EVit vir quidam in Hierusalem, de tribu Beniamin, nomine Saulus, eruditissimus in libris Moysi, & cunctis legis cæremonijs, quæ tunc secundum literam gerebantur, nihil in his mysticum sentiens, aut aduertens. Hic deuastabat Ecclesiam Dei, ingrediens domos, & trahens viros ac mulieres in carcerem: & multos quotidie congregabat. Igitur cùm adhuc spiraret minas & cædes in Apostolos Domini, accessit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem. In eo proposito cùm iter faceret, conti-

contigit vt appropinquaret Damaſco, & ecce ſubitò circumfulſit eũ lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentẽ ſibi: Saule Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Sed ſurge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur, ſtabant cum eo ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit quoq; Saulus de terra, apertisq; oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerũt Damaſcum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & neque manducabat, neq; bibebat. Erat verò diſcipulus Chriſti quidam Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum in viſu Dominus: Anania. Et ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad illum: Surge, vade in vicum qui vocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſen-[illegible]. Ecce enim orat ipſe, & expectat te, vt introiens imponas ſibi manus, vt viſum recipiat. Reſpondens autem Ananias, inquit: Domine, audiui à multis

Horum omnium

multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Hierusalem. Et hic habet potestatem à principibus Sacerdotum, alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. Tum Dominus: Vade (ait) quoniam vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit. Et surgens baptizatus est: & cùm accepisset cibum, confortatus est. Mansit autem cum discipulis qui erant Damasci, per aliquot dies: & continuò in Synagogis passim prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei. Quod cùm viderent, stupebant omnes, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum?

fit mentio in Apostolorũ actis cap. 9. Quare vel Abdias illa ex Luca, vel Lucas ex Abdia sumpsit.

Inte-

Intercà Saulus conualescebat quotidie, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniã hic est Christus Iesus filius Dei: Cum implerentur autem dies multi, consilium inierunt Iudæi, vt eum interficerent: Sed hæ insidiæ Saulo statim notæ factæ sunt. Custodiebant enim portas die ac nocte, vt eum comprehenderent. Sed accipiẽtes eũ discipuli eius nocte, demiserunt per murũ submittẽtes in sporta. Itaque cùm venisset postea in Hierusalem, tentabat se iungere discipulis Christi. At illi timebant eum, non credentes quia esset discipulus. Barnabas autẽ adprehensum illum dixit ad Apostolos, & narrauit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quomodo locutus fuerit sibi, & quę Damasci egerit cum fiducia in nomine Iesu. Ex hoc autẽ tempore Saulus, qui & Paulus, cum euangelizaret Christum in multis ciuitatibus, venit Lystrã. Et erat ibi quidam infirmus pedibus, sedens claudus ex vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat. Hic vbi audiuit Paulum loquentem, intuebatur eum fortiter. At Saulus, videns quia haberet

beret fidem, vt ſaluus fieret, dixit magna voce: Surge, & ſta ſuper pedes tuos rectus. Et exiliuit ſtatim homo ille, & ambulabat. Turbæ autē cùm vidiſſent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam dicentes: Verè hic miniſter Dei eſt, qui tanta facit in Iſraël: Factum eſt autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem ſpiritum Pythonis obuiare, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis diuinando. Hæc ſub ſecuta nos paululùm, clamabat dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt qui adnunciāt vobis viam ſalutis. Hoc autē faciebat multis diebus. Dolens igitur Paulus, dixit ſpiritui: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti, exi ab ea, & exiuit ab ea eadem hora. Poſtea verò cùm veniſſent quidam ex diſcipulis cum eo in Aſiam, diſputabat in ſchola Tyranni per biennium: ita vt omnes qui erant in Aſia, audirent verbum Dei, Iudæi atque Gentiles, virtutesque non modicas Deus faciebat per manus Pauli, ita vt etiam ſupra languidos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicincta, & recedebant ab

Hæc hiſtoria paulò fuſiùs explicatur. cap. 16. Act. & facta eſſe Philippis Macedoniæ refertur à Luca, à quo fortè Abdiam ſumpſiſſe credendum eſt.

Hoc alij & Romæ contigisse scribũt, & nomen adolescenti Patroclum indidere, quem Neronis fuisse scribũt pocillatorem.

ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. In vna autem sabbatorum cùm venissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat eis, profecturus in crastinum: protraxitque sermonem vsque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cænaculo, vbi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, depressus somno, cecidit de tertio cænaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari. Anima enim ipsius in eo est. Ascendensque rursus, fregit panem: & cùm gustasset, sermonem protraxit vsque in lucem. Intereà adducunt puerum viuentem, qui ex casu obierat, & consolati sunt omnes non minimum. Post hæc Paulus, ascẽsa naui, venit in Insulam quæ dicitur Miletus. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis, & accensa pyra reficiebãt nos omnes propter imbrem qui imminebat, & frigus. Cumque congregasset Paulus sarmento-

Hæc profectio S. Pauli in Miletum prolixiùs recitatur ca. 27. Act. Nõ enim spon-

mentorum aliquantam multitudi nem,& imposuisset super ignem, vipera à calore prorupit, inuasitq; manum eius. Vt verò viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtiq; homicida est homo hic,qui cùm euaserit de mari, vltio non permittit eum viuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuertendũ, & subitò casurum,ac moriturũ. Cùm autem illis sperantibus & videntibus,Paulo nihil mali fieret : conuertentes se dicebant,eum esse Deum, In locis autem illis erant prædia Principis, nomine Publij, qui nos suscipiens triduo,benignè exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria vexatum,iacere. Ad quẽ Paulus ingressus, cùm orasset, & imposuisset ei manus,saluauit eum. Quo facto omnes qui in insula habebant infirmitates,accedebant, & curabantur ab eo. Qui etiam multis honoribus Paulum sunt prosecuti. * Exinde nauigans venit Romam, ibique solutus à vinculis, mansit biennio toto in conducto suo, & suscipiebat omnes

tè venerat in Miletum, sed Romam missus à Festo præside Iudææ,ad Cæsarem vna cum Centurione Iulio & cohorte Italicà quibus custodiendus cum alijs captiuis erat traditus tempestate 14. diebus et noctibus iactata naui, venerāt casu ad littus Insulæ Mileti.

nès qui ingrediebantur ad eum, prędicans ſubinde regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto. Poſt crucem verò Petri, & eliſionem Simonis magi, in vrbe adhuc libera manebat cuſtodia, qui à corona etiam martyrij eadē die diſpenſatione diuina ſubtractus fuerat, vt per eū omnes gentes Euāgelij prædicatione impleretur. Itaque cùm Romā à Iulio centurione Paulus fuiſſet perductus, ſub vnius militis duntaxat cuſtodia conſtitutus, poſt tertiū diem conuocauit primores Iudæorum: cumque conueniſſent in hoſpitium eius, loquebatur illis: Ego, viri fratres (inquit) nihil aduerſus plebem faciens, aut conſuetudinem maiorum, vinctus ab Hieroſolymis traditus ſum in manus Romanorū, qui cùm inquiſitionē de me habuiſſent, conſtituerant me primò dimittere, eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me. Contradicentibus autē Iudæis, coactus ſum appellare Cæſarem. Quam ob cauſam cùm eſſem in itinere, rogaui vos videre & alloqui: Propter ſpem enim Iſraëlis hac ſum catena circundatus. At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te

** Hic multæ res geſtæ à Paulo omittuntur quas in Macedonia, Attica Corintho, Aſia Phrigia, Galatia, & Epheſo pro verbo Chriſti geſſit, quarum meminit tamen Luc. cap. Act. 13. 14. vſque ad 27. Porrò miſſus erat Romam à Feſto præſide Iudeæ, et Agrippa Rege, quia ad Cæſarem appellauerat.*

de te à Iudæa, neque adueniẽs aliquis fratrum adnunciauit nomen & conditionem tuam. Cupimus autem nũc ex te audire, quæ sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur. Igitur constituto die venerunt ad eum plurimi in hospitium, ex Iudæis. Quibus exponebat ille scripturas, testificãs regnum Dei, suadensque eis ex lege Moysi & Prophetis, à mane vsque ad vesperam docebat. Sed cùm non omnes crederent in Iesum, dixit Paulus ad eos: Spiritus sanctus rectè per Esaiam locutus est: Vade ad populum istum, & dicas: Aure audietis, & non intelligetis: & vidẽtes videbitis, & nõ poteritis perspicere. Incrassatum est enim cor populi huius, & oculos compresserunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo cupio esse vobis, & gentibus missum esse hoc salutare Dei, & ipsos ad salutem venturos. Et cùm hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, magnas inter se concertationes agitãtes. Ipse autem Paulus mansit Romæ toto illo biennio, in conducto suo, & suscipiebat omnes

qui

qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine impedimento. Hęc dum Romæ Apostolus faceret, interea apud Neronem Cæsarē defertur, quod nō solum nouam superstitionem inueheret, verumetiam aduersus Imperium seditiones excitaret. Accersitus igitur, & interrogatus à Nerone, vt rationem doctrinæ suæ redderet, ita coram Cæsare locutus est: De doctrina quidem magistri mei, de qua interrogasti me, non eam capiunt, nisi qui fidem mundo pectore adhibuerint. Quę enim pacis sunt & charitatis, docui, & per circuitū ab Hierusalem vsque in Illyricum repleui verbum pacis. Docui, vt homines se inuicem diligāt. Docui, vt inuicem se honore præueniant. Docui sublimes & diuites, se non extollere, & sperare in incerto diuitiarum, sed in Deum ponere spem suam. Docui mediocres, in victu & vestimento contentos esse. Docui pauperes, in sua egestate gaudere. Docui patres, filios suos docere disciplinam timoris Dei. Docui filios, obtemperare parentibus, & monitis salutaribus,

Hæc, quæ sequuntur omnia, in historia Actorū non habētur.

De Illyrico Orientali hæc intelligenda.

bus. Docui possidentes, reddere tributum sollicitudine. Docui negotiatores reddere vectigalia ministris Reipublicæ. Docui vxores, diligere viros suos, & timere eos quasi dominos. Docui viros, fidem seruare coniugibus, sicut illi seruari sibi pudorem omnibus modis volunt. Quod enim punit maritus in vxore adultera, hoc punit in marito adultero ipse pater & conditor rerum Deus. Docui præterea dominos, vt mitiùs cum seruis suis agant. Docui seruos, vt fideliter, & quasi Deo, ita seruiant dominis suis. Docui Ecclesiam credentium, vnum & omnipotentem, inuisibilem & incomprehensibilem colere Deum. Hæc autem mihi doctrina non ab hominibus, neque per hominem aliquem data est, sed per Iesum Christum, & patrem gloriæ, qui mihi de cælo locutus est. Et dum me mitteret ad prædicationem Dominus meus Iesus Christus, dixit mihi: Vade, & ego ero tecum, spiritus vitæ omnibus credentibus in me: & omnia quæcunque dixeris, aut feceris, ego iustificabo. Hæc cùm dixisset Paulus, Nero Imperator obstu-

Sententia mortis in Paulũ pronunciata à Nerone.

puit: indignatusque postea, sententiam in eum mortis pronunciauit, vt capite afficeretur. Et cùm ei de morte illius tardiùs nunciaretur, misit duos ex armigeris suis Nero, Feregam & Parthemium: qui euntes inuenerunt Paulum cum omni fiducia & libertate vniuersum populum de Christi mirabilibus instruentem. Hos cùm vidisset Paulus se accedẽtes, hortabatur eos dicens: Venite filij, & vos credite in Deum, vt saluentur animæ vestræ, qui me & omnes credentes sibi per aduentum vnigeniti filij sui suscitauit, & in regno suo quod æternum est, collocauit. Qui respondẽrũt dicentes: Nos quidem Paule, priùs ibimus ad Neronem, nunciantes ei finem mortis tuæ. Tu autem ora pro nobis, vt credamus illi, quem tu prædicas Deum. Rogabant enim Paulum pro salute sua, vt baprizarentur. Tum rursùs Apostolus: Post paululum (inquit) filij venite huc ad sepulchrum meum, & inuenietis duos viros orantes, Titum & Lucam: ipsi post me dabunt signum salutis. Et cùm hæc dixisset, superuenerunt milites, qui correptum eum foràs, extra ciuitatem duxe-

duxerunt. Paulus verò cùm venisset ad locum supplicij, cōuertit se contra Orientem: & eleuatis manibus ac oculis suis ad cælum, diutissimè orauit. Et completa oratione, dedit pacem fratribus, qui eum secuti fuerant: & valefaciens eis, flexis genibus, crucisque se signo muniens, ceruicem præbuit percussori. E cuius gladio, desecto capite pro sanguine lac cucurrit, ita vt percussoris dextram lactea vnda perfunderet. Quod cùm circunstantibus visum fuisset, obstupefacti omnes magnificauerunt Deum, qui tantam gloriā donauerat Apostolo suo. Cuius corpus Lucina Christi famula, secundo ab vrbe milliario via Hostiensi, in proprio prædio, differtum aromatibus sepeliuit. Passus est autē III. Kalend. Iulias, duobus iam à passione Petri elapsis annis, regnante domino nostro Iesu Christo, cui est apud æternum Patrem & Spiritum sanctum honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Sancti Pauli corona martyrij.

LIBER TERTIVS CERtaminis Apostolici, de gestis beati Andreæ Apostoli, authore Abdia Babyloniæ Episcopo, ipsorum Apostolorum discipulo, & Africano Episcopo interprete.

ANdreas Apostolus, Simonis Petri, qui Barionas cognominatus erat, frater germanus fuit & Ionæ filius: ex primis erat, qui Christo à Ioanne in Iordane baptizato adhæserunt. Audiens quippe à Ioāne in deserto: hunc Dei agnum esse, miraculo ductus, simul authoritate Ioannis, ad fratrem festinabundus contendit. Cui cùm de Christo significasset, Petro persuasit, vt sese ad illum contemplandum sequeretur. Quam rem mox casus insecutus est, vt quo tempore is cum Simone fratre retia in mare mitteret, Christus fortè transiret: à quo ambo vocati fratres, sine mora discipuli magistrum secuti sunt. Quo in munere cùm diu Christum se-

que

queretur, probatus magistro, ad Apostolatus demum apicem ante passionem vocatus fuit. Et hæc quidē ante Dominicā passionem, ab hoc Dei viro gesta sunt. At verò post illū Dominicę ascensionis nobilē gloriosumq; triūphum, cùm beati Apostoli prædicare verbum Domini per diuersas regiones incepissent, tum & Andreas Apostolus apud Achaiam prouinciam, adnunciare Dominum Iesum Christum exorsus est. Eodē tempore Matthæus Apostolus, qui & Euangelista, Myrmidoni vrbi verbum salutis adnunciauerat: sed incolæ ciuitatis illius grauiter & indignè ferentes, quæ de redemptoris nostri virtutibus audiuerant, ac sua nolentes destruere templa, beatum Apostolum eruditis oculis, catenisque oneratum carceri incluserant, eo animo, vt paucis interpositis diebus interficerent. Quod antequam fieret, Angelus à Domino missus ad Andream Apostolum, vt in Myrmidonem ciuitatem maturaret, & fratrem Matthæū de squalore carceris erueret, monuit. Cui ille ait: Domine, ecce viam nescio, & quò ibo? Et ille: Vade (inquit) ad littus

S. Andreæ prima ex Iudæa in Achaiam profectio.

maris, & inuenies nauem, quam ſtatim conſcende, ego enim ero dux itineris tui. Paruit Andreas, inuentamque nauem aſcendens, flantibus ventis congruis proſperè nauigauit ad vrbem. Quam vt ingreſſus eſt, ad publicum ſe illico carcerem contulit, inueniēsque cū reliquis vinctis Matthæū, amariſsimè fleuit, & facta oratione hæc verba locutus eſt: Domine Ieſu Chriſte, quem fideliter, prædicamus, & ob cuius nomen tanta perferimus, qui cæcis viſum, ſurdis auditū, paralyticis greſſum, leproſis mundiciam, mortuis vitam, immenſa clementia largiri dignatus es, aperi oculos ſerui tui, vt eat ad annunciandum verbum tuum. Et ſtatim locus ille cōtremuit, & lumen refulſit in carcere, & oculi beati Apoſtoli reſtaurati, & cunctorum cathenæ confractæ ſunt, & trabes, in qua pedes eorum coartati erāt, ſciſſa eſt. Quibus factis, omnes magnificabant Dominum, dicentes: Quia magnus eſt Deus, quem prædicant ſerui eius. Ita educti per beatum Andream de ſqualore carceris, omnes qui capti fuerant, abijt vnuſquiſque ad propria: cum quibus & Mat-

Matthæus recesserat. Ipse verò Andreas manens apud Myrmidonem, prædicabat incolis verbum Domini: quod cùm minùs audirent, adprehensum Andream, ligatis pedibus per plateas ciuitatis trahebant. Quibus in tormentis cùm iam sanguis effueret. & capilli vellerentur, Apostolus ad Dominum in hæc verba orationem habuit: Aperi Domine IESV Christe, oculos cordium illorum, vt cognoscant te DEVM verum, & desistant ab hac iniquitate: neque velis hoc illis peccatum statuere, quia nesciunt quid faciunt. Hæc cùm dixisset, timor subitus inuasit incolas ciuitatis illius, vt dimisso Apostolo. peccatum agnoscerent, dicentes: Peccauimus in iustum, cumque se ad pedes Apostoli demitterent, remissionem delicti, & sibi ostendi viam salutis petebant. Quibus ille erectis, prædicabat Dominum IESVM Christum, & miracula quæ fecerat in hoc mundo ostendit. & quemadmodum ipsum mundum iam pereuntem proprio cruore redemerit. Ita vendicatis. Domino incolis eius ciuitatis, cunctos in nomine patris & filij &

ſpiritus ſancti, conceſſa peccatorum remiſſione baptizauit.

Quibus geſtis, recedens ab eo loco, venit in regionem ſuam: vbi cùm ambularet cum diſcipulis ſuis, acceſſit ad eum cæcus quidam, & ait: Andrea Apoſtole Chriſti, ſcio quia poſſes mihi reddere viſum, ſed nolo eum recipere. Hoc tantùm deprecor, vt iubeas his qui tecum ſunt, tantùm conferre pecuniæ, vnde veſtitum & victum comparem. Cui Andreas: Verè (inquit) cognoſco, hanc non hominis, ſed diaboli vocem eſſe, qui non ſinit hominem iſtum recipere viſum, & conuerſus, tetigit oculos cæci, & confeſtim recepit lumen, & glorificabat Deum. Cumque veſtimẽtum vile haberet, & hiſpidum, ait Apoſtolus ad diſcipulos ſuos: Auferte ab eo veſtimenta ſordida, & date ei indumentum nouum. Et cùm omnibus, qui cæcus erat, expoliatus eſſet, inquit Apoſtolus: Quod ſufficit illi, hoc accipiat. Et ſic accepto veſtimento, gratias agens redijt in domum ſuam. Interea Demetrij cuiuſdam, primi ciuitatis Amaſæorum, puer erat Aegyptius, quem amore vnico diligebat.

Ad vrbem Amaſæorũ profectio.

Is

Is correptus febri, fortè eo tempore ſpiritum exhalauerat. Itaque auditis Demetrius ſignis, quæ faciebat beatus Apoſtolus, venit ad eum, & procidens cum lachrymis ante pedes eius inquit: Nihil tibi difficile eſt ô miniſter Dei. Ecce puer meus quem vnicè diligebam, mortuus eſt. Confido autem, & rogo, vt domum meam ingreſſus, eum, vt potes, reddas mihi. Hæc audiens beatus Apoſtolus, condolens lachrymis eius, venit ad domum in qua puer decumbebat, & prædicans diutiſſimè ea, quæ ad ſalutem populi pertinebant, cõuerſus ad feretrum, ait: Tibi dico puer, in nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ſta ſanus. Et confeſtim ſurrexit puer Aegyptius, & reddidit illum Apoſtolus domino ſuo. Tunc omnes qui erant increduli, crediderunt in Deum, & baptizati ſunt à beato Andrea. Dum hæc fierent, puer quidam Soſtratus nomine, venit ſecretiùs ad beatũ Andream conquerens: Mater mea (inquit) concupiuit formã ſpeciei meæ, & iugiter me inſectatur, vt commiſcear ei: quod ego infandum execratus, fugi. At illa felle commota, adijt Proconſulem

prouinciæ, vt crimen ſuum retorque-
at in me. Et ſcio, cùm accuſatus fue-
ro, quia nihil habeo quod ad hæc re-
ſpondeam. Satiùs autem duco vitam
amittere, quàm matris detegere cri-
men. Nunc autem hæc tibi confiteor,
vt digneris pro me Dominum exora-
re, ne innocens præſenti vita priuer.
Hæc eo dicente, venerunt miniſtri
Proconſulis, accerſentes eum. Beatus
verò Apoſtolus facta oratione ſurre-
xit, & abijt cum puero. Mater autem
inſtanter accuſabat eum, dicens: Hic,
Domine Proconſul, oblitus maternæ
pietatis, ſtuprum mihi inferre voluit,
adeò vt vix ab eo me eripere potue-
rim, ne violaret. Ad quæ Proconſul:
Dic (inquit) puer ſi vera ſunt iſta, quæ
mater tua proſequitur. At ille tace-
bat. Iterum atque iterum interroga-
bat Proconſul, & nihil ei quicquam
puer reſpondit. Durante autem eo in
ſilentio, Proconſul habebat cum ſuis
conſilium, quid eſſet ea re agendum.
Mater autem pueri cœpit flere. Ad
quam conuerſus beatus Andreas A-
poſtolus, inquit: O infelix, quæ fletus
emittis amaritudinis, propterince-
ſtum quem in filium es meditata. Quē
adeò

Vel hoc authori fidem confirmat. Nã Achaia Proconſulē perpetuò habebat, id quod in opere noſtro Reipub. Romanæ prolixè oſtendimus.

adeò concupiſcentia præcipitauit, vt vnicum amittere filium, libidine inflammante, non verearis. Hæc eo dicente, mulier ait: Audi Proconſul, poſtquam filius meus hæc in me molitus eſt, homini huic ab eo tempore adhæſit ſemper. Proconſul autem ſuper his ira commotus, puerum iuſſit in culleum parricidij recludi, & in flumen proijci: Andream autem in carcerem retrudi, donec excogitatis ſupplicijs & ipſum perderet. Tum verò orante beato Apoſtolo, mox terræmotus magnus cum tonitru graui factus eſt, & Proconſul de ſede cecidit, & omnes terræ decubuerunt. Tum & mater pueri percuſſa aruit, & mortua eſt. Quæ videns Proconſul, proſtratus pedibus ſancti Apoſtoli: Miſerere (inquit) pereuntibus, famule Dei, ne terra nos deglutiat. Orante igitur beato Apoſtolo, confeſtim terræmotus ceſſauit, ac fulgura & tonitrua quieuêre. Ipſe autem circumiens eos qui turbati iacebant, cunctos ſanitati reſtituit. Ex eo tempore & Proconſul, & multi alij in Achaia prouincia, ſuſcipientes verbum Domini, crediderunt in Ieſum Chriſtum, &

In Synopen Achaiæ ciuitatē commigratio.

baptizati sunt ab Apostolo Domini. Contigit autē, vt eo tempore Cratini quoq; Synopensis filius, dū in balneo mulierū lauaretur, à dæmone, perdito sensu grauiter cruciaretur. Ipse igitur cùm & febre grauiter ægrotaret, & vxor similiter hydrope intumuisset, epistolam ad Proconsulem misit, in qua rogabat, vt Andreā exoraret, ad se, vt veniret. Deprecāte igitur Proconsule, Andreas ascenso vehiculo venit ad ciuitatē, cumq; introijsset in domum Cratini, conturbauit spiritus malignus puerū, & venit & procidit ante pedes beati Apostoli. Quem ille increpans: discede (inquit) humani generis inimice, à famulo Dei, & statim multum clamitans, ab eo discessit. Et veniens Apostolus ad stratum Cratini: Rectè ægrotas, ait, qui relicto proprio thoro, scorto misceris. Surge in nomine Domini IESV Christi, & sta sanus, & noli vltrà peccare, ne maiorem ægrotationem incurras. Et sanatus est ex illa hora Cratinus. Mulieri quoque dixit: decepit te, ô infelix mulier, concupiscentia oculorum, vt relicto coniuge, alijs miscereris: & ait: Domine Iesu Christe,

Christe, deprecor piam misericordiā tuam, vt exaudias seruum tuum, & præstes, vt si hæc mulier ad cœnum libidinis, quo priùs erat fœdata, fuerit reuoluta, non sanetur omnino. Quare si Domine nouisti, cuius potentia etiā futura prænoscūtur, quod deinceps hæc mulier ab hoc possit se flagitio abstinere, iam te iubente, sanetur. Hæc eo dicente, disrupto per inferiorem partem humore, sanata est cum viro suo. Beatus autem Apostolus, cùm gratias egisset, fregit panem, & dedit ei. Quo accepto, credidit Domino, cum omni domo sua: nec deinceps illa scelus, aut, vir eius, quod priùs admiserant, perpetrauerunt. Quibus factis, Cratinus cùm magna munera Apostolo, prostratus in terra cum vxore, tribuere vellet: Non est meum (inquit vir Dei) hæc accipere dilectissimi: sed potiùs vestrum est, ea indigentibus erogare. Et ita nihil accipiens ex his quæ offerabātur, Nicæam proficiscitur, in Asiā, vbi erant septem dæmones inter monumenta commorantes, secus viā: qui prætereuntes homines quotidie lapidabant, & morte afficiebant. Veniente autem

Ex Achaia in Asiam profectio.

beato Apoſtolo, exijt ei obuiam vniuerſa ciuitas cum ramis oliuarum, proclamantes laudes, atque dicentes: Salus noſtra in manu tua eſt, homo Dei. Et cùm expoſuiſſent omnem rei ordinem, reſpondit Apoſtolus: Si creditis in Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei omnipotentis, cum ſpiritu ſancto vnum Deum, liberabimini eius auxilio, ab hac dæmonum infeſtatione. At illi clamabant dicentes: Quæcunque prædicaueris, credimus, & obaudimus iuſſioni tuę, vt modò ab iſta tentatione liberemur: At ille gratias agens Deo, pro eorum fide, iuſſit ipſos dæmones in conſpectu omnis populi eius adſiſtere: qui venerunt in ſimilitudine canum. Tunc conuerſus Apoſtolus ad populum, inquit: Ecce dæmones, qui aduerſati ſunt vobis. Si itaque creditis, quòd in nomine IESV Chriſti poſſim eis imperare, vt deſiſtant à vobis, confitemini coram me. At illi clamauerũt dicentes: Credimus IESVM Chriſtum filium DEI eſſe, quem prædicas. Tunc beatus Andreas imperauit dæmonibus dicens: Ite in loca arida & in fructuoſa, nulli pœnitus homi-

homini nocentes, neque accessum habentes, vbicunque nomen Domini fuerit inuocatum, donec accipiatis debitum vobis supplicium ignis æterni. Hæc eo dicente, dæmones dato rugitu euanuerunt ex oculis adsistentium, & liberata est ciuitas ea ex illa hora. Baptizauit quoque incolas illius beatus Apostolus: & instituit eis Episcopum Calistum, virum sapientem, & irreprehensibiliter custodientem quæ à doctore susceperat. Postea egressus Nicæã Andreas, cùm ad portam Nicomediæ appropinquaret, efferebatur mortuus in grabato, cuius pater senex seruorum sustentatus manibus, vix obsequium funebri valebat impendere. Mater quoque hac ætate grauata, sparsis crinibus sequebatur, dicens: Væ mihi cuius vsque ad hoc tempus ætas producta est, vt funeris mei apparatum in filijs funus expendam. Cumque hæc & similia deplorantes cadauer vociferando prosequerentur, affuit Apostolus Domini, condolensque lachrymis eorum, ait: Dicite mihi obsecro, quid huic puero contigit, vt ab hac luce migraret? At illi præ timore

Primus Episcopus Niceæ à Beato Andrea ordinatus.

diu

diu nihil respondere poterant. tandem collecta mente, subiecerunt: Dũ esset (inquiunt) iuuenis iste in cubiculo solus, aduenerunt subitò septem canes, & irruerunt in eum. Ab his igitur miserrimè discerptus, cecidit, & mortuus est. Tunc beatus Andreas suspirans, & in cælum oculos erigens, cum lachrymis ait: Scio Domine, quia dæmonum illorum fuerunt insidiæ, quos à Nicæa vrbe pepuli: & nunc rogo Iesu benigne, vt resuscites eũ, ne cõgaudeat aduersarius humani generis de eius interitu. Et hæc dicens, ait ad patrem mortui: Quid dabis mihi, si restituero tibi filium tuum saluum? Et ille: Nihil habeo preciosius: ipsum enim dabo, si ad vitam surrexerit, te iubente. Quibus dictis, iterum beatus Apostolus ad cælum expansis manibus orauit, dicens: Redeat quæso Domine anima pueri, vt isto resuscitato, relictis cuncti idolis, ad te conuertantur, fiatque eius viuificatio salus omnium pereuntium, vt iam non ampliùs subdantur morti, sed tui effecti vitam mereantur æternam. Respondentibus autem fidelibus, Amẽ, conuersus ad feretrum, inquit: In no-

nomine IESV Christi surge, & sta super pedes tuos. Et statim admirante populo surrexit, ita omnes qui aderant, voce magna clamarent: Magnus est Deus Christus, quem prædicat seruus eius Andreas. Parentes quoque pueri multa munera dederunt filio suscitato à mortuis, quæ beato Apostolo offerret, sed ille nihil ex his accepit: puerum tantum secum ad Macedoniam abire præcipiens, salutaribus verbis instruxit. Egressus itaque Nicomedia Apostolus, nauē conscendit, ingressusque Hellespontum fretū nauigabat, vt veniret Bizantium. Et ecce commotum est mare, & incubuit super eos ventus validus, ita vt nauis mergeretur. Itaque cùm omnes mortis periculum præstolarentur, orauit beatus Andreas ad Dominum, præcipiensque vento, siluit. Quieuerunt autem mox & fluctus maris, & tranquillitas secuta est: ereptiq; omnes à presenti discrimine, Byzantium peruenerūt, † Inde progressi, vt transirent Thracias, occurrit eis multitudo hominum à longè cum euaginatis gladijs, lanceas manu gestantium, qui volebant in illos irruere.

Sancti Andreæ ex Asia in Macedoniam profectio.

Sanctus Andreas Constantinopoli fuit, hoc est Byzantij, in itinere cum in Macedoniam iret.

Quod

Quod cùm vidisset Andreas Apostolus, faciens crucis signum contra eos, ait: Oro Domine, vt decidat pater eorum, qui hæc eos agere instigauit, Conturbentur virtute diuina, ne lædant sperantes in te. Hæc eo dicente, Angelus Domini cum magno splendore præteriens, tetigit gladios eorũ, & mox corruerunt proni omnes in terram. Et ita beatus Apostolus cum suis sine detrimento præteriuit. Et qui hostes antea fuerant, proiectis gladijs adorabant illum, Angelusque Domini cum ingenti lumine recessit, Intereà Andreas emenso itinere, ad Perinthum ciuitatem Thraciæ maritimam peruenerat, vt naue in Macedoniam traijceret. Cumque angeli monitu, qui ei iterum apparuit, nauem conscendisset, antequam soluerent à terra, verbum Domini cunctis in naui secum existentibus prædicabat. Cuius verbis salutaribus persuasi cuncti, cum ipso nauis præfecto, in Iesum Christum credentes, glorificabant Deum. Quare lætatus sanctus Apostolus, quòd nec in mari defuerit, qui verbum Domini audiret, & ad filium Dei omnipotentis conuertere-

E Perintho in Macedoniam transfretatio.

tere-

teretur, glorificabat & laudabat Deũ conditorem cæli & terræ. Dum hæc fierent, & antequam adhuc Apostolus in Macedoniam peruenisset, accidit quòd duo viri in Philippis fratres germani essent, nobiles, & quibus erat magna domi facultas: erantque alteri filij duo, alteri totidem filiæ. Hi, cùm in ciuibus nulli forent, qui dignè generationi illorum iungi possent, inito fœdere obligauerunt se mutuò, vt vnam domum facerent, & vnius filij alterius filias in matrimonium acciperent. Cumque iam dies nuptiarum esset constitutus, factum est verbum Domini ad eos, dicens: Nolite coniungere liberos vestros, donec huc veniat famulus meus Andreas: ipse enim vobis, quæ agere debeatis, ostendet. Iam autem thalamus præparatus erat, & conuiuæ vocati erant, omnisque apparatus nuptialis in promptu tenebatur. Intereà triduo elapso, aduenit beatus Apostolus, & videntes eum gauisi sunt magno gaudio: & occurrentes ei cum coronis, processerunt ante pedes eius, & dixerunt: Te admoniti præstolamur famule Dei, vt venias & ad-

In Philippos Macedoniæ vrbem commigratio.

Mos antiquus cum coronis obuiam procedere, cuius sæpe T. Liuius meminit.

& adnuncies nobis , quid faciamus. Sumus enim oraculo diuino iussi te operiri : & ne antea coniungerentur liberi nostri, quàm tu venires, indicatum est nobis. Erat autem tunc vultus beati Apostoli tanquam Sol relucens, ita vt omnes admirarentur, & honorarent eum. Qui cùm audiuisset quæ gesta essent, Nolitẽ(ait) filioli, nolite seduci , nolite decipere hos iuuenes , quibus potest fructus apparere iustitiæ. Sed magis pœnitentiam agite, quia deliquistis in Dominũ, vt proximo sanguine velletis polluere coniugia filiorum vestrorum. Neq; verò nos nuptias euertimus, aut vetamus, cùm ab initio Deus masculum iungi præcepisset, & fœminam: verùm incesta potiùs damnamus. Hæc eo loquente, commoti parentes eorum dixerunt: Oramus Domine, vt depreceris pro nobis Deum tuum, quia nescientes fecimus hoc delictũ. Adolescentes autem videntes vultũ Apostoli splendere tanquam angeli Dei, dicebant: Magna & immaculata est doctrina tua, vir beate, quod nesciebamus. Nunc enim verè cognouimus, quia Deus loquitur in te. Ad

quos

quos conuersus sanctus Andreas: Custodite (inquit) sine pollutione, quæ audistis à me, vt sit DEVS vobiscum, & accipiatis mercedem operis vestri: id est, sempiternam vitam, quæ nullo clauditur fine. Hæc dicens Apostolus, benedixit eis: & relictis Philippis, perrexit in Thessalonicam. Vbi iuuenis quidam nobilis erat, diues opibus, Exoos nomine, cuius parentes magno in ea ciuitate loco erant. Hic cùm de virtutibus beati Andreæ cognouisset, venit ad Apostolum inscijs parentibus: & procidens ad pedes eius rogabat eum, dicens: Ostende mihi Domine viam veritatis, vt immortalitatem consequi possim. Cognoui enim, quòd verus minister sis eius, qui te misit. Sanctus verò Apostolus prædicabat ei Dominum Iesum Christũ, & credidit adolescens, ex illa hora adhærens viro Dei, nulla facta vel parentum vel facultatum suarum mentione. Interea parentes requirentes filium, cùm audiuissent quòd cum Apostolo moraretur, accedentes muneribus filium ab Andrea separare nitebantur. Sed noluit adolescens obtemperare, dicens: Vtinam nec vos

has

has opes haberetis: & mundi simul cognoscentes authorem, qui est verus Deus; animas vestras ab ira futura erueretis. Quæ dum iuuenis faceret, sanctus quoque Apostolus descendit de tristega, & prædicabat eis verbum Domini: sed non audientibus redijt ad puerum, & clausit ostia domus. At illi vocata cohorte, venerunt, vt incenderent domum cumque scirpos & faculas subiecissent, & iam flamma ferretur in altum, arrepta adolescens ampulla aquæ, Domine inquit, Iesu Christe, in cuius manu omnium elementorum, natura consistit, qui arentia inficis, & infecta facis arescere: qui ignita refrigeras, & extincta succendis: extingue iam hos ignes, vt tui non tepescant, sed magis ad fidem accendantur: & hæc dicens, effudit desuper aquam ex ampulla: & statim omne incendium ita sublatum est, ac si nunquam accensum fuisset. Quod videntes parentes pueri, dicebant. Ecce filius iam noster magus effectus est. Et adhibentes scalas, volebant ascendere in tristegam, vt eos interficerent. Dominus autem excæcauit eos ne viderent

Tristega habitatio triũ contignationum in ædibus altissima Græca vox est.

rent aſcenſum ſcalarum. Quumque in hac peruerſitate durarent, quidam Lyſimachus è ciuibus ait: Vt quid ô viri, caſſo vos labore conſumitis? Deus enim pugnat pro viris iſtis, & vos non cognoſcitis, deſiſtite ab hac ſtultitia, ne vos cæleſtis ira conſumat. Hæc eo dicente, compunctionis corde dicebant: Verus eſt Deus, quem iſti colunt, quem & nos ſequi conſtituimus. Aduenerant autem iam tenebræ noctis, & ſubitò lumen affulſit, & omnium oculi illuminati ſunt aſcendenteſque vbi erat Apoſtolus cum puero, inuenerunt eum orantem. Proſtrati igitur in pauimento, clamabant dicentes: Te rogamus Domine, vt ores pro ſeruis tuis, qui errore ſeducti ſunt. Tanta autem omnes compunctio cordis tetigerat, vt diceret Lyſimachus, qui vicinus erat: Verè Chriſtus eſt filius Dei, quem prædicat ſeruus eius Andreas. Itaque cùm omnes corroborati ab Apoſtolo in fide crederent, parētes tamen infideles manſerunt, & execrantes adoleſcentem, domum regreſſi ſunt, ſubdētes omnia

quæ

quæ habebant publicis ditionibus. Qui haud multò pòst, quinquaginta diebus elapsis, vnius horæ momento expirauerunt. Et post hæc, propterea quòd diligerent omnes viri ciuitatis adolescentem, ob mansuetudinem eius, patrimonium ei à publico est restitutum. Et cùm possideret cuncta quæ parentes eius habebant, non tamen discedebat ab Apostolo, sed fructus prædiorum in pauperum necessitatibus, & curis indigentium expendebat. Igitur cùm multo tempore apud Thessalonicam sanctus Apostolus Domini vnà cum adolescente moraretur, congregatis subinde in theatrum multis hominum millibus, prædicabat non solùm Andreas verbum Dei, sed ipse etiam iuuenis, adeò vt mirarentur cuncti prudentiam eius. Itaque euenit postmodum, vt Carpini cuiusdam ciuis filius valdè ægrotaret, pro quo cùm multi & apud adolescentem, & apud Apostolum ipsum precibus intercederent: Nihil est (inquit sanctus Andreas) impossibile apud Dominum. Sed tamen vt credatis, adducite eum in conspectum nostrum, & sanabit illum Dominus

Iesus

Iesus Christus. Quæ audiens pater ęgroti, cucurrit mox ad filium suum domum. Hodie Adimathe, inquit (hoc enim erat ægroti pueri nomen) sanus eris. Ad quem filius: iam video insomnij mei exitum, nam per quietem hunc vidi virum,,qui me sanabit. Et hæc dicens, induit vestimenta sua. surrexitque à grabato, & pergebat ad theatrum cursu veloci, ita vt nō possent parentes vestigia eius adsequi, & procidens ad pedes beati Apostoli, gratias egit pro sanitate recepta. Populus autem qui aderat, obstupescebat, videns eum post viginti tres annos ambulantem, ex quo lecto fixus fuisset: glorificabantq; cuncti Dominum, dicentes: Quia non est similis Deo Andreæ. Accessit & alius à ciuibus tum ad beatum virum, cuius filius spiritum immundum habebat: Sana quæso (ait) vir Dei filium meum, quia malè vexatur à dæmonio. Dæmon verò sciens futurum se eijci, seduxit puerum in secretum cubiculū. & suffocauit eum laqueo, extorquens animam eius. Denique pater, cùm inuenisset filium mortuū, plurimùm fleuit, & ait amicis: Ferte cadauer ad

theatrum. Confido enim quòd poterit resuscitari ab hospite, qui prædicat Deum verum. Quod vbi factum fuisset, ac posito coram Apostolo cadauere, totam rei causam cognouisset, conuersus ad populum Andreas: Quid (inquit) vobis proderit, viri Thessalonicenses, cùm hæc fieri videtis, & non creditis? At illi dixerunt: Ne dubites, quin isto resuscitato, omnes in Deum tuum credituri simus. Hæc illis dicentibus, ait Apostolus: In nomine IESV CHRISTI surge puer, & statim surrexit, & stupefactus omnis populus clamabat dicens: Nũc credimus Deo illi cuncti, quem prædicas. Sufficiunt hæc nobis. Et deducentes eum ad domum suam cum facibus & lucernis, eò quòd iam nox aduenisset, manserunt apud eum per triduum: quo tempore de illis quæ DEI erant, abundè omnes instruxit.

Dum hæc apud Thessalonicam fiunt, interea vir quidam ex Philippis, Medias nomine, cuius filius graui ægritudine torquebatur, Thessalonicam ad Apostolum venit, deprecans filij sanitatem, tanto animi affectu,

vt

vt lachrymas emitteret. Beatus Apostolus abstergens genas eius, & caput manu demulcens, dicebat: Confortare fili: tantùm crede, & implebuntur voluntates tuæ, adprehensaque manu illius, cum eo ibat in Philippos. Cumque ingrederentur portam ciuitatis, occurrit ei senex rogans pro filijs, quos carceri conclusos Medias habebat, vlceribus penè, & temporis diuturnitate putrefactos. Vbi conuersus ad Mediam, sanctus Andreas: Audi homo, tu quidem deprecaris, vt sanetur filius tuus: cùm apud te vincti retineantur, quorum iam sunt carnes exesæ. Quare si preces tuas vis ad Dominum proficisci, solue priùs miserorum cathenas, vt filius tuus à debilitate laxetur. Nam sentio impedimentum fieri precibus meis, maliciam quam exerces. Quæ audiens Medias, procidit ad pedes Apostoli, & deosculans inquit: Absoluantur & hi duo, & alij septem, de quibus nihil audiuisti, tantùm vt sanetur filius meus. & iussit eos in conspectum beati Apostoli exhiberi. At ille imponens eis manus, & per triduum abluens vulnera eorum, sanitati restituit,

Reditus in Philippos.

tuit, libertatiq; donauit. Postera verò die ait ad puerum: Surge in nomine Iesu Christi, qui me misit, vt medear infirmitati tuæ: & adprehensa manu eius, leuauit eum. Qui statim surrexit, & ambulabat, magnificans Dominum. Vocabatur autem puer ille Philomedes, qui tribus decubuerat annis. Clamante autem plebe, & dicente: Et nostris medere infirmis, famule Dei, conuersus ait Andreas ad puerum: Vade per domos ægrotantium, & in nomine Iesu Christi, in quo sanatus es tu, iube eos exurgere. At illi admirantibus cunctis, abijt per domos infirmorum, inuocatoq; Christi nomine, restituebat sanitati quotidie quàm plurimos. Credidit igitur eo tempore omnis populus Philipporum, offerensque ei munera, rogant multi vt audirent verbum Dei. Beatus verò Apostolus prædicans Deum verum, nihil de muneribus accipiebat: Denique Nicolaus quidam ex ciuium numero, exhibens carrucam deauratam cum quatuor mulis candidis, totidemque equis, obtulit beato Apostolo dicens: Hæc accipe famule Dei, quibus nihil inueni in re-

bu

bus meis præſtantiùs, tantùm vt ſanetur filia mea, quæ diutino morbo cruciatur. Cui ſubridens beatus Apoſtolus: Accipio quidem(inquit)munera tua Nicolae chariſſime, ſed non hæc viſibilia. Nam ſi pro filia quæ precioſa in domo tua habes offerre cupis, quantò magis pro anima debes tale quoddam munus precioſum offerre? Ego verò hoc ſolùm à te accipere cupio, vt homo ille interior cognoſcat verum DEVM factorem ſuum, rerumque omnium creatorem, qui terrena reſpuat, & æterna deſideret; qui caduca negligat, ſempiterna diligat: qui illa quæ videntur cōtemplatione ſpiritalis intentionis aduertat, vt cùm in his exercitato ſenſu vigueris vitam æternam conſequi merearis: filiam hic ſanitati redditam, etiam in illo æternitatis gaudio perfruaris. Hæc eo dicente. perſuaſit omnibus, vt relictis idolis, Deum verum crederent, filiam quoque ipſius eiuſdem Nicolai ſanauit ab infirmitate in illa hora, & omnes magnificabant eum, percurrente per totam Macedoniam fama de virtutibus, quas faciebat ſuper infirmos Apoſtolus

Domini. Euenit porrò sequenti die, cùm doceret beatus Andreas populos, vt adolescens quidam exclamaret voce magna dicens: Quid tibi & nobis Andrea famule Dei? venisti ne vt nos è proprijs sedibus exturbares? Tunc beatus Apostolus vocato ad se iuuene, ait: Enarra author criminis, quod sit opus tuum? Et ille Ego (inquit) in hoc puero, ab adolescentia eius habitaui, suspicans quod nunquam ab eo recederem. Nudiustertius autem audiui patrem illius dicentem amico suo: Vadam ad hominem famulum DEI Andream, & sanabit filium meum. Timens igitur cruciatus, quos nobis infers, ecce egrediar ex eo coram te. Et hæc dicens, prostratus solo ante pedes Apostoli, exijt à puero, & sanatus est ex illa hora, surgensque voce magna glorificabat Deum. Tantam verò gratiam Deus præstiterat sancto Apostolo, vt sua sponte quotidie multi venirent ad audiendum verbum salutis. Sed & philosophi veniebant & disserebant cum eo, & nemo poterat resistere doctrinæ eius. Igitur cùm hæc agerentur à viro Dei apud Thes-

saloni-

ſalonicam, ſurrexit quidam inimicus prædicationis Apoſtolicæ, is acceſſit Proconſulem prouinciæ Quirinum, & ei de Andrea ſignificauit, quemadmodum multos quotidie à religione maiorum & Deorum cultura auerteret, in Theſſalonica: qui templa deorum prædicaret deſtrui, cæremonias reſpui, & omnia priſtinæ legis decreta conuelli, vnum Deum tantùm coli præcipiens, cuius etiam ſe famulum profiteretur. Quibus commotus Proconſul, milites qui comprehenderent ipſum, miſit. Qui conuenientes ad portam, in qua domo commoraretur Apoſtolus, didicerunt. Ingredienteſque illam cùm vidiſſent vultum eius fulgore nimio reſplendentem timore perterriti ceciderunt ante pedes eius. Beatus verò Apoſtolus narrabat audientibus, quæ de eo Proconſuli nunciata fuiſſent, & venietes populi cum gladijs & fuſtibus volebant milites interficere: ſed prohibuit ſanctus Apoſtolus. Impeditis igitur Proconſul ijs quæ conſtituerat, fremuit valdè: & miſit alios viginti, & ipſi aſcendentes in domum, cùm vidiſſent beatum Apoſtolum, turbati nihil dixere. Quæ

Proconſul vt accepit, iratus miſit aliam militum cateruam, qui eum cum vi adducerent. Quibus viſis, Apoſtolus ait: Nunquid propter me veniſtis? Et illi: Propter te (inquiunt) ſi tamen tu es magus, qui prædicas Deos non coli. Quibus ille reſpondit: Ego magus non ſum, ſed Apoſtolus Dei mei Ieſu Chriſti, quem prædico. Dum hæc agerentur, vnus militum arreptus à dæmone, euaginato gladio clamans dixit: Quid mihi & tibi, Quirine Proconſul, vt mitteres me ad hominem, qui non modò extrudere ab hoc vaſe, verùm etiam ſuis me virtutibus incendere poteſt? vtinam venires ad occurſum ei, & nihil mali ageres contra illum. Quum autem hæc dixiſſet, egreſſus eſt à milite, ceciditque miles, & mortuus eſt. Intereà adfuit Proconſul cum magno furore, & ſtans ſecus ſanctum Apoſtolum, eum tamen videre nequiuit: Cui ille dixit: Ego ſum quem quæris Proconſul. & ſtatim aperti ſunt oculi eius, & vidit illum, & indignãs ait: Quæ eſt hæc inſania, vt contemnas iuſſionem noſtram, & miniſtros noſtros ſubijcias ditioni tuæ? Iam

verè

verè te magum atque maleficum esse, manifestum est.

Quapropter feris te obijciam, & quòd nos & quòd deos contemnas: & tunc videbo, si te possit eripere crucifixus quem predicas. Cui beatus Apostolus: Oportet (inquit) & te credere Proconsul, Deum verũ. & quem misit filium eius Iesum Christum, præsertim cùm videas vnum de militibus tuis interijsse. & prostratus ad orationem sanctus Apostolus, cùm diutissimè preces fudisset ad Dominum, tetigit militem, dicens: Surge, suscitat te Dominus meus Iesus Christus, quem prædico. & statim surrexit miles, & stetit sanus. Cumque populus acclamaret, Gloria Deo nostro: Proconsul ait, Nolite credere ô simplices, magus est. At illi clamabant, dicentes: Non est hæc magica, sed doctrina vera & sana. Ad quæ Proconsul: Hominẽ istum bestijs tradam, & de vobis scribam Cæsari, vt velociter pereatis, quia contemnitis leges eius. Illi autem volentes eum lapidibus obruere, dicebant: Scribe Cæsari, quia Macedones recepere verbum Dei, & contemptis idolis Deum

Macedones magna ciuitas.

verum adorant. Ad quæ iratus Proconsul, abijt in Prætorium: & facto mane, intromisit feras in stadium, & iussit eò trahi ac proijci beatum Andream. Quo adprehenso, cum capillis tractus ac fustibus impulsus in harena fuisset relictus, admiserunt aprum ferocem & horribilem, qui ter cùm circuisset sanctum Dei, nihil nocuit. Videntes autem hæc populi, dederunt gloriam Deo. Proconsul verò iussit adduci taurum, quii triginta militibus tractus, & à duobus venatoribus impulsus, Andream non attigit, sed venatores in frusta discerpsit: & postremò dans mugitũ, cecidit, & mortuus est, & statim acclamabat populus dicens: Verus Deus Christus. Dum hæc agerentur, Angelus Domini visus est descendisse de cælo, & confortabat S. Apostolum in stadio. Denique Proconsul feruens ira, iussit leopardum ferocissimum dimitti. qui dimissus, reliquit populum: & ascendens ad sedem Proconsulis, arripuit filium eius, & suffocauit eum. Tantaq; insania Proconsulem obtinuerat, vt neque de his aliquid, aut doleret, aut diceret. Inter

hæc

hæc beatus Apostolus conuersus ad populum dixit: Ex his cognoscitis viri Thessalonicenses, quia verum Deum colitis, cuius virtute bestiæ superatæ sunt, quem nunc Quirinus Consul ignorat. Sed ego, vt credatis faciliùs, etiã filium illius in nomine Christi, quem prædico, suscitabo, vt confundatur stultissimus pater eius, & prostratus terrę, diutissimè orauit, adprehensaq; manu suffocati suscitauit eum. Hæc videntes populi, magnificauerunt Deum, & quærebant Quirinum interficere: sed non sunt permissi ab Apostolo. Proconsul autem confusus, discessit in Prætorium suũ. His ita gestis, adolescens quidam, qui diu iam cum Apostolo manserat, indicauit matri suæ quæ acta erant: & accersiuit eã, vt veniret ad occursum sancti. Quæ accedens, procidit ad pedes Apostoli, & quærebat audire verbum Domini. Cui cùm satisfactum esset, deprecatione multa rogauit, vt accederet ad agrum eius, in quo serpens miræ magnitudinis erat, qui totam regionem illam deuastabat. Appropinquante autem Apostolo, sibila magna emittens, erecto capite obuiã

venit. Erat enim lõgitudo eius quinquaginta cubitorum, vt omnes qui aderant metu terrerẽtur, & terræ decubarent. Tunc sanctus Dei ait ad eum: Abde caput funeste, quod erexisti in principio ad perniciem generis humani, & subde te famulis Dei, ac morere. Et statim serpens emittens grauem rugitum, circumdedit quercum magnam, quæ propinqua erat, & obligans se circa eam, euomensque riuum veneni expirauit. Sanctus verò Apostolus post hæc ad prædium peruenit, in quo paruulus, quem serpens perculerat, mortuus decubabat, & videns flere parentes illius, inquit: Dominus noster, qui vult vos saluos fieri, misit me huc, vt credatis in eum: Nunc autem abeuntes, videte interfectorem filij vestri. At illi dixerunt: Nihil de morte dolemus filij, si vltionem de inimico videmus. Illis verò abeuntibus, dixit Apostolus ad vxorem Proconsulis: Vade, & suscita puerum. At illa nihil addubitans, accessit ad corpus, & inquit: In nomine Dei mei Iesu Christi, surge puer incolumis, Et statim surrexit. parentesque redeuntes, cùm vidissent & serpentem mor-

mortuum, & inuenissent filium viuentem, prostrati coram Apostolo, gratias Deo agebant. Sequenti verò nocte vidit per quietem beatus Andreas visionem, quam & fratribus enarrauit, dicens: Audite somnium meum dilectissimi, Videbam, & ecce mons magnus erat, in sublime elatus, qui nihil super se de terrenis rebus habebat, nisi quòd luce resplendescebat, in tantum, vt mundum putaretur inluminare. Et ecce astiterunt mihi dilectissimi fratres, Petrus & Ioannes. Et Ioannes quidem extensa manu Petro Apostolo, leuabat eum in vertricem montis, & conuersus ad me, rogabat ascendere post Petrum, dicens: Andrea, poculum Petri bibiturus es. & extensis manibus, subdi: Appropinqua mihi, & extende manus tuas, vt coniungantur manibus meis, & caput tuum capiti meo societur. Quę cùm fecissem, inuentus sum breuior esse Ioanne. Et post hæc ait mihi: Vis cognoscere imaginem huius rei quam cernis, vel quis sit qui tibi loquatur? Et ego: Desidero, inquam. Et ait mihi: Ego sum verbum crucis, in qua pendebis in proximo,

Somniũ Andreæ de futura passione.

propter nomen eius quem prædicat. Et multa alia dixit, quæ nunc silere oportet: prodebuntur autē tunc, cùm ad hanc ęmulationem accessero. Quare rogo, conueniant omnes qui suscepere verbum Dei, vt cōmendem illos Domino Iesu Christo, quò eos in doctrina sua immaculatos custodire dignetur. Ego verò iam resoluor à corpore, & vado ad promissionē illam quam mihi polliceri dignatus est Regnator cœli & terræ, qui est filius omnipotentis Dei, cum sancto spiritu verus Deus, permanens in sæcula sempiterna. Hæc audientes fratres, flebant valde, & cædebant palmis facies suas, cum gemitu magno. Denique conuenientibus cunctis, ait iterum: Scitote dilectissimi, me discessurū à vobis. Sed credo in Iesum, cuius verbū prædico, quia custodiet vos à malo, vt nō diuellatur ab inimico hæc messis, quam in vobis, seui: id est, cognitio & doctrina Iesu Christi Domini mei. Vos autē orate iugiter, & state fortes in fide, vt euulsa Dominus omni zizania scandali, tanquam triticū mundum, in horreo vos cælesti congregare dignetur. Et sic per dies quinq; docebat

Præparatio S. Andreæ ad passionē.

cebat eos, & confirmabat in præceptis Dei. Posthæc autem expansis manibus orauit ad Dominū, dicens: Custodi quæso Domine gregē hunc, qui iam tuam cognouit salutem, vt non præualeat ille malignus: Sed quæ te iubente, & me dispensante suscepit, inuiolata custodire mereatur, in sæcula sæculorum. Et his dictis, omnes qui aderant, responderunt, Amen. Apostolus verò accipiens panem, & gratias agens fregit, & dedit omnibus dicens: Accipite gratiam, quam vobis tradidit per me famulum suum Christus Dominus Deus noster, & exosculans singulos, atque commendans Domino, ex Philippis Thessalonicam profectus est, ibique biduò docens discessit ab eis. Multi autem ex Macedonia fideles profecti sunt cum eo, quorum fuerunt duæ naues. Quærebant autem omnes, vt illam nauem, in qua Apostolus vehebatur, conscenderent, desiderantes eum audire loquentem, scilicet vt nec in mari deesset eis verbum Domini. Ad quos conuersus Apostolus: Noui (inquit) desiderium vestrū, dilectissimi, sed nauis hæc paruula est.

Oratio S. Apostoli.

Quare

Quare rogo vt pueri cum impedimentis in maiorem nauem transeãt. Vos verò in ista quæ minor est, nobiscum properabitis. & dato eis Antymo, qui consolaretur eos, iussit aliam conscendere nauem, quam propè sibi semper esse iusserat, vt & ipsi viderent eum, & verbum Domini audirent. Hæc dum fierent, accidit vt quidam solutus in somnum, vento impulsus caderet in mare. quod videns Antymus, conuersus ad Apostolum: Succurre doctor (inquit) bone, perijt enim vnus de famulis tuis. Tunc beatus Andreas increpauit vẽtum, & statim siluit, & tranquillum redditum est mare. Homo verò qui ceciderat, vnda famulante ad nauem deuectus est. Cuius manu Antymus adprehensa, leuauit eum in nauem: & omnes admirati sunt virtutẽ Apostoli, quòd etiam mare obediret ei. Duodecima igitur die Patras Achaiæ ciuitatem adpulsi sunt, egressique de naui in quodam diuersorio morabantur. Deniq; cùm multi precibus insisterent, vt in domos eorum ingrederetur: dixit: Viuit dominus, quia non vadam, nisi quò præceperit ille. Et nocte dormiens,

Antymus S. Andreæ discipulus.

Ex Macedonia in Patras Achaiæ vrbem profectio.

ens, nihil reuelationis accepit. Altera verò noctè, cùm esset ex hoc tristis, audiuit vocem dicentem sibi: Andrea, ego sum tecum, & non derelinquam te. Quæ audiens ille, glorificabat Dominum pro hac visione. Dum hæc fierent, interea Lisbius Proconsul admonetur diuinitùs, vt susciperet hominem Dei. Qui misit in occursum Apostolo homines, qui eum hospitio exciperent, & sibi adducerent. Quod cùm ille audiuisset, venit ad Proconsulem, & ingressus cubiculum eius, vidit eum iacentem clausis oculis quasi mortuum, pungensque latus eius, inquit: Surge, & enarra nobis, quæ tibi contigerunt. Et ille: Ego (inquit) sum qui execrabar viam quam doces: & miseram milites cum nauibus ad Proconsulem Macedoniæ, vt vinctum te transmitterēt mihi, teque ipsum morte damnarem: sed ecce naufragia perferentes, nunquam potuerunt accedere, quò iussi sunt. Dumque in hac mente essem, vt destruerem viam tuam, apparuerunt mihi duo viri Aethiopes, qui me flagris cædebant, dicentes: Non possumus hic iam vllam postatem habe-

re-

re, quia venit homo ille, quem persequi cogitabas, quare isthac adhuc nocte, qua potestatem habemus, vlciscemur nos in te. Et sic grauiter cæso, recesserunt à me. Nunc igitur vir Dei deprecari velis Dominum, vt dimittat hoc mihi delictum, & ipse saner ab infirmitate qua teneor. Hæc eo coram omni populo narrante, beatus Apostolus prædicabat assiduè verbũ Domini, & credebant omnes. Proconsul verò sanatus, credidit & ipse, & corroboratus est in fide affatim. Quæ ex re accidit, vt Trophima, quæ Proconsulis quondam concubina fuerat, & alio posthæc viro sociata viuebat, relinqueret & ipsa virum suum, & Apostolicæ doctrinæ adhæreret. Veniebat enim ipsa plerunque in domum Proconsulis, in qua iugiter scilicet docebat Apostolus. Istud in iram maritum eius concitauit, vt accederet Procõsulis coniugem, dicens: Si nescis domina Trophima viri tui scortũ est, quã ipse sub prætextu mihi collocauit, vt ea nihilominus pro libito, vt facit, potiretur. Quæ illa audiens, succensa felle, inquit: Iccirco ergo me reliquit vir meus, iam enim

sex

ſex menſes tranſierunt, ex quo non coniungitur mihi. Iam autem intelligo, quòd diligit ancillam ſuam. Et hæc dicens, vocauit Procuratorem ſuum, iuſſitque Trophimam vt ſcortum dãnari, atque in lupanar rerrudi. Nec mora deducitur ad lupanar, ac lenoni donatur. Sed nihil horum Lysbius ſciebat, requirens tamen eam, ab vxore deludebatur. Trophima verò, ex quo die lupanar erat ingreſſa, proiecta humi aſſiduè orabat. Cumque veniſſent, qui eam contingerent, ponebat euangelium quod ſecum habebat, ad pectus ſuum, & ſtatim omnes vires perdebant. Quare cùm accederet eam impudiciſsimæ vitæ iuuenis quidam, ac illudens vim iam pararet, adeò vt ſciſsis veſtimentis euangelium è pectore caderet, Trophima conſternata, ac lachrymans, extenſis ad cælum manibus, inquit: Ne patiaris Domine me pollui, ob cuius nomen diligo caſtitatem, & ſtatim apparuit ei Angelus Domini, & iuuenis cecidit ante pedes eius, & mortuus eſt. Itaq; confortata pia mulier, benedicebat & glorificabat Dominum, qui nõ permiſerat eã deludi,

ipſa

ipsa quoque tantam ex illo tempore in fide constantiam acceperat, vt non ita multò pòst in nomine Iesu Christi puerum à mortuis resuscitarit: ad quod quidem spectaculum vniuersa ciuitas conuenerat. Interea temporis vxor Proconsulis abijt ad balneum, cum Procuratore suo: cumque lauarentur simul, apparuit eis dæmon teterrimus, à quo percussi ambo ceciderunt, & mortui sunt. Quæ dum ita fierent, plãctus factus est magnus: & nunciatum est Apostolo & Proconsuli, quòd vxor eius cum lenone mortua esset. Motus igitur his turbis beatus Andreas, plebem in hæc verba alloquitur: Videte dilectissimi, quantum præualeat inimicus, nam Trophima propter pudicitiam lupanari inclusa est. Sed non defuit iudicium diuinum, mox enim & matersfamilias, quæ hoc præceperat, cum lenone suo percussa in balneo cecidit, & extincta est. Hæc eo dicente ecce aduenit nutrix mortuæ, quæ præ senectute manibus portabatur, Et ipsa scisis vestibus, cum clamore magno: Scimus (inquit) quia dilectus Deo es, & quæcunque petieris Deum tuum,

tuum, præstat tibi. Quare miserere, & resuscita illam. Cuius lachrymis motus beatus Apostolus condolebat, conuersusque ad Proconsulem, ait: Vis vt resuscitetur? Cui ille: Absit (inquit) vt viuat, quæ tantum flagitium commisit in domo mea. Et Apostolus: Noli (ait) sic agere, misereri enim nos oportet petentibus, vt misericordiam & ipsi consequamur à Domino. Hæc eo dicente, perrexit Proconsul ad Prætorium. Sanctus verò Apostolus, iussit corpus exhiberi in medium, & accedens ait: Rogo benigne Domine Iesu Christe, vt resuscitetur hæc mulier, vt cognoscant omnes, quia tu es Deus solus, qui non patieris innocentes perire. & conuersus tetigit corpus mulieris, dicens: Surge in nomine Iesu Christi Domini mei, & statim surrexit mulier. Quæ demisso vultu flens & gemens, respiciebat in terram. Cui Apostolus: ingredere (ait) in cubiculum tuum, & esto secretiùs orans, donec confortaris à Domino. Cui illa respondit: Facito me priùs cum Trophima pacificam, in quem tantum mali misera admisi. Ad quæ Apostolus: Noli (inquit,

(inquit) timere, non enim Trophima eorum amplius meminit, neque vltionem vllam desiderat: sed gratias agit Domino, in omnibus quæ acciderant ei. Vocata tamẽ ab Apostolo Trophima, cum Calista vxore Proconsulis, quæ resuscitata à mortuis fuerat, reconciliata est. Lysbius verò ipse, videlicet Proconsul, in tantũ profecit in fide, vt quadam die Apostolũ accedens, omnia ei peccata vltrò confiteretur. Cui sanctus Apostolus: Gratias (inquit) ago Domino ô fili, quòd times futurum iudicium: sed viriliter age, & confortare in Domino, quem credis, & tenens manum eius, ambulabat in littore. Post deambulationẽ verò cùm sedisset, sedebant & singuli qui cũ eo erãt, super arenam, audiẽtes verbũ Dñi. Et ecce cadauer necatũ in mari, proiectũ est ad littus maris, & proximè ad pedes S. Andreę. Quod videns beatus Apostolus, exultãs in Domino, ait: Oportet hũc resuscitari, vt cognoscamus, quæ in eũ aduersarius operatus est. Et fusa oratione, tenens manum mortui, erexit illum: & statim reuixit, & loquebatur. Cumque nudus esset, dedit ei tunicam,

cam, dicens: Dic nobis ordine, expone omnia quæ contigerunt tibi. At ille respondit: Nihil te cælabo, quicũq; sis homo. Ego sum Sostrati filius, ciuis Macedonis, qui nuper ab Italia naui gaui. Sed cùm reuertissem ad propria, audiui doctrinã surrexisse nouã quam nullus hominum priùs audiuisset. Sed & signa prodigiaque, ac medelas magnas fieri à quodam doctore, fama erat, qui se veri Dei affirmat esse discipulum. Ego autem cùm hæc audiuissem properaui vt talem videre hominem possem, non enim aliud tum arbitrabar, nisi diuina esse quæ is gereret. Itaque nauigare cœpi cum amicis & pueris meis, & cùm essem in alto, subitò orta tempestas, nos fluctibus oppressit: & vtinam simul proiecti fuissemus vt & illi resuscitati à te fuissent, sicut ego sum. Et hæc dicens, voluebat multa in corde suo, & arbitrabatur ipsum iam esse, quem cum tanto periculo quæsisset, & procidens ad pedes eius ait: Scio quia tu es famulus Dei veri. Rogo pro his qui mecum fuerunt in naui, vt & ipsi, te impertiente, vitam mereantur, vt cognoscant

Deum

Deum verum, quem prædicas. Tunc sanctus Apostolus, repletus spiritu sancto, prædicabat ei constanter verbum Domini, ita, vt admiraretur adolescens super doctrina eius. Et demum expansis manibus ait: Ostende nobis quæso Domine & reliqua cadauera mortuorum, vt & ipsi cognoscant, te duce, Deum solum & verum. Hæc eo dicente, statim apparuerunt triginta nouem corpora ad littus vnda famulante deuecta. Itaque flente iuuene, simul omnes flere cœperunt: prostratique ante pedes Apostoli, rogabant, vt & isti resuscitarentur. Sed & Philopator (hoc enim erat nomen adolescentis) dicebat: Genitor meus per bonam voluntatem impositis necessarijs, & largitus vim pecuniæ, misit me huc, Quare si audierit, quæ mihi contigerunt, blasphemabit Deũ tuũ, & doctrinam eius refutabit. Sed absit vt hoc fiat. Rursus flentibus omnibus, rogauit Apostolus, vt congregarentur corpora simul: sparsim enim proiecta fuerant. Tunc congregatis omnibus in vnum, ait Apostolus. Quem vis priùs resuscitari? At ille dixit: Vuarum, conlactaneum meum. Hæc audiens

audiens Apostolus, flexis in terram genibus, palmisque extēsis ad cęlum, diutissimè orauit cum lachrymis, dicens: Iesu bone, resuscita hunc mortuum, qui cum Philopatore nutritus est, vt cognoscat gloriam tuam. & magnificetur nomen tuum in populis. Et statim surrexit iuuenis, & mirabantur omnes qui aderant. Apostolus autem iterum super singulos orationem fundens ait: Quaeso Domine IEsu, vt & isti resurgant, qui de profundo æquoris sunt delati. Quæ cùm dixisset, iussit fratribus, vt vnusquisque tenens mortuum diceret: Resuscitet te Iesus Christus filius Dei viui, Quòd cùm factum fuisset, resuscitati sunt triginta octo, & glorificauerunt Deum qui aderant cuncti, dicentes: Quia non est similis Deo Andreæ.

Nota mirandam & tremendam historiam.

Lysbius verò proconsul, cùm multis muneribus fuisset Philopatorem prosecutus: Non contristet te frater, inquit, facultatum amissio consulo, vt non recedas à famulo Dei. Et erat semper cum Apostolo Philopator ex illa hora, intendens omnibus diligenter, quæ dicebantur ab eo. Dum hæc fierent apud Patras Achaiæ ciuitatem

contigit vt mulier Caliopa nomine, quæ homicidæ coniuncta: conceptum susceperat inlicitum, magnis in partu doloribus arctaretur, nec partum proferre posset. Hæc ad sororem suam inquit: Vade quæso, & inuoca Dianam, deam nostram, vt misereatur mei, ipsa enim habet patrocinium obstetricandi. Faciente igitur sorore, quæ sibi imperata fuerat, venit ad eam nocte diabolus, dicens: Quid me cassò inuocas, cùm tibi nihil prodesse possim? Sed mage Apostolum DEI Andream accede, qui in Achaia moratur, & ipse miserebitur sorori tuæ. Surrexit igitur mulier. & venit ad Apostolum, & narrauit ei omnia quæ contigerunt. At ille nihil moratus, venit in Corinthum ad domum mulieris ægrotantis. erat autem Lysbius Proconsul cum eo. Videns que Apostolus mulierem grauidam dolorum cruciatu torqueri, ait: Meritò hæc pateris, quæ malè nupsisti, & ex dolo concipiens, nunc intolerabiles labores sustines. Insuper consuluisti dæmonia, quæ neque vlli, neque sibi prodesse possunt. Crede nunc Iesum Christum filium Dei, & proijce puer-

Ex patris Corinthum profectio.

peri-

perium: Veruntamen mortuus egredietur quòd indignè concepisti. Hæc vt mulier credidit, mox egredientibus cunctis de cubiculo, proiecit partum mortuum, & ab omnibus doloribus liberata est. Itaque cùm multa prodigia faceret in Corintho Apostolus, Sostratus, pater Philapatoris, admonitus per visum vt Andream accederet, maturauit iter in Achaiam: & cùm cognouisset vbi esset, peruenit in Corinthum habensque occurrentem Apostolum, statim cognouit eum Sostratus, sicut iam antea ei per quietem erat ostensus, complexusque pedes illius, inquit: Miserere mei quæso famule DEI, sicut & filio meo misertus es Philopator autem ait Apostolo: Hic est pater meus, quem cernis. Is te interrogat iam quid eum oporteat agere. Ad quæ beatus Apostolus: Scio (inquit) quia pro cognoscenda veritate ad nos venerit. Gratias agimus Domino IESV CHRISTO, qui se credentibus reuelare dignetur. Dum hæc diceret Abdreas, intereà Leontius Sostrati seruus, ait Domino suo: Vides Domine, qua luce refulgeat vultus hominis huius? Cui ille:

Video (inquit) dilectissime, & ideo non discedam, ab eo, sed simul ambo cum illo viuamus, & audiamus verba vitæ æternæ, & sequenti die obtulit Apostolo munera multa. Sanctus verò Dei dixit ad eum: Non est meum accipere aliud à vobis, nisi vt vos ipsos lucrifaciam, cùm credideritis in Iesum, qui me misit Euangelizare in hunc locum. Si pecuniam desiderassem, Lysbium equidem ditiorem reperissem, qui me multò magis ditare potuisset. Hoc autem cupio, vt conferatis mihi, quod vobis poterit prodesse ad salutem æternam. His gestis in Corintho, post paucos dies beatus Apostolus iussit sibi balneum præparari, & cùm venisset lauandi gratia, vidit senem dæmonium habentem, & trementem valde. Quem dum admiraretur, alius puer adolescens egressus de piscina, procidit ad pedes Apostoli, dicens: Quid nobis & tibi Andrea? venisti ne huc, vt destruas nos de sedibus nostris? Erectus autem, adstante populo, dixit Apostolus: Nolite timere, sed credite in IESVM saluatorem nostrum. Clamantibus igitur omnibus, Credimus quæ prædi-

cas,

cas: increpauit vtrunque Dæmonem Andreas, & egressi sunt confestim à corporibus possessis, dimissique & senex & adolescens redierunt ad propria. Intereà Apostolus lauans, nihil quidem de doctrina intermittebat: sciens inimicũ generis humani vbique insidiari, siue in lauacris, siue in fluminibus, & idcirco nomẽ Dñi assiduè inuocandum suasit, vt is qui vult insidiari, non habeat potestatẽ. Quod videntes viri ciuitatis, veniebant & adferebant ægrotos, ponẽtes corã eo, & curabantur: & multi etiam de alijs ciuitatibus, qui verbum Domini acceperant, quotidie accedebant beatum Apostolum, vt ab eo erudirentur. Dum hæc agerentur in Corintho, ecce quidam senex Nicolaus nomine, scissis vestibus venit ad Apostolum, dicens: Famule Dei, ecce septuaginta quatuor anni sunt vitæ meæ, quibus non discessi ab immunditijs ac scortatione, in lupanaribus subinde exercens inlicit. Et nunc tertia dies est, ex quo audiui miracula quæ agis: & prædicationes tuas, quæ sunt plenæ verbis vitalibus. Cogitabam enim mecum, vt relicto hoc opere. venirem ad te, &

ostenderes mihi meliora. Sed dũ hæc cogitarem, venit mihi rursus aliud in mentem, vt priorem sensum relinquerem, & non facerem bonum quod cogitabam. luctante igitur conscientia mea, accepi Euangelium, & orauí Dominum, vt hæc aliquando me faceret obliuisci. Itaq; post paucos dies oblitus Euãgelij. quod super me erat, inflammante cogitatione peruersa, abij iterum in lupanar, & ecce mulier meretrix videns me, ait: Egredere senex. egredere. Angelus enim Domini es tu, non contingas me, neque appropinques huic loco: video enim in te mysterium magnum. Cumque ego obstupefactus cogitarem, quid hoc esset? recolui, quod Euangelium mecum haberem. Abij, & couuersus venio nunc ad te, famulum Dei, vt miserearis erroribus meis. Spes enim mihi est maxima, quòd non perco, si oraueris pro humilitate mea. Hæc audiens beatus Andreas, cùm multa contra fornicationem disseruisset, prostratus genibus, expansisque manibus tacitus orabat emittensque gemitus cum lachrymis, ab hora diei sexta vsque ad horam nonam, surge-

bat

bat abluta facie, nihil cibi accipere volens, dixitque: Non gustabo, donec cognoscam, si miserebitur DEVS huic homini, & si sit reputandus inter saluatos. Et cùm ieiunasset etiam altera die, nihil tamen ei reuelatum fuit de homine isto, vsque ad quintum diem, in quo flens vehementer, dicebat: Domine, pro mortuis obtinemus pietatem tuam, & nunc iste quia tua cognoscere desiderat magnalia, cur non reuertatur, vt iames illum? Hæc eo dicente, vox de cælis delata est dicens: obtines Andrea, pro sene: sed sicut tu ieiunijs fatigatus es, ita & ipse studeat, per ieiunium vt saluetur. Et vocans eum, prædicauit ei Apostolus abstinentiam. Die verò sexto vocauit omnes Christianos, & rogabat vt orarent vniuersi pro eo, qui prostrati solo, orabant dicentes: Domine pie, misericors, remitte homini delictum suum. Quo facto, & ipse gustauit, & cæteros manducare permisit. Nicolaus quoque redijt ad domum suam, & omnia quæ habebat distribuit indigentibus. Ipse quoque multùm se excruciauit, ita vt per sex menses nihil

aliud quàm aquam acciperet, & panc arido vesceretur. Igitur exacta digna pœnitentia, haud ita multò pòst senex iste excessit è sæculo. Aberat tum beatus Andreas, sed circa ipsam mortem senis, vox ad Apostolum facta est alio loco: Andrea, meus affectus est Nicolaus. At ille gratias agens, narrauit fratribus Nicolaum excelsisse de corpore, orans vt in pace quiesceret.

Dum hæc apud Corinthum ab eo fierent, & fama de virtutibus eius quotidie crescceret, venit ad Apostolum Antiphanes ciuis Megarensis, & ait: Si qua in te est bonitas iuxta præceptum Saluatoris, quem prædicas, hanc ostende iam nobis, vir Dei, & libera domum de insidijs quibus tentatur. Ad quem Apostolus: Enarra nobis homo, quæ contigerunt tibi. Et ille: Dum de itinere (inquit) domum reuersus fuissem, & ingrederer ianuam atrij mei: ecce audiui vocem ianitoris, miserrimè declamantis. Quumque interrogassem quæ essent hæ voces, narrauerunt mihi qui aderant, ipsum cum vxore & filio malè à dæmonio torqueri. Tum verò ascen-

ascendens ad superiora domus, vidi & alios pueros stridentes dentibus, & in me impetum facientes, risusque insanos arridentes. Quos cùm prætcririrem, ascendi iterum ad alia superiora, in quibus coniunx iacebat, ab his verberata grauissimè: quæ ita erat amentiæ fatigatione turbata. vt cæsarie supra oculos dimissa, neque aspicere me, neque cognoscere posset. Hāc ergo, rogo vir Dei, vt restituas mihi, de cæteris verò curam nullam habeo. His dictis, sanctus Apostolus misericordia motus, respondit: Non est acceptio personarum apud Deum, qui propterea venit. vt cunctos saluos faceret, ne perirent, & ait: Eamus ad domum eius. Cumque progrediens Andreas & Lache, venisset in Megaram, iam iamque ianuam domus ingrederetur, dæmones vnius vocis impetu clamauerunt, dicentes: Vt quid nos hic Andrea persequeris? vt quid domum nō tibi concessam adis? Quæ tua sunt, posside: quæ nobis concessa sunt, ne velis penetrare. Quæ sanctus Apostolus, vt erant insolita, admiratus, ascendit in cubiculum vbi mulier decumbebat, & cùm flexis genubus orasset,

E Corintho Megaram proficiscitur.

orasset, adprehensa manu mulieris inquit: Sanat te Dominus Iesus Christus, & statim surrexit mulier à lectulo, & benedicebat Deum. Similiter & singulis quibuscunque qui à dæmonio vexabantur, imponens manum, sanitati cunctos in domo restituit: habuitque deinceps Antiphanem & vxorem eius firmissimos adiutores in Megara, ad prædicandum verbum Domini.

In patras reditus.

His gestis, non ita multò pòst beatus Apostolus Patras ciuitatem reuertitur, in qua Proconsul Aegeates erat, qui nuper adeò Lysbio successerat. Hic mulier quædam Ephidama nomine, quæ ex doctrina Sosiæ cuiusdam Apostolici discipuli CHRIsto mancipata fuerat, Andream accedit, amplectensque pedes beati Apostoli, inquit: Rogat te, vir sancte, domina mea Maximilla, quæ magnis febribus retinetur, vt eam accedere digneris, cupit enim audire doctrinā tuam. Hæc autem Proconsulis coniunx erat, cuius morbum vir tam grauiter ferebat, vt educto mucrone sibi vellet mortem consciscere. Sic igitur precedente Ephidama, Apostolus venit n

cubi-

cubiculum, in quo mulier iacebat ægrota, & videns ſtantem præſidem cũ euaginato gladio, ait illi: Nihil tibi nunc mali feceris ô Proconſul, ſed reconde gladium tuum in locum ſuum. Erit enim tempus quando cd nos is exercendus erit. Sed nihil intelligens Præſes, dedit accedendi locum. Tunc Apoſtolus veniens ante lectum infitmæ, facta orationne apprehendit manum eius, & ſtatim ſudore perfuſa eſt mulier, & diſceſsit ab ea febris, iuſſirque ei Apoſtolus dare cibum. Quæ vt vidit Proconſul, centum argenteos iuſsit numerari ſancto Dei: quos ille nec aſpicere voluit. Egreſſusque domum illius, in itinere vidit hominem iacentem in cœno debilem, cui multi è ciubuis ſtipem porrigebant, vnde alimentum haberet. Miſertus itaque miſeri ait ad eum Andreas: In nomine Ieſu Chriſti ſurge ſanus. Qui protinus ſurgens, glorificabat Deum. Et cùm progreſſus fuiſſet paululum, in alio loco vidit hominem cæcum cum vxore & filio, & ait Apoſtolus: Verè diaboli eſt hoc opus, qui hos homines mente & corpore excæcauit. Ecce ego vobis in nomine Dei

mei corporalium oculorum restituto lumen: ipse quoque mentium vestrarum tenebras reserare dignetur, vt cognita luce, quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum, salui esse possitis. Et imponens eis manus, aperuit oculos illorum. At illi procidentes, osculabantur pedes eius, & dicebant: Quia non est alius Deus, nisi quem prædicat famulus eius Andreas. Hæc dum apud Patras faceret beatus Apostolus signa, abduxit quidam ad littus Andream, vbi nauta quispiam, quinquaginta annis debilitate nimia proiectus in cæno iacebat vlceribus scatens, & vermibus, cui nullius medici potuit cura mederi. Hic cùm aspexisset Apostolum: Forsitan tu es (inquit) discipulus Dei illius, qui solus saluare potest. Cui sanctus Apostolus ait: Ego sum, qui in nomine Dei mei te sanitati restituo. Et adiecit: In nomine IESV CHRISTI surge, & sequere me. At ille relictis pannis purulentis, in quibus tabes defluxerat, sequebatur eum, profluente pure cum vermibus à corpore eius. Cumque venissent ad mare, ingressus est vterque

que aquam: abluensque eum Apostolus in nomine trinitatis, ita sanum reddidit, vt nullum penitus infirmitatis huius corporeæ resedisset indicium: tantumque fide post acceptam sanitatem accensus est, vt nudus per ciuitatem cucurrerit, adnuncians: Quia ille est verus Deus, quem Andreas prædicat. Et mirabantur omnes, congratulantes sospitati eius.

Cumque talia, & alia plura digna admiratione apud Patras per beatum Apostolum agerentur, intereà aduenit ex Italia Stratocles, frater Proconsulis, huic erat puer Alcmana nomine, quem in precio singulariter habebat, Euenit autem, vt ab impulsu dæmonis percussus tunc iaceret, spumansque in atrio, tumultum magnum excitaret. Quæ videns Stratocles, nimis molliter casum dilectissimi pueri ferebat. Et ecce Maximilla & Ephidama consolantes virum, dicunt: Noli contristari frater, mox enim puer recuperabitur. Est enim hic vir quispiam, qui viam salutis ostendens, multos reuocat ab infirmitate ad integram sanitatem. Mittamus ad illum, & statim reddet

tibi puerũ ſanum. Haud mora acceſſitur Apoſtolus, qui rogatus à matronis adprehenſa manu eius ait: Surge puer in nomine Ieſu Chriſti, Dei mei, quem prædico. Et ſtatim ſurrexit incolumis. Stratocles verò credidit exinde in Dominum, & ita confortatus eſt in fide, vt ex illa hora non diſcederet ab Apoſtolo, ſed quotidie adhærẽs lateri eius, audiebat verbũ ſalutis. Intereà dũ hæc fierent apud Patras, contingit vt abeunte Proconſule in Macedoniam, Maximilla vxor verbis ſalutaribus inſtructa, in tantum beato Apoſtolo adhæreret, vt reuerſus Præſes, parùm abfuerit quin & vxorem: & magnam inſuper hominum multitudinem, in Prætorio cum Apoſtolo audientes verbum ſalutis inueniſſet. Quod præſentiens beatus Andreas, flexis genubus: Ne patiaris (inquit) Domine ingredi Proconſulem in hunc locum, donec omnes egrediantur exinde. Quod cùm feciſſet antequam Proconſul Prætorium fuiſſet ingreſſus, accidit illi voluntas purgandi ventris: Cumque ſeceſſum petijſſet, & moras innecteret, Sanctus Apoſtolus ſingulis manus impo-

imponens, & consignans cruce, eos abire permisit: nouissimè autem se signans & ipse, discessit. Maximilla autem iam & anteà, & post illa tempora sæpe domum vbi Apostolus morabatur cum alijs Christianis ingrediebatur, & verbum Domini assiduè audiebat. Qua ex re factum est, vt rariùs viro suo commisceretur. Quod ille ægrè ferens, & causam in Apostolum conijciens, Andream accersit: cui cùm religionem saniorem exprobrasset, & vt ad idola adoranda mentem conuertere vellet, persuadere conaretur, respondit intrepidus beatus Apostolus: Ego sum, inquit, Proconsul, qui prædico verbum veritatis, & Dominum Iesum, vt recedentes homines ab idolis manu factis, verum Deum agnoscere incipiant, per quem facta sunt omnia. Ad hoc enim cùm esset Dominus maiestatis, descendit de cælo, hominis formam suscipiens, qui primus perierat: & cùm esset Deus sponte pati dignatus est, vt eum, quem ipse fecerat, de morte liberaret. Hæc audiens Proconsul, iussit

iussit eum recludi in carcerem. Vbi, quandiu clausus tenebatur, plurima quotidie turba ad eum confluebat, quam his verbis sanctus Andreas alloquebatur: Ego quidem sum missus Apostolus à Domino meo, ad vos, charissimi fratres, vt homines positos in tenebris & vmbra mortis, per verbum Dei ad viam veritatis & luminis reuocarē. Quo in instituto, haud vnquam cessaui, hortans vos subindè vt recedentes à dæmonum culturis, verum Deum quærentes, & in mandatis eius perseuerantes, promissionis eius hæredes inueniamini. Hortor autem vos dilectissimi, & moneo, vt fidem vestram, quam supra fundamenta Domini mei Iesu Christi posuistis, crescere sinatis in spem & laudem Domini. Cæterum in his, quæ mihi contingunt, nolo vos quidquam contristari. Ita enim promissa sunt à Domino meo Iesu Christo, sicut scriptum est: Pro nomine illius mulctandos nos esse passuros, & flagellandos: atque adeo ante iudices staturos, in testimonium eius. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Orate ergo sine cessatione,

tione, vt diabolus, qui circuit vt leo rugiens, quærens aliquem deuorare elusus & prostratus iaceat, à seruis Domini superatus. Cùm hæc, & alia plurima exhortans turbam per totam noctem doceret, & cùm prolongasset sermonem, sequenti die primo diluculo procedens Aegeas Proconsul, tribunal conscendit, accersitoq; Sancto Andrea, illum in hæc verba conuenit: Scis quare te custodiæ manciparim? vt dum vana & superstitiosa, nescio quæ in vulgum disseminas, ita aliquid certiùs cognoscerem de te. Interim audio nescio quæ ridicula tota nocte locutum. Cui Andreas respondit: Ego non cesso, quæ mihi à Domino sunt iniuncta exercere, vt populus de via erroris liberatus, ad veram possit cognitionem perduci. Tum Proconsul: Recede (ait) ab hac stultitia, & noli bene viuentes subuertere. Andreas dixit: Mihi Deus meus Iesus Christus præcepit, vt opportunè & importunè verbum eius prædicare non cessem, atque errantibus pœnitentiam ostenderem. Tum rursus Aegeas: Aut promitte te recessurum (ait) ab hac superflua & supersti-

perſtitioſa doctrina, aut ſtatim iubebo te interfici. ndreas reſpondit: Ego non ſolùm interfici, ſed diuerſis etiam pœnis excruciari paratus ſum, priuſquam à prædicatione diuina receſſero. Sic Proconſul ſeptem eum ternionibus flagellorum cæſum crucifigi præcepit, mandans nominatim quæſtionarijs, vt ligatis manibus & pedibus & non clauis affixus ſuſpenderetur, quo diutino cruciatu deficeret. Hæc videns plebs indignat in virum Dei committi in turba dicebat: Iuſtus homo, & amicus Dei, & doctor bonus ducitur, immeritò ad mortē. Andreas verò cùm plurimis verbis eos alloqueretur, peruenit tandem ad locum, videnſque procul crucem, exclamauit, dicens: Salue crux, quæ diu fatigata requieſcis, tanto tempore expectans me. Certiſsimè autem ſcio, te gaudere ſuſcipientem diſcipulum eius, qui pependit in te. Quapropter lætus pergo ad te: quia ſecretum tuum cognoſco, & miſterium noui, qua de cauſa fixa ſis. Suſcipe nunc quem deſideras, quia tandem ſpeciem tuam deſiderans, inueni in te. Video enim in te, quæ à Domino

Sancti Andreæ ad crucem exclamatio.

mino mihi ſunt promiſſa. Suſcipe ita que electa crux humilem propter Deum, & trãsfer ſeruum eius ad Dominum ſuum. Et hæc dicens beatiſſimus Andreas, expolians ſe tradidit miniſtris. Qui ligantes manus, & pedes eius, ſecundũ quod eis fuerat præceptum, ſuſpenderunt eum in cruce. Aſtante verò tuba ingẽti viginti fermè millium hominum, inter quos etiam ſtabat frater Aegeatis Stratocles, aperuit beatus Apoſtolus os ſuum, & ita loquutus eſt: Ego quidem gratias habeo Domino meo Ieſu Chriſto, qui me tandem perfunctum iuſſione ſua, abire corpore vult, vt per bonam confeſsionem, perpetuam conſequar miſericordiam, dilectuſque & notus eius efficiar, qui me ad vos miſit, Vos autem manete in verbo vobis tradito, docentes & admonentes alterutrum, vt & ipſi ſitis cum Deo meo in perpetuum, & cum eo habitetis, promiſſioneſque eiuſdem recipiatis. Et cùm reſpondiſſent qui aderant Chriſtiani, Amen: toto eo die, & nocte quæ inſecuta eſt, iugiter loquebatur, neque in aliquo fatigabatur aut deficiebat. Sequenti igitur die

die videntes eius tollerantiam & animi constantiam, denique spiritus prudentiam, & mentis robur venerunt turbæ ad Aegeatem: ac sedente eo pro tribunali, vociferantes dixerunt: Quæ ista tua est tam crudelis sententia Proconsul vt hominem probum, qui nihil mali commisit, crucis supplicio velis condemnare? Perturbata est tota ciuitas, & simul cum eo omnes perimus. Quæsumus te, ne Cæsaris tam celebrem perdas ciuitatem. Concede nobis hominẽ iustũ, redde nobis hominem sanctũ, ne interficias hominẽ Deo charum, ne perdas hominẽ mansuetum & pium. Biduò enim suspensus viuit, quæ res miraculo non caret: & quod plùs est, loquitur adhuc, & nos sermonibus reficit: Quare redde nobis, hunc virum, vt viuamus: solue pudicum, & omnes patriæ eriũ in pace. His commotus Proconsul, cùm & minas ac tumultum populi metueret, surgens de tribunali Andream soluere cogitabat: profectusque ad locum crucis, læto populo quòd famulus Dei liberaretur, & frequenti comitante, tristis & facti pœnitens, Andreæ suspenso appro-

pin-

pinquabat. Ad quem ille: Quid ad nos (inquit) Aegeas venisti? nunquid soluere me cupis, & pœnitentia ductus credere desideras? non mihi crede, persuadebis, vt ex ista cruce recedam. Et cùm populus, vt solueret hominem, iuberet: sanctus Andreas exclamauit voce magna, & dixit: Ne permittas famulum tuum Domine Iesu Christe, qui propter nomen tuum pendet in ligno, solui: neque permittas quæso Deus misericors, secretis tuis inhærentem, humanis ampliùs conuersationibus tradi. Sed suscipe tu magister me, quem dilexi, quem cognoui, quem retineo, quem videre desidero, in quo sum quod sum. Suscipe exitum meum Iesu bone, & misericors. Et hæc dicens diutissimè Dominum clarificans & gaudens, nobis flentibus reddidit spiritum. Cuius corpus Maximilla Proconsulis vxor accipiẽs conditum aromatibus, celebri in loco sepeliuit, & ex illo tẽpore pudicitiam, & castitatem seruãs, in fide quoque accepta constans permansit. Aegeas verò maritus illius, arreptus ea nocte à dæmonio, de loco alto se præcipitauit, & mortuus est.

Oratio beati Andreæ ante mortem.

Ex hoc apparet, Abdiam huius historiæ auctorẽ passioni interfuisse.

est. Stratocles porrò frater eius, cùm hæc audiuisset, de bonis Proconsulis nihil contingere voluit, dicens, Quæ tua sunt, tecum pereat. Mihi sufficit Dominus Iesus, quem cognoui per famulum eius Andream. Est autem passus venerabilis & sanctus Dei Andreas Apostolus apud Achaiam, in ciuitate Patris, sub Aegeate Proconsule, pridie Kalendas Decembris, regnante Domino Iesu Christo, cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

LIBER QVARTVS ABdiæ Babyloniæ Episcopi, De historia ac rebus gestis à Iacobo Ioannis fratre germano, Domini nostri Iesu Christi discipulo atque Apostolo, ab Africano historico ex Hebraica lingua in Latinum sermonem translatus.

IAcobus Zebedæi filius, & Ioannis qui Euãgelium reliquit, frater germanus fuit: quem Christus Saluator noster,

noſter in naui cum patre, & fratre viſum, ſequi ſe iuſſerat. Quod diuino compunctus amore fecit, adhæſitque Domino noſtro ex eo tẽpore non ſolùm vt diſcipulus, quos multos habuit, verùm etiam in monte ad Apoſtolatus apicem ab eodem vocatus, poſt paſſionem Domini, Iudæam & Samariam in diuiſione Apoſtolica ſortitus eſt. Quas prouincias cùm perageret, ingrediens per ſynagogas ſecundum ſcripturas, oſtendebat omnia quæ à Prophetis prædicta erant de Domino Ieſu Chriſto, ea in ipſo impleta eſſe. Quod dum fieret, opponebant ſe Sancto Apoſtolo Hermogenes & Philetus quiſpiam aſſerentes, quòd non verus Dei filius eſſet Ieſus Chriſtus Nazarænus, cuius ſe ille Apoſtolum memoraret. Iacobus autem in ſpiritu ſancto confidenter agens, omnes aſſertiones illorum euacuauit, oſtendens de ſcripturis ſanctis, hunc eſſe verum filium Dei, generi humano promiſſum. Qua re motus Philetus, cùm Iacobi prudentiam admiraretur, reuerſus ad Hermogenem, dixit ei: Iacobum, qui ſe ſeruum Chriſti Ieſu Nazaræni adſerit

ſerit, & Apoſtolum eius ſcias ſuperari non poſſe, nam in nomine eius vidi eum dæmones ex obſeſſis corporibus eijcientem: vidi eum & cæcos inluminantem, leproſos mundantem. Aſſerunt etiam amiciſſimi mei, quòd viderint inſuper eum mortuos ſuſcitantem. Sed quid multis moramur? Omnes ſcripturas ſanctas memoriter retinet, ex quibus oſtendit, non eſſe alterum filium Dei, niſi illum quem Iudæi crucifixerunt. Quare ſi conſilio meo obtemperas, eamus ad eum, & indulgentiam impetremus. Quòd ſi non feceris, ego ſaltem relicto te, ad ipſum me conferam, vt diſcipulus eius eſſe merear. Quæ vt audiuit Hermogenes, ira ſuccenſus, Philetum vinculis magicis conſtrinxit, & ait: Videbimus ſi Iacobus tuus ſoluat te. Philetus autem miſit feſtinanter puerum ſuum ad Iacobum, vt ei nunciaret quæ geſta eſſent, & ſtatim miſit beatus Apoſtolus ſudarium ſuum Phileto, dicens: Dominus Ieſus Chriſtus erigit alliſos, & ipſe ſoluit compeditos. Statim autem vt de ſudario eius tetigit eum is, qui miſſus erat, reſolutus à vinculo magi, currens venit ad Iacobum, & coepit

cœpit insultare maleficijs magistri. Hermogenes verò magus dolens quòd ei insultaret, arte sua excitauit dæmones, & misit eos ad Iacobum dicens: Ite, & ipsum Iacobum mihi, & simul Philetum discipulum meum adducite, vt vindicer in his. ne mihi & cæteri discipuli mei ita illudant. Venientes igitur dæmones. vbi Iacobus orabat, vlulatum in aëre habere cœperunt, dicentes: Iacobe Apostole Dei, miserere nostri: quia antequam veniat tempus incendij, nos etiam exurimur. Quibus Iacobus: Vt quid venistis ad me? Dicunt ei dæmones: Misit nos Hermogenes, vt te & Philetum ad ipsum perduceremus. Mox autem vt ingressi sumus, angelus Dei Sanctus catenis igneis religauit nos, & miserè cruciamur. Dicit eis Iacobus: In nomine patris & filij & Spiritus sancti, exoluat vos iterum angelus Dei ita vt reuertentes ad Hermogenem, non eum lædatis, sed vinctum huc illum ad me adducatis.. Qui cùm abijssent, ligauerunt Hermogeni ad tergum manus de restibus, & ità vinctum adduxerunt eum ad Apostolum, dicentes: Ad quem nos miseras, cùm incẽsi

flagraremus, ecce hunc adducimus tibi, Ad quem Apostolus Dei: Stultissime hominum (inquit) cùm inimicus generis humani rationem tecum haberet, quare non consideraſti, quos ad lesionem meam mitteres? Sed tamen illos adhuc non permitto, vt furorem suum tibi ostendant. Clamabant quoque tum ipsi dæmones: Da nobis eum in potestatem, vt possimus & tuas iniurias vindicare, & nostra incendia. Ad quos Apostolus: Ecce (inquit) Philetus ante vos stat, cur eum non tenetis? Dicunt ei dæmones: Nos non possumus vel formicam contingere, quæ in cubiculo tuo est. Tunc beatus Iacobus ad Philetum ait. Vt cognoscas scholā Domini nostri Iesu Christi hanc esse, vt discant homines bona pro malis reddere, ille te ligauit, tu eum solue: Ille te vinctum à dæmonibus ad se conatus est adducere, tu eum captum à dæmonibus liberum ire permitte: Itaque vt soluit eum Philetus, deiectus & confusus Hermogenes stetit.

Ad quem conuersus Apostolus Domini: Vade liber, quocunque volueris. Non est enim disciplinæ nostræ, vt inuitus aliquis conuertatur.

Dicit

Dicit ei Hermogenes : Ecce noui iras dæmonum, nisi mihi dederis aliquid quod mecum geram, tenebunt me, & diuersis cruciatibus interficient me. Cui beatus Iacobus : Accipe (inquit) baculum itineris mei, & cum eo perge securus quocunque volueris. Qui accipiens baculum Apostoli, abijt ad domum suam. Et haud mora, collectis libris magicis: zabyras plenas ad Apostolum attulit ceruicibus & suis & discipulorum impositas, & cœpit eos ignibus coram eo comburere. Sed Iacobus prohibuit: Ne fortè odor incendij (inquit) vexet incautos, appende zabyris lapides & plumbum, & mitte in mare. Quod cum fecisset Hermogenes, reuersus cœpit tenere plantas Apostoli rogãs eum & dicens: Animarum liberator, accipe pœnitentem, quem inuidẽtem & detrahentem hactenùs sustinuisti. Respondens dixit Iacobus: Si veram Deo pœnitentiam obtuleris, veram eius indulgentiam consequeris.

Zάβδρον *Græcis armamentorũ repositorium est.*

Dicit ei Hermogenes: In tantum veram Deo pœnitentiam offero, vt omnes codices meos, in quibus erat inlicita præsumptio, abiecerim, &

omnibus simul artibus renunciauerim inimici.

Tunc Sanctus Apostolus: Vade (inquit) per domos eorum quos euertisti, vt & reuoces Domino quæ tulisti. Doce hoc esse verum, quod anteà docebas esse falsum: & hoc esse falsum, quod modò docebas verum. Idolum, quoque quod adorabas, & diuinationes tibi putabas, ab eo responderi, confringe. Prætereà pecunias quas malo opere acquisisti, bona ratione expende: vt sicut fuisti filius diaboli, imitando diabolum, efficiaris ita filius DEI sequendo DEVM, qui quotidie etiam ingratis præstat beneficia, & se blasphemantibus exhibet alimenta. Si enim cum malus esses, circa DEVM bonus circa te extitit Dominus, quantò magis erit circa te benignior, si magus esse cessaueris, & bonis operibus cœperis complacere? Hæc & his similia dicente Iacobo, in omnibus obtemperauit Hermogenes, & incœpit in Dei esse timore perfectus, ita etiam virtutes per eum plurimæ fierent à Domino. Videntes igitur Iudæi, quia hunc magum, quem inuictum putabant, ita conuertisset Apo-

stolu

ſtolus & oēs ſimul diſcipulos & amicos eius, qui ſolebāt ad ſynagogā cōuenire. Ieſu Chriſto per Iacobum credidiſſe, obtulerunt pecunias centurionibus duobus, qui præerant Hieroſolymis, Lyſie & Theocrito. vt comprehenderent Iacobum. Exorta autem à populo ſeditione, cùm duceretur in cuſtodiam, dicebant ei Phariſæi. Vt quid prædicas IESVM, hominem, quem inter latrones crucifixum omnes ſcimus. Ad quæ Iacobus repletus ſpiritu ſancto: Audite me (inquit) viri fratres, & omnes qui Abrahæ filij eſſe cupitis. Promiſit DEVS patri noſtro Abrahæ quòd in ſemine eius hæreditarentur omnes gentes. Semen autem eius non eſt ſuper Iſmahel, ſed ſupra Iſrahel. Ille enim cum matre ſua Agar eiectus, à portione ſeminis Abrahæ excluſus fuit. Abrahæ à Deo dictum eſt, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Amicus autem Dei Abraham pater noſter appellatus eſt, antequam circunciſionem acciperet, & antequam Sabbata coleret, & antequam legem aliquam diuinæ conſtitutionis ſciret. Amicus autem factus eſt, non quidem circūcidendo ſe, ſed

credendo in Deum, hoc quod in semine eius hæreditarentur omnes gētes. Si ergo Abraham amicus factus est credendo, constat, inimicum Deo esse, qui non credit in Deum: Hæc cùm disseruisset Apostolus, dixerunt Iudæi: Et quis est, qui non credit in Deum? Iacobus respondit: Qui nō credit, quòd in semine Abrahę hæreditentur omnes gētes: Qui non credit Moysen dicentē: Suscitabit vobis Dominus Prophetam magnum, ipsum audietis tanquam me, per omnia quæ præceperit vobis. Hoc autē promissum Esaias prędixit, quo ordine fieret, ait enim: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel quod est interpretatum, nobiscū Deus. Addit Hieremias: Ecce veniet redemptor tuus Hierusalem, & hoc eius signum erit: Cæcorum oculos aperiet, surdis reddet auditum, & voce sua excitabit mortuos. Ezechiel hunc etiam designat dicens: Veniet rex tuus Syon, venit humilis, & restaurat te. Daniel quoq; dicit: Sicut filius hominis, ita adueniet, & ipse obtinebit principatus & potestates. Prædixit hunc & Dauid: Dominus dixit ad me, filius meus

Vaticinia Prophetarum de Christo.

meus es tu. Et patris vox de filio dicit: Ipse inuocabit me. Pater meus es tu. & ego primogenitum ponam illum excelsum apud reges terræ. Et iterum: de fructu ventris tui ponam supra sedem meam. Quin & passionem eius prædixerunt prophetæ: Esaias enim dicit: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Et Dauid in persona eius dicit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: Ipsi verò considerauerũt & inspexerunt in me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et alio loco Dauid ait: Dederũt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, & iterum de morte eius vaticinatus: Caro mea requiescit in spe, quoniam non derelinques in inferno animam meam, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Vox autem filij ad patrem dicit: Exurgam adhuc, & tecum sum. Et iterum: Propter miseriam inopum. & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. De ascensione præterea illius dictum est à Propheta: Ascendit in altum, captiuã duxit captiuitatem. Et iterum: Ascen-

dit DEVS in iubilatione. Et rursus: ascendit super Cherubin, & volauit. Item Anna mater sancti Samuelis dicit: Dominus ascendit in cælos, & tonat. Et multa alia inueniuntur in lege de ascensione eius testimonia. Nam quòd sedeat ad dextram patris. Item Dauid inquit: Dicit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Et quòd venturus sit iudicare sæculũ per ignẽ, dicit Propheta. Et iterum Dominus manifestè veniet, Deus noster & nõ silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Hæc omnia in Domino nostro IESV Christo, & impleta sunt partim, quæ fuerunt prædicta, & quæ nondum facta sunt implebuntur propediem, ita sicut Prophetæ prædixerũt vobis. Ait enim Esaias: Surgẽt mortui, & resurgent, qui in monumentis sunt, Si interroges, Quid erit, si resurrexerint? Respondit Dauid, audiuisse se Dominum loquentem. Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui: Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, qui reddes vnicuiq; secundum opera sua. Vnde, viri fratres, vnusquisq; vestrum pœnitentiam agat, vt non recipiat

piat secundum opera sua, qui se sciẽ participem esse eorum, qui cruci affixerunt eum, qui mundum totum à cruciatibus liberauit. Siquidem è sputamento suo oculos cæci nati illuminauit: & vt probaretur ipse esse, qui Adam de limo terræ formauerat, lutũ fecit de saliua sua, & imposuit oculis ac sanauit eos. Et cùm nos discipuli eius interrogassemus illum, qui peccassent, hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit nobis Magister dicens: Neque hic peccauit; neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Domini in eo: id est, vt manifestus fieret artifex, qui eum fecerat, cùm ipse faceret quòd minùs fuerat factum. Nam & hoc, quòd pro bonis mala recepturus esset, prædictũ est in persona eius, per Dauid regem, cùm diceret: Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Deniq; post tanta beneficia in Iudęos collata, cùm tot paralyticos curasset, leprosos mãdasset, tot dæmones fugasset, & mortuos suscitasset, oẽs vna voce clamauerũt: Reus est mortis. Præterea quòd à suo discipulo tradendus fuerat, hoc ordine item prædictũ fuit

à Dauid: Qui edebat panem meum, ampliauit aduersus me supplantationem. Hæc omnia, viri fratres, filij Abrahæ prædixerunt, loquente per os eorum spiritu sancto. Nunquid si hæc non credimus, poterimus euadere perpetui ignis supplicium, aut non meritò puniendi erimus? cùm etiam, gentes credant vocibus Prophetarum: nos verò populus quondam electus, nullam Patriarchis & Prophetis nostris fidem adhibebimus? Equidem censeo erubescenda & punienda tot factis & sceleribus crimina. lachrymosis vocibus lugenda esse nobis, vt pœnitentiam nostram pius indultor accipiat: ne illa nobis tandem eueniant, quæ gentilibus maioribusque nostris acciderunt. Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, operuit super synagogam Abyron. Exarsit ignis in synagoga eorum, & flâma consumpsit peccatores. Hæc cùm disseruisset, non sine admiratione & singulari gratia Dei coram turbis clamauerunt, omnes vna voce, dicentes: Peccauimus, iniustè egimus: da nobis remediũ, quid faciamus? Quibus Iacobus ait: Viri fratres, nolite desperare: credite tantum, & baptizamini

mini; vt deleantur omnia peccata vestra. Cùm itaq; post hũc sermonem B. Apostoli, multi ex Iudęis baptizati essent, Abiathar Pontifex anni illius, videns magnũ quotidie populum in Iesum credere, p pecunias excitauit seditionem grauissimam, ita vt vnus ex scribis Pharisæorum mitteret funẽ in collũ Apostoli, & perduceret eum ad Prætorium Herodis regis. Herodes is filius Archelai erat: qui vt causam accepit, iussit beatum Iacobum decollari. Cumque duceretur ad locũ supplicij: vidit paralyticum iacentem, & clamantem sibi: Vir sancte libera me à doloribus, quibus omnia membra mea cruciantur. Ad quem conuersus Apostolus: In nomine (inquit) crucifixi Domini mei IESV Christi, pro cuius fide ducor ad mortẽ exurge sanus, & benedic saluatorem tuum. Et protinùs exurrexit, & cœpit gaudens currere, & benedicere nomen Domini Iesu. Tunc ille Pharisæorum scriba, quẽ diximus funem collo eius circundedisse, Iosias nomine, procidens ante pedes Apostoli: Obsecro te (ait) vt des mihi indulgentiam, & facias me nominis sancti participem, Ad quem

conuersus Iacobus dicit: Tu credis, quia Dominus Iesus Christus, quem crucifixerunt Iudæi, ipse sit verus filius Dei viui? Et ait Iosias? Ego credo, & hæc est fides mea, ex hac hora. quia ipse est filius Dei viui. Quæ videns Abiathar Pontifex, Scribam iussit comprehendi, & dixit ei: Si non discesseris à Iacobo, & maledixeris nomen Iesu, cum ipso decollabere. Cui Iosias: Maledictus (inquit) tu, & maledicti omnes dies tui. Nomen autem Domini IESV Christi, quem Iacobus prædicat, est benedictũ in sęcula. Tunc Abiathar felle succensus, pugnis cędere Scribam præcepit: & missa relatione de eo ad Herodem, impetrauit vt simul cum Iacobo decollaretur. Iacobus igitur cum Iosia ductus ad locum supplicij, antequàm decollaretur, rogauit spiculatorem, vt aquę illi facultas fieret, & allata est ei lagena plena cum aqua. Quam accipiens Apostolus: Credis (inquit) in nomine IESV Chhristi, filij Dei? At ille dixit: Credo. Et perfudit eum Iacobus. & dixit: Da mihi pacis osculum. Cumque osculatus esset eum, posuit manum super caput eius, & benedixit eum,

& fecit

& fecit ſignaculum crucis Chriſti in fronte eius, & haud mora, ceruicem ſpiculatori porrexit. Poſt & Ioſias, perfectus iam in fide, martyrij palmam exultans accepit, pro eo quem in mundum nobis ſaluti Deus æternus miſerat: Cui ſit honor & gloria, in ſæcula ſæculorum.

LIBER QVINTVS HIſtoriæ Apoſtolicæ, de rebus à ſancto Ioanne Euangeliſta geſtis, authore Abdia Babyloniæ Epiſcopo, & Iulio Africano interprete.

IOannes Iacobi ſuperioris frater germanus, ſed minor natu, Zebedæo patre, cum piſcaretur, vocatus à Chriſto fuit: quem poſteà non ſolum ad Apoſtolatus culmen euexit, ſed præcipuo quodam amore complectebatur. Vnde & in monte cùm ſe Chriſtus manifeſtâſſet, & in horto cum caperetur ex tribus vnus fuit. Quin & in cæna poſtrema cum nouum illud teſtamentũ ſalutis noſtrę mundi Saluator conderet, proximè Chriſto aſ-

ſidens, in ſinu eius reclinans obdormiuit. De quo & illud Euangeliſta ſcribit, quòd mater Chriſtum rogauerit, vt filiorum alter illi à dextris, alter à ſiniſtris in regno cælorum ſederet. Iacobum nimirum, & iſtum ipſum Ioannem intelligens. Is, vt Chriſtus in ligno crucis præcepit, virginis matris Domini curam à paſsione magiſtri ſemper habuit: & communibus cum fratre Iacobo auſpicijs, Iudæis Samaritanisque Ieſum Saluatorem prædicabat. Petro quoque ſubinde adhærebat. Vnde poſt reſurrectionem, cùm Dominus piſcantibus occurriſſet, Ioannes agnitum prius Petro ſignificauit. Accepto quoque ſpiritu ſancto, cum Petro hora nona templũ Hieroſolymitanũ ingreſſus, Aeneæ paralytico & claudo ex vtero matris ad ſpecioſam portam ſtipem petenti, ſanitatem contribuit. Secutus poſthæc iuſſa magiſtri, vt euangelium gentibus adnunciaret, ex Palæſtina in Aſiam, atque inde in Epheſum traiecit, vbi ad Domitiani Cæſaris ætatem vſque Apoſtolico munere ſuo fungebatur, nonagenarius ferè, quod de illo in vita Chriſtus prædixiſſe videtur. Nam cùm

Meminit Paulus quo que in epiſtola ad Galatas ſe cum

cùm Christus Petrum, vt se sequeretur iuberet, & Ioannes citiùs sequeretur, quia molestè Petrum ferre videret, qui ab ipso etiam quæsiuerat, quid Ioannem facere vellet: Christus ei respondit: Si eum manere in vita vellet, quoad ipse veniret, quid eius interresset? Quod discipuli non intelligentes verbum, vana opinione, antequam spiritum adhuc sanctum accepissent, Ioannem nunquam moriturum existimarunt. Est igitur & hoc ipsum amoris Saluatoris in beatum Ioannem indicium nō vulgare, quòd vita reliquos omnes superauerit, & vt dictum est, à Domitiani temporis ætate vsque in Asia verbum salutis populis adnunciarit, & paulò pòst defuncto Timotheo Ecclesiam gubernare cœperit apud vrbem Ephesum. Cui Proconsul loci cùm edictum Imperatoris, vt Christum negaret, & à prædicatione cessaret, legisset, beatus Apostolus intrepidè respondit: Obedire oportere Deo magis quàm hominibus. Proinde nec Christum Deū meū (inquit) negabo, nec à prædicatione nominis eius quiescam, donec consumpsero cursum ministerij mei, quod

Tito & Barnaba profectum Hierosolymam atque ibi Iacobo, Petro, et Ioanni dextram porrexisse.

Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, Ioannē in Asia euāgelizasse scribit.

quod à Domino suscepi. Ad cuius responsionem motus Proconsul, iussit eum velut rebellem, in dolio ferventis olei mergi. Qui statim vt coniectus in æneo est, veluti fortis athleta, vnctus, non adustus, de vase exijt. Ad quod miraculũ Proconsul stupefactus, voluit eum libertati suę reddere: & fecisset nisi timuisset edictũ Cæsaris: mitiorẽ igitur pœnã excogitãs, in exilium eũ relegauit, in insulã quæ dicitur Pathmos. In qua & Apocalypsim, quæ ex nomine eius legitur, & vidit, & scripsit. Post mortem autem Domitiani, quia omnia illius decreta Senatus infringi iusserat, inter cæteros, qui ab illo relegati fuerant, & ad propria remeabant, etiam sanctus Ioãnes Ephesum redijt, vbi & hospitiolum, & multos amicos habebat. Plenitudine enim gratiæ diuinæ, & conuersatione syncera commendatus, omnibus amabilis erat. In qua ciuitate senescens, etiam prædicationem verbi diuini signis & virtutibus confirmabat, ita vt tactu vestimenti eius languentes sanarentur, infirmi curarentur, cæci illuminarentur, leprosi mundarentur; denique dæmones

Hoc, Legenda et Perionius falsò Romæ contigisse scribunt.

Relegatio Ioannis in Pathmum.

Reditus in Ephesum.

nes passim ab hominibus expellerentur. Cùm ergo redijsset Ephesum Apostolus, rogabatur etiam vicinas inlustrare prouincias, quò vel Ecclesias fundaret, in quibus non erant locis: vel in quibus erant, Sacerdotes ac ministros institueret, secundum quod ei de vnoquoque spiritus sanctus indicasset. Cùm igitur venisset ad quandam vrbem haud longè positam, omnibus Ecclesiasticis solenniter impletis, vidit iuuenem quendam validum corpore, & vultu elegantem, sed animo acrem nimis, respiciensque ad Episcopum, qui nuper fuerat ordinatus: Hunc (inquit) summo studio tibi commendo, sub testimonio Christi, & totius Ecclesiæ. Tum ille suscipiens, omnem se adhibiturum, sicut præcipiebat, diligentiā pollicetur. Sed iterum atque iterum eadem sæpiùs repetens, iuuenem cōmendabat attētius, & posthæc Ephesum redijt. Tum verò presbyter in domum suam adolescentem suscepit commendatum, & cum omni diligentia nutrit, amplectitur, fouet, ad vltimum etiam baptismi gratiam tradit: Posthæc iam velut confidens gratiæ,

Elegans historia de educatione iuuentutis bonæ.

tiæ, qua fuerat communitus, pau
indulgentiùs habere iuuenem cœpit
sed ille vbi immatura libertate pot
tus est, continuò per æquæuos, qui
bus luxus & desidia cordi est, amar
vitia, & corruptæ viæ incedere tra
mitem perdocetur. Et primo quider
conuiuiorum inlecebris decipitur
inde nocturnis eum furtis sociumm
li sibi, participemq; conscifcunt: po
hæc iam ad maiora flagitia pertra
hunt. Cùm intereà sensim iuuenis fo
mabatur & instituebatur ad scelera
& quia esset acer ingenio, sicut equus
effrenis & validus, duris morsibu
obfirmatis, recti itineris lineam de
relinquens, rectore contempto, rapi
do cursu totus fertur in præceps. In
succedentibus sibi malis, vt desper
tionem quoque à Domino præstitu
salutis acceperit, dedignatur iam d
paruis sceleribus cogitare, grandi
quæque molitur: & ex integro per
ditioni se tradens, nulli inferior es
in flagitijs cupit. Denique illos ipso
qui prius magistri criminum fuerant
discipulos facit: & latronum ex hi
turmam, quibus ipse dux & princep
violentus præesset, instituit, & cum
hi

his omni crudelitate graſſatur. Verùm tempore elapſo, cùm rei ita popoſciſſet vtilitas, inuitatur iterum ad illam vrbem Ioannes. Et cùm cætera, quorum gratia venerat, ordinaſſet: Age (inquit) ô Epiſcope, depoſitum repræſenta, quod tibi ego planè & Chriſtus commendauimus, Eccleſia teſte, quam regis. At ille obſtupuit, primùm pecuniam putans à ſe repoſci, quam non acceperat. Sed rurſum conſiderabat, nec poſſe fallere Ioannem, nec quod non dedit, quærere: hærebat igitur ſtupens.

Quem Ioannes hærentem videns: Iuuenem illum (inquit) repeto à te, & animam fratris.

Tunc grauiter ſuſpirans ſenior, & in lachrymis reſolutus: ille, ait mortuus eſt.

Quomodo (inquit) vel quali morte? Domine (ait) mortuus eſt, quia peſsimus & flagitioſus euaſit, ad vltimum etiam latrociniũ adgreſſus eſt: Et nunc adeò montẽ quẽdam cũ multa latronũ manu occupat. Quibus auditis, Apoſtolus veſtem cõtinuò, qua erat indutus, ſcindit, & cum ingenti

gemitu

gemitu feriens caput suum : bonum te (inquit) custodem fratris animæ dereliqui. Sed iam nunc mihi equum paretur, & dux itineris. Et ita confestim ab ipsa Ecclesia ascendens, eo concitus properabat. Cumque peruenisset ad locum, attinetur ab his latronibus, qui custodias obseruabant. Sed ille neque effugere, neque prorsus declinare vsquam nitens, ingenti tantùm voce clamabat: Quia ad hoc ipsum veni, adducite mihi Principem vestrum. Qui cùm veniret armatus, eminùs agnito Ioanne Apostolo, pudore tactus, in fugam vertitur. Ille equo post eum admisso, confestim insequitur fugientem, etiam ætatis oblitus, simul & clamans: Quid fugis ô fili patrem tuum? quid fugis inermem senem miser? noli timere, habes adhuc spem vitæ. Ego Christo rationem reddam pro te. Equidem pro te mortem excipio libenter, sicut & Dominus excepit pro nobis, & pro tua anima dabo animam meam. Sta tantùm, & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit, ac vultum demisit in terram: post hoc arma proiecit, tremefactusque flebat amaris-

amarisimè. Et accedentis ad se senis genubus prouolutus, gemitibus ac vlulatibus quibus poterat satisfecit. denique vberrimis lachrymarum suarum fontibus iterum baptizatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus verò iurisiurandi sacramento se ei à saluatore impetraturum veniam pollicens, simulque genibus eius prouolutus, atque ipsam dextram, ex cuius cædis conscientia torquebatur, tanquam iam per pœnitentiam purgatam, deosculans, ad Ecclesiam reuocat, & indesinēter pro eo orationes perfundens: & cum ipso pariter ducens crebra ieiunia, indulgentiam à Domino, quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed & varijs sermonū consolationibus, veluti quibusdā præcantationibus, efferos & exteritos eius animos mitigabat. Nec priùs abstitit, quàm eū in omnibus emendatum, etiam Ecclesiæ præficeret loci illius: præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, & documentum ingens nouæ regenerationis, atque insignia quædam & trophæa visibilis in eo resurrectionis ostendens. Ita igitur cum plurimas vrbes adijsset San-

S. Ioannis in Ephesim reditus.

ctus Ioannes, prædicans verbum Dei, reuertitur Ephesum, quòd sibi finem vitæ adesse intelligeret. Apud Ephesum verò in tanta gratia hominũ exinde Apostolus semper extitit, vt alius manus eius gauderet contingere, alius applicare eas oculis suis, & pectori admouere, si ita vsus exposceret. Plerique etiam tactu vestis exhilarati, quia tetigerant amictum eius, sanabantur. Sed hæc Sancta gaudia & pii celebritatẽ aduersarius ingemiscens, immunem fraudis esse non passus, interturbare conatus est, vas sibi ad nocendum eligens gentilis hominis, qui Deum nesciret: causam verò arripiens, de pulchritudine fœminæ nobilis & Christianæ, Drusianæ nomine adsciscebat quoq; idem inimicus noster ad facilitatem prolapsionis, adolescentis ætatem. Adolescenti nomen Callimacho erat. Is Drusianam cùm vidisset, perditè adamare cœpit. Et quamuis Andronici nosset vxorem, etiam in adulterij crimen exæstuabat. Frequens erat sermo, & certa opinio, quòd ea fœmina Apostolicis intenta sermonibus, propter Dei cultum viro non commisceretur, clausaque

Hanc de Drusiana historiam Perionius vix attigit quidẽ & nucleum omnino, ob quã causam sit excogitata omisit.

ſaque in ſepulcro, ne ita quidem victa in arbitrium conceſſiſſet mariti. Quin etiam mori elegerat, quàm conſuetudinē repetere coniugij, cùm præſertim maritus inſiſteret dicens: Aut reddes te mihi vxorē, qualē antè præbebas, aut morte perſequar repugnātem. Sed nec mortis timore reuocata eſt, nec à contemplatione cæleſti vel donis vel vllis illecebris reuocari potuit. Verùm hęc amore inſaniens adoleſcens, quem diximus, tametſi ſciret atque audiret, cùm reuocaretur à plurimis, eò quòd nihil eſſet effecturus, contempſit, & confirmatam Dei verbo, ſuo furore tentandam putauit, quæ maritum proprium etiam ad obſeruantiam prouocauerat caſtitatis, coniugij copulam mentis tantummodo charitate ſeruans. Itaque cùm compellaſſet fœminam, nuncio ſpeque potiundi deiectus, mœſtiorem indies cœpit ducere vitam. Druſiana quoque procaci interpellatione offenſa, poſt biduum in febrem incidit, dolens, quòd ad patriam reuertiſſet, & tantum ex eius forma nefas exortum eſſet: Vtinam (inquit) vel in patriā nūquam redijſſem,

vel

vel ille verbo Dei instructus, in hunc se errorem non coniecisset. Ego igitur quia causa tanti vulneris infirmæ animæ sum, solui me ab hac vita cupio, Domine Iesu, vt euocata ancilla tua, quietiùs vitam miser proroget. Hæc præsente Ioanne Apostolo Drusiana dicebat: sed quò tenderet sermo, nec Apostolus, nec alij intelligebant. Tristis igitur ac mœsta, propter vulnus adolescentis illius, obijt diem. Mœstiorem quoque maritum fecit, quia conturbatum vxor eius habuisset exitum, & mœrore affecta animam optasset absolui. Flebat igitur Andronicus, ita vt reprehenderetur ab Apostolo dicente: Ita ne fleueris, quasi ignores, quò illa concesserit. Nescis illam conuersationem esse meliorem, quæ in cælo est, ad quam Sancta & fidelis Drusiana transiuit, expectans spem resurrectionis à mortuis? Cui respondit Andronicus, se non diffidere quòd resurrectura sit Drusiana, nec mutare fidem: sed putare, qui purè huius vitæ confecerit cursum, ille saluetur. Sibi autem hoc dolori esse, quòd cognouerit, latentem quendam mœrorem subijsse so-

rori

rori suæ (ita Drusianam appellabat) cuius causam cognoscere ex illa nunquam potuerat, nec humato iam corpore sciret. Et cùm interrogasset Apostolus Andronicum secreto, quæ causa fuisset: residens paulisper præsentibus fratribus omnibus, qui conuenerant alloquio dulci Apostoli frui cupientes, in hæc verba locutus est: Gubernator nauis & omnibus qui nauigant, & ipsi etiam naui, cùm eam in portu constituerit, ac fidei commiserit stationi, tunc valedicit. Sic agricola cùm dederit terræ semen, & multo labore nouale exercuerit, diligentiam exhibuerit, detulerit custodiam, tunc requiem laboris accipit, cùm in apothecis multiplicatam messem locauerit. Præterea qui currit in stadio, tunc exultat, cùm brauium acceperit. Qui athletarum more decertare parat, tunc gaudet, cùm coronam acceperit. Oēs postremò, qui diuersis artibus student, & operibus incūbunt, in fine muneris vel operis Deū meritò laudant omnes, quod destituti non sint, sed iustificati iuxta promissum Domini, quod sanctis suis dignatus est polliceri. Quod non conuenire arbitror,

Elegans & plena grauissimi argumenti disputatio de vita humana, & eius fine.

bitror, vt vnusquisq; tũc fidem suam
quam exercet, probatam sciat, cùm e
plens vitalis muneris cursum, purum
reddat, quod sibi creditum est. Multa
sunt enim quæ fidem facilè singulos
frangant, & quasi turbationem quan
dam inferant humanæ cogitationi
solicitudini, filij, parentes, gloria, pa
pertas, adulatio, iuuentus, pulchritu
do, iactantia, cupiditas diuitiarũ, pra
latio, negligentia, inuidia, dissimula
tio, iniuria, amor, tristitia, possessio
serui, patrimoniũ, occasio, & alia hu
iuscemodi impedimenta, quæ obsis
re solent: sicut gubernatori currenti
cursum proprium ventus frequentes
exortus occurrit, & properantem re
tardat, & tempestatẽ excitat & proce
las. Agricolæ quoq; adultam spem tu
stior ludit euentus: ita etiam, prius
quam vitæ huius aliquis exitum sub
at, effectum prospicere debet, & qua
lem sit habiturus, addiscere: videli
cet, vigilantémne ac sobrium, & cu
nihil impedimenti possit adferri, a
verò conturbatum & obligatum vo
luptatibus sæcularibus. Sicut enim
laudat corporis decorem nemo, nu
cùm omnia deposuerit indumenta
nemo

nemo ducem, nisi eum qui gloriosè vniuersum bellum confecerit: nemo medicũ, nisi eum qui curauerit ægritudines varias: ita nemo potest laudare vitam, nisi is qui plenum fidei animum, & templo Dei dignam carnẽ suam præstiterit: quæ non ipso cursu vana specie disloluta corruerit, non obstupefacta & hebeta rebus humanis sit, neque inclinata ad temporalia, neque perpetuis caduca prætulerit, & non manentibus manentia cõmutarit, neque honorauerit quæ honorificanda non sunt, neq; denique amauerit plena opera contumelijs: & qui pignus satanæ non acceperit, aut intra pectus suum serpentem clauserit: qui non riserit non ridenda, vel opprobrium non erubuerit pro Christo, Est etiã qui verbo aliquid dicit, & opere negat. Nõ igitur lubricam carnẽ prestare vnusquisque suam debet, ne vas faciat immunditiæ: sed talem quæ nõ sordida exuratur libidine, non immũditia vincatur, non auaritia superetur, non cupiditati pecuniæ subiugetur, non ferocia corporis dometur, non ira & indignatione prodatur, nõ absorbeatur tristitia, non ludicris

quibusdã in hac vita actibus eneruetur: sed ea quæ fidem in Iesum Christũ Dominũ nostrũ adaugent & prouehunt, suscipiat, vt vitam recipiat æternam, pulcherrimum præmium pro illis, quæ in hoc sæculo despexerit. Hęc cùm adhortationis gratia sanctus Apostolus disseruisset grauiter, vt fratrũ animos prouocaret ad concupiscenda æterna, & cõtemnenda tẽporalia, is tamen de quo diximus adolescens qui Drusianã adamabat, cæcum pectore vulnus alens, suo indies magis magisq; consumebatur incendio, quod nec mulieris potuit morte restingui. Nec mirũ si nullam accipiebat Ioannis sermone medicinam, qui negligebat audiendi, nõ remedium vulneri adhibere quærebat, sed scelus quotidie immane desiderabat augere. Itaque accidit posteà mortua Drusiana, atque sepulchro illata, cùm in mortuam hanc Callimachus deperiret, Procuratorem Andronici precio corrupit, vt sibi tumulum in quo Drusiana condita erat, reseraret, corporisq; adamandi copiam faceret. Quod vbi proclitus tandem impetrauit, tentabat inlicitum nefas corpori inferre defuncti

In quod non repentino quodam motu, ſed furioſa quadam meditationis amentia latus: Etſi viua (inquit) coitus noluiſti mecum ſubire cõſortium, mortuæ eam tibi tamen inrogabo iniuriam. Ita adhibito flagitij procuratore, adoleſcens furẽs cum ſepulchrũ fuiſſet ingreſſus, corpus primò inuolutum pannis exuere cœpit. Subiecit procurator ſceleris immanis: Quid profeciſti infelix Druſiana, negando viua quod mortua ſuſtinebis? Ita ſermone pariter atque opere geminabatur ſcelus. Et cùm iam ſublatis propè omnibus exuuijs ſepulturæ, ſolum genitalis partis ſupereſſet velamen, commixtionem inlicitam molitur immani iuuenis libidine furens. Et ecce ſubitò, incertum vnde, ingens ſerpens occurrit, cuius vno ſaucius morſu, ſed magis diro furentis terrore perculſus, corruit iuuenis, ita vt veneni frigore ſubitò omnis eius vis euanuerit, ſupra quem ſtatim ſerpens lapſum aſcendens quieſcebat. Sequenti verò die, qui erat tertius à die mortis Druſianæ, cùm ſanctus Ioannes, & vir mulieris Andronicus, matutinis horis ad tumultum conueniſ-

Nota horrendum ſcelus.

ſent, vt ſacra celebrarent, ecce claues non inueniebantur. Quocirca Ioannes: Rectè, inquit, claues ſepulchri perierunt, quoniam Druſiana in ſepulchro inter mortuos non eſt. Verùm ingrediamur, ſponte fores aperientur, Mon enim dubitare poſſum de Domini miſericordia, quin & hoc cõferat nobis, qui multa conceſſit. Cùm igitur appropinquaſſent ſepulchro, ſubitò præcepto Ioannis apertæ ſunt fores: & iuxta ſepulchrum Druſianæ vidimus ſpecioſum adoleſcentem, adridentem. Quem videns Ioannes, cum clamore ait: Et hic nos præuenis Domine IESV Chriſte? Qua cauſa igitur veniſti Domine? Et audiuimus ſono vocis exprimi: Propter Druſianã, quam habes nunc reſuſcitare: & propter illũ, qui propior ſepulchro eius exanimatus iacet: qui & honorificabunt propter me Deum. Et hæc cùm dixiſſet bonus ad Ioannem, in cęlum, videntibus Ioanne & cæteris, reuertebatur. Conuerſus autem Ioannes, cùm vidiſſet duo iacentia prope ſepulchrum corpora, quorum vnum Callimachi erat, qui princeps Epheſiorum erat, ſupra cuius corpus ſerpens

Ex his apparet Abdiam hanc hiſtoriam ſcripſiſſe ex relatione alicuius qui rebus à S. Ioanne geſtis interfuerat.

pens cubabat immensus: alterum verò corpus erat Fortunati, qui procurator fuerat Andronici:. Intuens igitur vtriu que corpus, cogitabat secum ipse, & dicebat: Quid sibi vult hæc species, & quare mihi Dominus non demonstrauit, quæ hic gerebantur, qui nunquã dedignari solet? Verùm Andronicus cum seminudũ corpus Drusianæ vidisset, cum vno tantũ velamine iacere in sepulchro, illos aũt duos mortuos, ait ad Ioannem: Intelligo quid factum sit, ô Ioannes. Nam iste Callimachus iuuenis adamauerat Drusianam, dum viueret, & cùm esset eius petitio refutata, nihilominus tamen mulierẽ nõ desinebat incessere, Verùm frequentis repulsæ dolore cõmotus, Procuratoris mei amicitiam ambiuit, vt eius opera ad vsus nefandos vteretur. Quin aiunt eum crebrò viuente Drusiana dixisse, si non posset concubitu eius potiri viuentis, iniuriam tamen defunctæ esse facturum. Et fortassè, Ioãnes propterea bonus iste velauit eius reliquias, ne scilicet corpus pateretur iniuriam. Et ideo arbitror istos morte mulctatos esse, quia immanes ausus flagitij tentauerunt.

Puto etiam ideo hanc ad te factam esse vocem, resuscitandæ Drusianæ, quòd cum mœrore & tristitia vitæ istius exitum immaturè clausisset, dolens quòd iuuenem formæ suæ culpa affecisset. Quæ igitur causa, vt cùm tria videamus corpora, de duobus tantum resuscitandis facta vox sit, de tertio autem siluerit: nisi quòd reformari Drusianam Dominus voluerit, ex eo quòd cum mœrore decesserat, vt diem suum cum tranquillitate componeret. Hic quoque iuuenis, quàm causam veniæ habet, nisi quòd videatur ipse, tanquam vnus de errantibus, esse deceptus. Tertius autem, puto quòd indignus beneficio Domini nostri Iesu Christi existimetur. Accingere igitur Ioannes obsecro, & primò omnium Callimachum resuscitato, vt ipse nobis quæ gesta sunt, prodat. Accedens autem Ioannes, iuxta corpus defuncti iuuenis, dixit serpenti: Discede ab eo, quia seruiturus est Domino nostro IESV CHRISTO. Et statim recessit serpens. Quo facto, procumbens humi, precatus est Dominum in hæc verba: Deus, cuius gloria honoratur à nobis, qui omnem operationem

Plenæ grauitatis oratio ad Deũ.

tionem inferiorem domas: Deus, cuius voluntas virtute tua consummatur, propter gloriam tuā, exaudi nos: & nunc consummetur in isto iuuene gratia tua. Et si qua facta sunt per istum iuuenem, hæc nobis surgente eodem, demonstrato. Et statim iuuenis surgens, integram horam requieuit. Sed vbi ad vigorem sensus sui reuersus est, interrogatur à Ioanne, vt causam sui aperiret. Ita ingressus rem oēm explanauit, quēadmodum suprà Andronicus intimauerat. Amorem sibi Drusianæ causam fuisse, vt nec à desiderio mortuæ temperârit, Qui interrogatus rursum à Ioanne, vtrùm nunc temeritatis suæ circa reliquias plenas venerationis & gratiæ, aliquē habere potuisset effectum: Respondit: Quomodo aliquid poterā vel audere, vel facere, cùm talis bestia repentè in me irruisset, quæ Fortunatum vulnere etiā perculit, qui incentiuum addiderat huius insaniæ, quæ videbatur iam posse quiescere. Mihi autem illud causa mortis fuit, quod cum animi quadam dementia, & plane infœlici languore correptus, detraxissem defuncto corpori exuuias,

ac discedens paulisper, me iam ad impiũ facinus præparabam, quo volebã cum defunctæ corporis reliquijs cõuenire: Ecce vidi, quemadmodũ speciosus iuuenis corpus Drusianæ sua veste velabat, à cuius facie scintillæ ignis resiliebant in totũ sepulchrũ. Ex quibus vna in me veniẽs, vocẽ dedit: Callimache morere, vt viuas. Quis fuerit homo iste, nescio. Sed quia te video hic Dei seruum, & nunc apparuisti mihi, cognosco & illũ Angelum Dei fuisse, & noui, quia vere à te Deus adnũciatur. Vnde rogo & deprecor, ne me in hac ærumna relinquas. Scio enim atq; reminiscor quæ gesserim, & quam indigna tentauerim. Et ipse animo mœreo. Vtinam viscera mea reserare posses, & videre interiorẽ mei sensum doloris. Deniq; mœreo, quòd nequaquam à tãtis flagitijs tẽtauerim. † Sed huius mœroris à te expecto medicinã, qui vt es Dei omnipotentis prædicator, cuius est filius verus Dominus noster Iesus Christus, ita à te verbũ eius cupio scire. Nec dubito, si manũ porrigas, vt & vocis eius compleatur veritas, quæ dicebat: Oportere me mori, vt viuerem. Mortuus sum uẽ ille insolens,

Nota admirandam hi storiam.

solens, sed resuscitatus sum mitis atque mansuetus: mortuus sum Gentilis, sed resuscitatus sum Christianus. Cognosco iam quidem veritatem, sed peto vt pleniùs mihi tuis magisterijs reueletur. Quibus verbis lætatus Apostolus: Et quid agam (inquit) Domine Iesu Christe, nescio. Obstupui in excessu meo, tantā tuam esse misericordiam: simul insolitam quandam patientiam tuam recognosco. Hæc cùm dixisset: benedicens Dñm, apprehendit Callimachum, & osculatus est eū, dicens: Benedictus Dñs Deus, & filius eius Iesus Christus, qui tui misertus est, & à furore atque dementia mortis specie liberauit, qui illa tua refrigerauit incendia, qui occasionem culpæ ademit, qui vesanæ libidinis tentamina succidit, qui iam mortuū peccato rursum reddidit vitæ, vt in Dñi nostri Iesu Christi fide gratiaq; requiescas: Vides quanta multitudo ad ministerium nostrum, & ad salutem tuam venerit. Andronicus autem vbi vidit Callimachum resuscitatum, viscera maritali resolutus affectu, rogare cœpit Apostolum, vt Drusianam quoque resoluta morte reuocaret,

dicens: Oportere eam resurgere, vt tristitiam exuat, cui iam mortua videbatur, mœrorem quò possit absoluere: eò quòd doluit occasione formæ suæ iuuenem esse deceptum. Rogat ergo vt & ipsam resuscitaret, & quando vellet Dominus, iterum auocaret eam. Motus itaque Ioannes, & petitione viri, & modestia Drusianæ, accedens ad sepulchrum, & manum eius tenens, cùm Dominum esset deprecatus: Drusiana (inquit) surge in nomine Iesu Christi Domini nostri, surge in gloria eius. Quæ surgens ascendit de tumulo. Et cùm vidisset se nudam, in illo tenui tantum velamine causam quæsiuit. Quam vbi ab Apostolo cognouit, honorificauit Dominum, ac se induit. Deinde respiciens Fortunati corpus iacere, ait ad Ioānem: Pater, & hic resurgat quæso, quamuis funeris mei se præbuerit proditorē. Quod vbi audiuit Callimachus, rogare cœpit, ne hominem improbum resuscitare vellet, cuius incentiuo præcipitatus sit in furorem, quod hunc etiam, quam audierat gratia non contigerit, eo q̃d se tantum & Drusiana resultauerit venerabilis illius vocis oraculū: Dignū (inquit)

(inquit) morte iudicauit, quem dignũ resurrectione nõ prodidit. Cui respondit Ioannes: Non didicimus fili, malũ pro malo reddere. Nam & nos peccatores sumus, qui grauia cõmisimus. & per Dominum nostrũ Iesum Christum consecuti sumus misericordiam, qui non putauit mala pro malis esse reddenda, sed pœnitentia & conuersione sepelienda delicta. Sed si mihi non permittis, vt Fortunatus resurgat, Drusianæ hoc munus atque opus erit. Quæ repleta Spiritu sancto, accedens ad corpus Fortunati, ait: Domine omnipotens, qui concessisti, vt hæc tam miranda opera tua cernerem, qui me consortem nominis huius esse voluisti: qui denique contulisti mihi, vt non solùm te ipsa cognoscerem, sed etiam maritum consortio quodam germanitatis agnoscerem: qui mortem elegisti meam, vt separata paulisper à corpore, magis essem tua: qui iuuenem istum obire iussisti, vt in eo culpa moreretur, vita repararetur. Et nunc igitur Domine, ne despicias preces famulæ tuæ. iube Fortunatum resurgere, etsi proditor meus esse tentauerit. Et adprehendens manũ eius,

inquit: Surge Fortunate in nomine Iesu Christi, Domini & Dei nostri. Qui cùm surrexisset, & vidisset Drusianam resuscitatam, Callimachum Domino credidisse, ingratus salutis suæ, ait: Mori sibi meliùs fuisse quàm resuscitari, ne videret quòd etiam ad illos virtutis gratia peruenisset. Què aspiciens Ioannes ait: Hoc est quod Dominus in Euangelio locutus est, quia arbor mala malos fructus facit. Malæ enim radicis succus inoleuit, & ideo non potest bonus fructus succo degenerante concrescere. Nihil hic communis natura deliquit, sed radicis totum est vitium. Eadem omnes arbores fœcunditate, & quasi quodam gremio parentis ac sinu fouet terra mater, ac prouehit: eiusdem quoque aëris temperie ager omnis vtitur. Dominus quoque omnipotens pari vsu omnia imbre perfundit, & eodem sole tepefacit secreta terrarum & lignia syluarum: sed diuersus est fructus, variusque prouentus arborum singularum. Alia sterilis est, alia fœcunda. Atqui in illa sterili, radix vitij causa est, quæ terrenæ vbertatis, & cælestium beneficiorum gra-

gratiam ſentire non potuit. Similiter autem omnes homines Deus noſter ad imaginem ſuam fecit, hoc eſt, ad illam diuinam gratiam prouocauit, vt miſericordiam, virtutem, pietatem atque iuſtitiam, & cætera quæ in Deo laudamus, & nos imitari debemus: ſuum oriri iuſſit ſolem, & omnibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus aduenit, omnibus crucifixus eſt, omnibus ſurrexit. Sed hoc tantùm munus ac donum Dei patris, qui pro nobis tradidit filium ſuum, itemque Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſe pro noſtra redemptione obtulit pauci vſque ad finem vendicant. Alij faſtidiunt, & oblatam ſalutem recuſant, dum nolunt credere auctorem ſalutis. Plerique etiam, dum inuident gratiæ diuinæ, quæ operatur in nobis, ſe hoc cæleſti fructu bdicant: vt iſte miſer inuidia deceptu nec redditæ ſibi vitæ munere grat ulatur, habet igitur carbones ſuos, h abet & fructum malæ arboris, que m accendat ignis, & ſuis ſe conſumit incendijs. Separetur radix huiuſmodi à fidelium conuerſatione, & ab omni opere timentium Deum, ab omni

deuo-

deuotorum munere, à congregatione Sanctorum, & à cõmunione Sacramentorum non habeat communionẽ cum viuẽte Drusiana, cuius & mortem iniuria dignam putauit, & vitã inuidia ferre non potuit. Nos aũt communionẽ quam deferebamus mortuæ, viuẽti impertiamus. Ita gratiarũ Domino nostro Iesu Christo actione celebrata, domũ Andronici Apostolus repetiuit: vbi suggerente sibi spiritu, fratribus ostendit, Fortunatum vulneratũ denuò à serpente esse. Iussitq; citò aliquem dirigi, qui nunciaret fidem veri. Vnum igitur ex iuuenibus destinàrunt, qui regressus vidit eum iam frigidum & per corpus eius venena serpẽtia. Sed vbi nunciatum esset Ioanni, quòd intra tres moriturus esset horas, ait: Habes filium tuum diabole. Et illam diem cum fratribus lætum exegit. Altera verò die Craton Philosophus in foro proposuerat, de contemptu diuitiarũ exempla se editurum. Erat aũt spectaculum huiusmodi: Duos iuuenes persuaserat, ditissimos ciuitatis fratres, vt distracto patrimonio, gẽmas emerẽt singulas, quas in conspectu plebis publicè fregerunt.

gerunt. Quod dum facerent illi, contigit vt trāsiret fortè Apostolus Qui vocans ad se Cratonem Philosophū, ait: Stultus est iste mundi contēptus, qui hominum ore laudatur, diuino iā pridem iudicio condemnatus. Sicut enim vana medicina est, ex qua non abscinditur morbus: ita vana doctrina est, ex qua non vitia curantur animarum & morum. Atqui magister meus iuuenem cupientem ad vitam æternam peruenire, his verbis instruxit, quibus diceret: Vt, si vellet perfectus esse, venderet omnia sua, & daret pauperibus: quo facto, thesaurum in cælis acquireret, & vitam, quæ finem non habet, inueniret. Ad quem Craton: Humanæ, inquit, cupiditatis fructus in medio hominū positus, cōfractus est. Sed si verè Deus est magister tuus, & vult hoc fieri, vt pauperibus erogetur census precij harum gemmarum, fac reintegrari species, vt quod ego feci ad famam hominū, tu facias ad gloriam eius, quem tuū magistrum esse commemoras. Tunc beatus Ioannes colligens fragmenta gemmarum, illaq; manu retinēs, eleuauit oculos ad cælum, & dixit: Domine

mine Iesu Christe, cui nihil sim possibile est, qui fractum mundum per lignum concupiscentiæ, rursus per lignum crucis tuæ in tuis fidelibus restaurasti: qui nato cęco oculos, quos natura negauerat, reddidisti: qui mortuum Lazarum, & sepultũ, post quartum diẽ ad superos reuocasti, & omnes morbos omnesque ægrimonias, virtutis tuæ verbo subiecisti: adesto nunc super istos lapides preciosos, quos ignorantes fructus eleemosynæ ad plausus hominum confregerunt: tu Domine per manus angelorũ tuorum modo recupera, vt pretio eorum misericordiæ vsus expletus, faciat credentes tibi ingenito patri per vnigenitum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, cum sancto spiritu illuminatore & sanctificatore totius Ecclesiæ, in sæcula sæculorum. Cumq; respondissent fideles, qui cum Apostolo erant, & dixissent, Amen: ita mox sunt solidata fragmenta gemmarum, vt nec signum aliquod in his quòd fractæ fuissent, remaneret. Quæ Craton Philosophus cum suis discipulis cernens, pedibus Apostoli advolutus, credidit exinde, & baptizatus

tus est cum omuibus, cœpitque & ipse fidē Domini nostri Iesu Christi publicè prædicare. Itaque duo fratres illi, quos diximus, venundantes gemmas, quas vendito patrimonio suo emerant, pauperibus tradiderunt: & cœpit de reliquo infinita turba credentium adhęrere Apostolo. Quæ cùm fierent, accidit vt eodem exemplo duo honorati ciuitatis Ephesiorum, omnia sua venderent, & egentibus distribuerent, sequentes Apostolum per ciuitatem euntem, & verbum Domini prædicantem. Hi cùm Pergamum vrbem ingrederentur, viderunt seruos suos sericis indutos vestibus, in publicum procedentes, & in gloria sæculari fulgentes. Vnde factum est, vt sagitta diaboli percussi, tristes efficerentur: quòd se in vno pallio viderent egentes, suos verò seruos potentes atque fulgentes. Sed hos dolos diaboli intelligens Apostolus Christi, ait: Video vos & animos mutasse & vultus, propter hoc quod doctrinam Domini mei IESV Christi secuti, omnia quæ habere potuistis, pauperibus contulistis. Vnde si vultis recuperare

perare omnia, quæ in auro, argento & lapidibus preciosis quondam habebatis, deferre mihi virgas rectas in singulis fascibus. Quod cũ fecissent, inuocato nomine Domini Iesu Christi, conuersæ sunt in aurum. Et dixit ad eos Apostolus: Adferte mihi lapides minutos à littore maris. Quod cùm & ipsum fecissent, inuocata maiestate Domini, conuersi sunt in gemmas lapilli omnes. Et conuersus ad viros istos beatus Ioannes: Circuite (inquit) aurifices & gemmarios per dies septem, & cùm probaueritis aurum verum & veras gemmas esse, nunciate mihi. Euntes autem, ambo post septem dies reuersi sunt ad Apostolũ, dicentes: Domine, omnium aurificum officinas circuiuimus, qui omnes dixerunt, tam purum aurum se nunquã vidisse. Sed & gemmarij eadem dixerunt tam optimos lapides & preciosos se nunquam vidisse. Tunc dicit eis Sanctus Ioannes: Ite, & redimite vobis terras, quas vendidistis, quia cælorum prædia perdidistis. Emite vobis sericas vestes, vt pro tempore fulgeatis sicut rosa, quæ odorem & ruborem ostendens, repentè marcessit. Suspirastis

Elegans & plena grauitatis S. Ioannis disputatio cõtra diuitias.

ràſtis enim in veſtrorum aſpectu, & vos effectos pauperes gemuiſtis: Eſtote ergo floridi, vt marceſcatis: eſtote diuites temporaliter, vt inperpetuo mendicetis. Nunquid non valet manus Domini, vt faciat diuitias affluẽtes, & incomparabiliter ſplendentes, ſed certamen ſtatuit animorũ, vt credãt ſe æternas habituros diuitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt. Deniq; narrauit nobis magiſter noſter de quodam diuite, qui epulabatur quotidie, & fulgebat in auro & purpura. Ad cuius fores iacebat mendicans Lazarus, qui cupiebat vel micas, quæ de menſa eius cadebant, accipere: & nemo illi dabat. Contigit autem, vt vna die ambo deficerent, & ille mendicus duceretur in requiem, quæ eſt in ſinu Abrahæ, diues autẽ mitteretur in flammã incendij. Vnde eleuãs oculos, vidit Lazarũ, & rogat, vt intingat digitum in aquã, & refrigeret os ſuum, quo cruciaretur in flammis. Cui reſpondens Abraham dixit: Memẽto fili, quia recepiſti bona in vita tua; Lazarus autem hic ſimiliter mala. Quare meritò iſte nunc conſolatur, cum tu torqueris,

queris. Et in omnibus chaos magnũ inter vos & nos firmatum est, vt neq; inde huc, neque hinc illuc transire possint. At ille respondit: Sunt mihi quinque fratres, obsecro vt surgat aliquis. qui moneat eos, ne veniant in hanc flammam. Cui Abraham ait: Habent Moysen & Propheras, audiant eos. Ad hæc ille respondit: Domine, nisi resurrexerit aliquis, non credunt. Cui dixit Abraham: Si Moysi & Prophetis non credunt, neque si aliquis resurrexerit, fidem habebunt. Hos autẽ sermones suos Dominus & Magister noster, virtutum firmabat exemplis. Nam cùm dicerent ei: Quis inde huc venit, vt credamus ei? Respõdit ille: Deferte huc mortuos quos habetis. Cumq; apportassent corã illo adolescentem mortuum, veluti dormiens excitatus est ab eo, & dabat fidem cunctis sermonibus suis. Sed vt quid ego de Domino meo non referam, cùm in præsenti sint, quos in eius nomine & vobis præsentibus atq; aspicientibus à mortuis excitauit? In cuius nomine & paralyticos curatos vidistis, leprosos mundatos, & cæcos inluminatos, & multos deniq; à dæmoni-

monibus liberatos. Sed has virtutum opes habere non possunt, qui voluerint diuitias habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrastis, inuocato nomine Iesu Christi, saluati sunt illi. Fugastis dæmonia, & cæcis lumina reddidistis. Ecce ablata est hæc gratia à vobis, & facti estis miseri, qui eratis fortes & magni. Et cùm tantus esset timor in dæmonijs, vt iussu vestro obsessos homines derelinquerent, modò vos timebitis dæmonia. Amator enim peccuniæ seruus est Mãmonæ. Mãmona aũt dæmonis nomen est, qui lucris carnalibus præest, & dominator eorũ qui diligunt mundum. Ipsi autem amatores mundi non possident diuitias, sed ipsi à diuitijs possidentur. Absurdum enim est, cùm sit vnus venter, cui tot cibi reponantur, qui mille ventribus satisfacerent: & vni corpori tot vestes, quæ mille hominum corporibus præbere indumenta valeant. Sic frustra, quod in vsum nõ venit, custoditur, & cui custodiatur, omnino nescitur, dicente Sancto Spiritu per Prophetam: Vanè cõturbatur omnis homo, qui thesaurizat, & ignorat cui cõgregat ea. Nudos

nos

nos fuderunt in lucem partus mulierum, egentes cibi & poculi: nudos nos recipiet terra, quos edidit, In communi possidemus cæli diuitias: splendor Solis diuiti & pauperi æqualis est, similiter lunæ lumen & syderum. Aëris quoque temperies, & pluuiarum guttæ & ecclesiæ ianua, & fons sanctificationis, & remissio peccatorum, & participatio altaris, & esca corporis & potus sanguinis CHRISTI, & chrismatis vnctio, & gratia largitoris, & visitatio Domini, & indulgentia peccati: hæc omnia absque personæ acceptione æqualis est dispensatio conditoris. Neque alier diues, aliter pauper his donis vtitur. Sed miser & infœlix homo, qui vult plùs aliquid habere, quàm sufficit. Nascuntur enim hinc calores febrium, rigores frigorum, dolores varij in cunctis corporis membris. Et neque esca cibari potest, neque poculo satiari, vt cognoscat auiditas non sibi pecunias profuturas: quæ repositæ, custodibus suis sollicitudinem diurnam nocturnamque incutiunt, & nec vnius horę spatio quietos aut securos esse patiuntur. Nam dum custodiuntur, fures insidiantur.

dum

dum possessio colitur, dum aratris intendunt, dum soluunt fiscalia, dum ædificāt promptuaria, dum lucris student, dum potentiorum impetus mitigare nituntur, dum minùs potentes nudare contendunt, dum iras suas quibus possunt inferunt, & inlatas in se tolerare vix possunt, dum blādimenta carnis assentiunt, dum ludere tabulis & spectaculis non perhorrescunt, dum polluere & pollui non metuunt, subitò exeunt de isto sæculo, nudi, sola secum peccata portantes, pro quibus sunt pœnas passuri perpetuas. Hæc dicente S. Ioanne Apostolo, ecce efferebatur iuuenis à matre vidua, qui triginta diebus elapsis vxorem primùm duxerat. Veniētes aūt turbæ quæ exequijs officia faciebant, simul cum matre vidua, coniecerunt se ad pedes Apostoli, eundem omnes pariter mugitum fletumq; ac gemitum emittētes, Rogabāt enim, vt in nomine Dei sui, sicut Drusianam, ita & hunc iuuenem mortuum resuscitaret. Tantus autem omnium tum extitit fletus, vt etiam ipse Apostolus vix à fletu & lachrymis temperaret. Itaq; prosternēs se in orationem, diutissimè fleuit. Et Exur-

Finis grauissimæ orationis B. Ioannis contra diuitias.

gens ab oratione, expãdit manus suas ad cælum intra se diutissimè orationi intentus. Hoc cùm fecisset & tertiò, iubet solui inuolutum corpus, & ait: O iuuenis Syrice, qui amore carnis tuæ ductus citò animam amisisti: ô iuuenis, qui nesciuisti creatorem tuum, qui Saluatorem hominum non cognouisti, amicũ verò, & idcirco in insidias hostis pessimi incurristi: ecce pro ignorantia tua lachrymas Domino meo simul & preces effudi, vt exurgens à mortuis, lethi vinculo resoluto, istis duobus Attico & Eugenio annuncies, quantam gloriam amiserint, & quantam incurrerint pœnam. Tunc exurgens † Stacteus adorauit Apostolum, & cœpit increpare discipulos eius dicens: Vidi angelos vestros flentes, & Sathanæ angelos in vestra deiectione gratulantes. Iam enim regnum paratum vobis, & ex coruscantibus gemmis zetas instructas, plenas gaudij, plenas æpulis, plenas delicijs, plenas denique vita perpetua, & lumine æterno, paruo tempore amisistis: & acquisiuistis vobis loca tenebrarum plena draconibus, plena stridentibus flammis, plena cruciatibus, & incom-

Iam nomina duorum recenset, qui diuitiarum cupidi, facti sunt apostatæ,

Descriptio inferni

para

parabilibus pœnis, plena doloribus, plena angustijs, plena timore & tremore horrifico. Amisistis loca floribus immarcessibilibus plena, fulgentia, plena vocibus organorum: & acquisiuistis econtrà vobis loca, in quibus diu noctuque non cessat mugitus, & vlulatus & luctus. Nam nihil aliud vobis superest, nisi rogetis Apostolum Domini, vt sicut me resuscitauit ad vitam, ita vos quoque resuscitet ab interitu ad salutem, & animas vestras quæ iam de libro vitæ deletæ sunt, iterum reducat. Quibus dictis, & ipse qui recens suscitatus fuerat, & omnis populus vnà cum Attico & Eugenio, prosternebat se pedibus Apostoli, & exorabant vt intercederet pro his ad Dominum. Quibus sanctus Apostolus hoc dedit in responsis: vt per triginta dies Deo pœnitētiam offerrent, in quo spatio maximè precarentur, vt virgæ aureæ ad suam naturam redirent, similiter & lapides ad vtilitatem, qua nati fuerant, remearent. Factum est autem vt triginta dierum transacto spatio, cùm virgæ mutarentur, & petræ. venientes Atticus & Eugenius,

Pœnitentiæ vis & eiusdem ratio in primitiua Ecclesia cuiusmodi.

dixerunt Apoſtolo : Semper miſeri-
cordiã docuiſti, ſemper indulgentiam
prædicaſti, & præcepiſti, vt homo ho-
mini indulgeret. Et ſi hominem homi
ni indulgere vult Deus, quantò ma-
gis ipſi cum Deus homini & indulget
& parcit, in quem peccatum noſtrum
contulimus, & quod oculis concupiſ-
centibus in mundo deliquimus, oculis
flentibus pœnitemus. Oramus nunc
igitur te Domine, oramus Apoſtole
Dei, vt indulgentiam quam ſemper
promiſiſti verbis, factis tandem oſten-
das. Tunc ſanctus Ioannes flentibus
& pœnitentibus, vniuerſis etiam pro
his interuenientibus, dixit: Dominus
Deus noſter his ſermonibus vſus eſt,
dum de peccatoribus ageretur, vt dice-
ret: Nolo mortem peccatoris, ſed volo
potiùs vt conuertatur, & viuat. Nam
dum nos doceret de pœnitentibus Do-
minus noſter IESVS Chriſtus, ait: A-
men dico vobis, quia magnum gau-
dium eſt in cælo ſuper vnum peccato-
rem pœnitentem & conuertentem
à peccatis ſuis: & amplior lętitia ſuper
illo eſt, quàm ſuper nonaginta nou
qui non peccauerunt. Vnde vos vo
ſcire, quia Dominus accipit pænite-
tia

tiam horum. Conuersusque ad Atticum & Eugenium, dixit: Euntes reportate virgas ad syluam, vnde eas assumpsistis, quoniam ad suam iam sunt naturam reuersæ: & lapides, quoniã petræ effectæ sunt, vt antè fuerant. Quod cùm fuisset impletũ, receperunt gratiam, quam amiserant: ita vt iam iterum fugarent dęmones, sicut priùs, & infirmos curarent, & cæcos illuminarent, multasque indies per eos virtutes Dominus faceret. Dum hæc fierent apud Ephesum, & omnes indies magis magisque Asiæ prouinciæ Ioannem & excolerent & prædicarent, accidit vt cultores idolorum excitarent seditionem. Vnde factum est, vt Ioannem traherent ad templum Dianæ, & vrgerent eum, vt ei fœditatẽ sacrificiorum offerret. Inter hæc beatus Ioannes inquit: Ducamus omnes eos ad Ecclesiam Domini nostri IESV Christi, & cùm inuocaueritis nomen eius, faciam cadere templum hoc, & comminui idolũ hoc vestrum. Quod vbi factum fuerit, iustum nobis videri debet, vt relicta superstitione eius rei quæ à Deo meo victa est, & contracta, ad idipsum conuertamini. Ad

hanc vocem conticuit populus: & licèt essent pauci, qui contradicerent huic definitioni, pars tamen maxima consensum attribuit. Tunc beatus Ioannes blandis alloquijs exhortabatur populum, vt à templo longè se facerent. Cumq; vniuersi exteriore parte foras exissent, voce clara clamauit: vt sciat hæc omnis turba, quia idolum hoc Dianæ vestræ Dæmoniũ est, & non Deus, corruat cum omnibus manufactis idolis quæ coluntur in eo ita tamen, vt nullam in hominibus læsionem faciat. Continuò ad hanc vocem Apostoli, omnia simul cum tẽplo suo idola ita corruerũt, vt efficerentur sicut puluis, quem proiecit ventus à facie terræ. Itaque conuersa sunt eadem die xij. millia gentilium, exceptis paruulis & mulieribus, & baptizati sunt, à beato Ioanne, & virtute consecrati. Quæ cùm animaduerteret Aristodemus, qui erat Pontifex omnium illorum idolorum, repletus spiritu nequissimo, excitauit seditionem in populo, vt populus contra populum pararetur ad bellum. Ad quem conuersus Ioannes: Dic mihi Aristodeme (inquit) quid faciã vt tollam

lam indignationē de animo tuo? Cui Aristodemus: Si vis vt credam Deo tuo, dabo tibi venenum bibere. Quod cùm biberis, & non fueris mortuus, apparet verum esse Deum tuum. Respondit Apostolus: Venenū si dederis mihi bibere, inuocato nomine Domini mei, nocere non poterit. Cui rursus Aristodemus: Volo vt priùs videas bibentes, & statim morientes, vt vel sic possit cor tuum ab hoc poculo abhorrere. Ad quē beatus Ioannes: iam anteà dixi tibi, quia paratus sum bibere, vt credas in Dominū Iesum Christum, cùm me videris post veneni poculum sanum. Perrexit itaq; Aristodemus ad Proconsulem, & petijt ab eo duos viros, de quibus debebat vltimum supplicium sumi. Quos cùm statuisset in medio foro coram omni populo, aspiciente Apostolo, fecit eos bibere venenum: qui mox vt biberunt, spiritum exhalauerunt. Tunc conuersus ad Ioannem Aristodemus: Audi me (inquit) & recede ab hac doctrina tua, qua à Deorum cultura reuocas populum: aut accipe & bibe, vt ostendas omnipotentem esse Deū tuum, si posteaquam biberis, poteris

incolumis permanere. Tunc beatus Ioannes, iacentibus mortuis his, qui venenum biberant, vt intrepidus & constans accepit calicem, & signaculum crucis faciens, ita locutus est: Deus meus, & pater Domini nostri Iesu Christi, cuius verbo cæli firmati sunt, cui omnia subiecta sunt, cui omnis creatura deseruit, & omnis potestas subiecta est, quem & metuit, & expauescit. Itaque nos te ad auxilium inuocamus, cuius audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, silet vipera, & rubeta illa quæ dicitur rana inquieta torpescit, scorpius extinguitur, regulus vincitur, & phalangius nihil noxium operatur, denique omnia venenata, & adhuc ferociora repentia & noxia animalia terebrantur. Tu inquā ille, extingue hoc venenosum virus, extingue operationes eius mortiferas, & vires quas in se habet euacua: & da in conspectu tuo omnibus his, quos tu creasti, oculos, vt videant, aures, vt audiant, & cor, vt magnitudinem tuam intelligant. Et cùm hæc dixisset, os suum, & totum semetipsum armauit signo crucis, & bibit totum, quod erat in calice. Et posteaquàm

Causa picturæ quòd S. Ioannes cũ calice exprimitur.

quàm bibit dixit: Peto vt propter quos bibi, conuertantur ad te Domine, & ſalutem, quę apud te eſt, te inluminā-te mereantur. Attendente populo Ioannem per tres horas vultum habere hilarem, & nulla penitùs in eo eſſe ſigna palloris, aut trepidationis, clamare voce magna cœpit: Vnus Deus verus eſt, quem colit Ioannes. Ariſtodemus tamen ne ſic quidem credebat populo obiurgante hunc, ille autem conuerſus ad Ioannem, dixit: Deeſt mihi adhuc vnum, quòd ſi iſtos qui hoc mortui veneno ſunt in nomine Dei tui excitaueris, emundabitur ab omni dubio mens mea. Quæ cùm diximſſet plebs inſurgebat in Ariſtodęmum, dicens: Incendemus te & domum tuam, ſi pergas vlteriùs Apoſtolum ſermonibus tuis fatigare. Videns itaque Ioannes acerrimè ſeditionem fieri, petijt ſilentium, & omnibus audientibus ait: Prima eſt, quam de virtutibus diuinis imitari debemus patientia, per quam ferre poſſumus incredulorum inſipientiam. Vnde ſi adhuc Ariſtodemus ab infidelitate tenetur, ſoluamus nodos infidelitatis eius. Cogetur, quantumuis

ſerò agnoſcere creatorem ſuum. non enim ceſſabo ab hoc opere donec medela eius poſsit vulneribus opitulari. Et ſicut medici habentes inter manus ægrum medela indigentem: ita etiam nos, ſi adhuc curatus non eſt Ariſtodemus his, quæ facta modo ſunt, curabitur illis quæ iam faciam. Et conuocans ad ſe Ariſtodemũ, dedit ei tunicam ſuam, ipſe verò pallio amictus cœpit ſtare. Cui ait Ariſtodemus: Vt quid tunicam mihi tuam dediſti? Ad quem Ioannes: Vt vel ſic confuſus, à tua infidelitate recedas. Et Ariſtodemus: Et quomodo (ait) me tunica tua faciet ab infidelitate recedere? Cui reſpondit Apoſtolus: Vade, & mitte eã ſuper corpora defunctorum, & dices ita: Apoſtolus Domini noſtri IESV Chriſti miſit me, vt in eius nomine exurgatis, vt cognoſcant omnes, quia vita & mors famulãtur Domino meo Ieſu Chriſto. Quod cùm feciſſet Ariſtodemus, & vidiſſet eos exurgere, adorans Ioannem, feſtinus perrexit ad Proconſulem, & cœpit clara voce dicere: Audi me, audi me Proconſul: meminiſſe te puto, quod contra Ioannem frequenter iram tuam excitauerint

rim, & multa quotidie contra eum sim molitus: vnde vereor, ne iram eius experiar.

Deus enim sub specie hominis latens venenum bibens, non solùm incolumis perseuerat, sed etiam eos, qui veneno mortui fuerant. per manus meas, tunicæ eius attactu, ipse ille reuocaui, vt viuant, nulla secum signa mortis habentes. Quæ audiens Proconsul: Et quid vis vt faciam? inquit. Respondit Aristodemus: Eamus & aduoluti eius genubus, veniā postulemus, & quidquid nobis ille iusserit, faciamus. Tunc venientes simul prostrauerunt se, indulgentiam flagitantes. Quos ille suscipiens, orationem cum gratiarum actione obtulit Deo. præcepitq; eis vnius hebdommadæ ieiuniū: quo expleto baptizauit eos in nomine Dñi nostri Iesu Christi, patrisque eius omnipotentis, & inluminatoris spiritus sancti. Qui cùm baptizati fuissent cum vniuersis domibus & famulis suis, affinitatibusque, fregerunt omnia simulacra, & fabricauerunt basilicam in nomine sancti Ioannis: qua ipse Ioannes Apostolus adsumptus est hoc ordine. Cùm esset

Causa & origo, quòd templa sanctis Dei dedicantur.

annorum nonaginta ſeptem, apparuit ei Dominus Ieſus Chriſtus, cum diſcipulis ſuis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus eſt, vt æpuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis. Itaque cũ ſurrexiſſet Apoſtolus, addidit idẽ Dominus: Dominica reſurrectionis meę quę poſt quinque dies futura eſt, ita venies ad me, & cùm hæc dixiſſet, cælo receptus eſt. Intereà inluceſcente dominica, conuenit vniuerſa multitudo ad Eccleſiam, quæ in eius nomine erat extructa. Ibi à plurimo pullorum cantu, cùm egiſſent myſteria Dei horam circiter diei tertiam, omnem populum in hæc verba allocutus eſt: Conſerui & cohæredes & comparticipes regni Dei, vidiſtis quæ Dominus IESVS per manus noſtras opera facere dignatus ſit. Nos quidem miniſtri fuimus voluntatis illius: Ille verò auctor operum, quæ à nobis fieri videbantur, extitit, illoque iubente omnia fiebant. Quare illa ſigna, dona, requiem, miniſterium, gloriam, fidem, communionem, munera, gratiam, quamdiu donauit ille, accepimus: quamdiu conceſſit, diuiſimus. In illo conuerſati ſumus.

Nota plenã energia orationem S. Ioannis.

mus, in illo exultauimus, in illo viximus. Sed nunc ad aliud is me opus vocat, quod consummari debet in Domino. Dissolui iam delectat, & esse cũ Christo: vt hoc quod olim desiderauimus, tribuere is tandem dignetur. Quid igitur iam vobis pro exangysi relinquam? Sed habetis eius pignora, habetis depositum mansuetudinis eius atque pietatis. In vobis conuersetur illud, in vobis castè viuentibus delectetur. In vobis prætereà æpulentur patrium cibum, vt faciatis voluntem patris, qui in cælo est. Denique in vobis coronetur ea laurea, quam ipse composuit his floribus, quos ipse proprio cruore vestiuit. Tu autem Domine Iesu, Ecclesiam tuam, quam ædificasti tibi, misericordia tua benignè protege. Tu enim Domine solus misericors es, solus pius, solus Saluator & iustus: qui radix es immortalitatis, & fons incorruptionis, consortium nobis huius communionis sanctifica. Et adiecit: Deus, qui solus es Saluator, qui hanc plebem per gloriosam filij tui passionem acquirere dignatus es in libertatem, & commanentem in tuis præceptis, & abundãtem

Græca vox est ἐξαγγύησις, id est vadimoniũ, pignus.

Vides mysterium Trinitatis.

tem in tuis bonis operibus, semper quæso Domine, custodire digneris. Exaudi supplices serui tui preces, & dirige hanc plebem tuā, tibi dicatam, legibusque tuis seruientē, & quā adoptiuū tibi populum elegisti, insuper & filios vocare dignatus es. Dirige inquam, in præceptis tuis diebus ac noctibus gradientem, per benedictum vnigenitum filium tuum, qui nos elegit esse discipulos, & ouium tuarum pastores esse constituit: qui tecum pater viuit, dominatur, & regnat, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorū. Et cùm compleuisset orationem, petijt sibi dari panem & respiciens ad cælum, benedixit eum, & fractum erogauit omnibus, dicens: Pars mea sit vobiscum, & vestra mecum. Continuoq; ad Byrrum ait (hoc nomen viro erat) vt adsumptis duobus fratribus, cum duobus cophinis & ferramentis, sequeretur se. Egressus igitur summa cum animi tranquillitate, præcepit vt plerique discederent. Et cùm venisset ad sepulchrum quoddam, vnus de fratribus ait ad iuuenes, quos Byrrus deduxerat: Fodite filioli. & illi fodiebant, Vrgebat verò

Hæc est vera collecta.

eos

eos Apostolus, vt altiùs foderent. Et cùm illi præcepto obedirent, hortabatur cæteros fratres, vt sequerentur Dominũ, & singulorum affectus ędificabat Dei verbo: ne videretur ipse, dum iuuenes foderent, feriari. Vbi autem, sicut voluit, facta est fouea, nihil quoquam nostrum sciente, exuit vestem, & strauit eam in illa fouea, & stans sola linea veste tectus, extendensque manus Deum inuocabat, dicens: Deus pater omnipotens, & tu Domine Iesu, qui seruum tuum speciali amore fouisti, qui adnunciatus es à Patriarchis, nominatus es per legem, redarguere & monere dignatus es per Prophetas: qui per Euangelium miseratus es, & peccata donasti: qui per Apostolos prouocâsti, vt ad congregandum tuos populos conuenirent, quos sitientes verbi tui fonte potâsti, mitigâsti asperos, & animi defectum replesti Spiritus tui gratia: suscipe tãdem Ioannis tui animam, quẽ citò elegisti, sed serò adsumpsisti. Tu Domine, qui seruulum tuum mundũ à coniunctione fœminea præstitisti, te Domine rogo, qui festinanti mihi adnuptias in iuuentute demonstrasti te,

Ex his apparet, historiam primò fuisse descriptam ab aliquo, qui rebus omnibus & morti sancti Ioannis interfuerat.

Ioãnes virgo obijt.

In hac oratione S. Ioãnis, totius vitæ eius cursus relegitur.

te, atque dixisti: Mihi necessarius es Ioannes, operam tuam quæro. Sed cùm iuuentutis ardore visus essem non seruare præceptum, & diffisus quòd integritatem seruare vix possem, animum ad nuptias appulissem: tu quasi bonus Dominus ægritudinem mihi corporis inferens, castigans castigasti me Domine, & morti non tradidisti me. Tertiò quoque studentem nuptijs, impedimento leuiore reuocasti. Tu mihi Domine, in mari dignatus es dicere: Ioannes, nisi meus esses, permitterem tibi vt vxorem duceres. Tuum igitur hoc munus est, qui motum carnis edomare ac tẽperare dignatus es, fidem infundere, vt nihil mihi preciosius sit, nisi tibi adhærere. Tu me de morte ad vitam, à sæculo ad regnum Dei, ab ægritudine animi ad sanitatem vocasti. Tu mihi viuendi lex, spirãdi gratia es, & certandi corona. Venio ergo ad te Domine, venio ad conuiuium tuum: venio inquam gratias agens, quia me dignatus es Domine Iesu Christe, ad tuas æpulas inuitare, sciens quòd ex toto corde meo desiderabam te. Vidi faciem tuam, & quasi de sepultura

ſuſcitatus ſum. Odor tuus concupiſcentias in me excitauit æternas: vox tua plena ſuauitate melliflua, & allocutio tua incomparabilis eloquijs angelorum. Quoties te rogaui vt ad te venirem, dixiſti tu: Expecta, vt populum meum liberes, crediturum mihi, & cuſtodiſti corpus meum ab omni pollutione, & animam meam ſemper inluminaſti: & non dereliquiſti me cùm irem in exilium, & cùm redirem: & poſuiſti in ore meo verbum veritatis tuæ, vt commemorarem teſtimonium virtutũ tuarũ: & ſcripſi ea opera quæ oculis meis vidi, & ea verba quæ audiui ex ore tuo his auribus meis. Et nunc ego Domine commendo tibi filios tuos, quos tibi Eccleſia tua virgo, vera mater, per aquam & ſpiritum Sanctum regenerauit. Suſcipe me, vt cum fratribus meis ſim, cum quibus veniens inuitaſti me. Aperi mihi pulſanti ianuam vitæ, Principes tenebrarum nõ occurrant mihi, nec veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus extranea à te non attingat me: ſed ſuſcipe me ſecundum verbum tuum, & perdue me ad conuiuium æpularum tuarum, vbi æpu-

Hic alludit ad Euangeliũ, quod S. Ioãnes ſcripſit.

Nota emphaſim orationis diuinæ.

æpulantur tecũ omnes amici tui. Tu es enim Christus filius Dei viui, qui præcepto patris mundum saluasti, qui & spiritum sanctum tuum nobis destinare dignatus es, vt nos de præceptis tuis communes faceret ille: per eundem spiritum tibi gratias referimus, per infinita sæcula sæculorum. Et cùm omnis populus respondisset Amen, lux tanta apparuit super Apostolum, per vnam ferè horam, vt nullus eam sufferret aspectus. Et signans se totum astitit, & ait: Tu mecum Domine Iesu solus. Et proiecit se supra tumu tum, in quo strauerat vestimẽta sua, dicens nobis: Pax vobiscũ fratres, ac omnes benedicens ac valefaciens, deposuit se viuentem in sepulchro suo, & iussit se operire, glorificans Dominum, & statim reddidit spiritum. Qui interfuimus, alij gaudebamus, alij plorabamus. Gaudebamus, quòd tantam cernebamus gratiã: dolebamus, quòd tanti viri aspectu & præsentiæ specie defraudabamur. Et protinùs Manna exiens de sepulchro, apparuit cunctis, quam vsque hodie gignit locus iste: & fiunt virtutes per orationes eius frequentes

Origo & causa, quare supra capita sanctorũ & præcipuè Apostolorum, radij solares pinguntur.

Et hoc argumentũ est, Abdiam interfuisse mortì S. Ioannis

tes, hic ab omnibus infirmitatibus ægroti liberantur, & periculis eximuntur, & precum suarum quisque consequitur effectum. Hic est beatus Ioannes, de quo Dominus priùs dixerat ad Petrum: Si eum volo manere, quoad vsque veniam, quid ad te? Tu verò sequere me: significans, quòd beatus Petrus per crucem honoraturus esset Dominum. Hic ergo subito corporis somno requiescit in pace, per Dominum nostrum Iesum Christum: qui coronis laureis clarificat sanctos suos, & est æterna laus & expectatio omnibus electis eius. Ipsi gloria & æternitas, virtus & potestas debetur, in sæcula sæculorum, Amen.

LIBER SEXTVS ABDIAE Babylonis Episcopi, De historia beatorum, Iacobi Simonis, & Iudæ, fratrum, ex Hæbraica lingua in Latinum sermonem per Africanum versus.

SImon Chananæus cognomine, ac Iudas, qui & Thadæus, & Iacobus quem fratrē Domini quidam

dam appellant, fratres germani fuerunt, ex Chana Galilææ oriundi, parentibus Alphæo & Maria Cleophæ filia. Quorum postremus ex eadem matre, sed patre diuerso natus fuit, Iosepho scilicet iusto, ea cui desponsata beatissima Dei genitrix Maria fuit, vnde & frater Domini: subintellige quod ad carnem, Iacobus appellatus est: quia Ioseph Iacobi pater, desponsatam, verùm minimè nuptã, Mariam virginem habebat, quæ spiritu Sancto posteà impregnata, Saluatorem mundi Christum Iesum Dominum nostrum virgo peperit. Itaq; ob huius vinculi occasionem à Christo inter discipulos, tres hi Mariæ Cleophæ filij recepti sunt, & posteriùs ad Apostolatus fastigium subleuati. Quorũ minor natu Iacobus, Christo Saluatori in primis semper dilectus, tanto rursus desiderio in magistrum flagrabat, vt crucifixo eo cibum capere noluerit, priusquam à mortuis resurgentem videret, quod meminerat sibi & fratribus à Christo agente in viuis fuisse prædictum. Quare ei primùm omniũ, vt & Mariæ Magdalenæ, & Petro apparere voluit, vt disci-

discipulum in fide confirmaret: & ne diutinum ieiunium toleraret, fauo mellis oblato, ad comedendum insuper Iacobum inuitauit. Is mansit post subleuationem Christi in cælum, cũ Petro & Ioanne Hierosolymis, & Iudæis verbum Domini prædicabat. Quod eò faciliùs etiam facere poterat, quia in templo Salomonis publico fungebatur ministerio. Igitur nondum elapso quartodecimo anno à passione Domini, quando Paulus hũc cum Tito & Barnaba itineris socijs conuenerat, dextrasque Iacobo & Petro atque Ioanni porrexisset, conuenientibus duodecim Apostolis in Hierusalem ad diem festum Paschæ, præsidente Iacobo, & populo audiente, bueuiter exposuerunt singuli, quæ in locis singulis fuerant per eos gesta. In quibus diebus Caiphas Pontifex, missis ad eos Sacerdotibus, rogauit eos, ire ad se, vt aut rationem docerent, quia Iesus ipse sit æternus Deus ac Christus: aut ipse contra doceret, quia non sit. Constituto igitur die ascenderunt in templum Apostoli, & coram omni populo protestari cœperunt de Iesu, simul & arguere Iudæos de

Huius rei meminit etiam Paulus in Epist. ad Gal.

Nota Apostolorũ protestationem, & cõmonitionem in cœtu Sacerdotũ & populi Hierusalem.

de multis, quæ ab his absurdè gerebãtur. Et cùm starent in gradibus tẽpli, facto populi silentio, docuerunt Sacerdotes de vno solo Deo Christo Iesu, Saducæos de resurrectione mortuorum, Samaritas de consecratione Hierusalem, Scribas denique & Pharisæos de regno cælorum: vniuersum verò populum, quia Iesus est Christus æternus, informarunt, Ad vltimum autem monuerunt, vt priusquam progrederentur ad gentes prædicare agnitionem Dei patris, ipsi reconciliarentur Deo suscipientes filium eius, aliàs enim eos nullo modo ostenderunt posse saluari, nisi per sancti Spiritus gratiam trinæ inuocationis dilui baptismate properarent, & Eucharistiam Christi Domini sumerent, cui soli de his quę docuit credere deberent, vt sic æternam salutem consequi mererentur. Ita igitur cùm per septem dies persuasissent populo & Pontifici, vt confestim ad percipiendum Baptisma festinaretur, cumque iam res in eo esset, vt venirent & baptizarentur, ecce homo quidam inimicus, tunc cũ paucis admodũ ingrediens templum, clamare cœpit, & dicere

dicere. Quid facitis ô viri Israëlitæ? cur vobis tam facilè subrepitur? cur præcipites ducimini ab hominibus infœlicissimis, & à mago deceptis? Cũque hæc diceret, & hæc audiretur ac superaretur ab Episcopo Iacobo, conturbare populũ & seditiones suscitare cœpit, ita vt ea quæ ab Apostolo dicebantur, plebs minimè posset audire. Igitur exagitare cuncta clamoribus, & quæ fuerant multo labore ordinata conuellere, simulque incusare Sacerdotes, & opprobrijs atque increpationibus cœpit cunctos accendere, & veluti furibundus, singulos quosque ad cædem concitabat Apostolorum, dicens: Quid agitis? quid cessatis, ô segnes & desides? cur non manibus nostris inuadimus, & discerpimus hos omnes? Et cùm hæc dixisset, primus rapto ex ara vsto, cędis fecit exordium. Tum deinde & cæteri videntes eum, simili ferebantur insania, fit omnium clamor, cædentium pariter & cæsorum, & sanguis vbique plurimus funditur, & fuga permixta habetur: cùm interim ille inimicus homo, Iacobum adgressus, de summis gradibus præcipitem dedit.

S. Iacobus claudus effectus.

Quem

Quem cùm mortuum credidisset, vltrà multare neglexit. In qua collisione, vno pede debilitatus, pessimè claudicabat. Hominem verò inimicum Saulum fuisse manifestum est, quem posteà Dominus ad Apostolatus ministerium destinauit. Igitur Iudæi postquam Paulus ad Cæsarem, quem appellauerat, à Festo Præside missus est, & frustratas insidias, quas ei intenderant, vident, in Iacobum fratrem Domini, immanitatem nequitiæ suæ vertunt. Quem hoc modo adorti sunt. Productum in medium, abnegare eum fidē Christi coram omni populo expetunt. At ille, contra omnium opinionem, voce satis libera, & multo maiore quàm vellent, coram vniuerso populo, cum omni fiducia profitetur, filium Dei esse Saluatorem & Dominum nostrum Iesum Christum. Tum illi non ferentes tam graue & tam liberum testimoniū viri, pro eo maximè, quod iustissimus apud omnes habebatur, ob religiosæ & continentissimę vitæ merita, in necem eius vertuntur, & fauente sibi occasione temporis, & ex morte Rectoris, alios quàm plurimos asciscunt.

Ad S. Paulum allusio, antequam vocatus à Christo fuisset.

Hinc iusti cognomentū sancto Iacobo additum est.

ſcunt. Contigerat tum fortè Feſtum apud Iudæam obire cunctos, ac ſine rectore ac principe eſſe Prouinciam. Nam mortis Iacobi modus, licèt à Clemente & alijs fuerit intimatus exploratus tamen de eo Egeſippus, qui poſtea primas Apoſtolorum ſucceſſionis fuit, quinto Cõmentariorum ſuorum libro his verbis refert: Suſcepit (inquit) Eccleſiam cum Apoſtolis frater Domini Iacobus, qui ab omnibus cognominatus eſt Iuſtus, ab ipſis Domini temporibus perdurans vſque ad nos. Et multi quidem Iacobi vocati ſunt, ſed hic ex vtero matris ſuæ ſanctus fuit. Vinum & ſiceram non bibit, ſed neque animal manducauit, ferrum in caput eius non aſcendit, oleo non eſt peruncrus, ſed neque balneis eſt vſus. Huic ſoli licebat introire in Sancta ſanctorum. Neque enim laneo vtebatur indumento, ſed tantum ſindone. Solus ingrediebatur templum, & iacebat ſupra genua ſua, orans pro populi indulgentia, ita vt orando callos faceret in genubus ad modum Cameli ſemper genua flectendo, nec vnquam ab oratione ceſſando. Itaque pro incredibili hac

Egeſippus citatur.

Iacobus ex vtero matris ſanctus.

continentia, & ſumma iuſtitia, appellatus eſt Iuſtus: & Oblias, quod eſt interpretatum, munimentum populi & iuſtitia, ſicut & Prophetæ indicauerunt de eo. Quidam ergo de ſeptem hæreſibus quæ erant in populo, de quibus ſuperiùs diximus, interrogabant eum, quid eſſet oſtium Domini? At ille dicebat: Hunc eſſe Saluatorem. Ex quibus aliquanti crediderunt, quia IESVS eſt Chriſtus. Illę autem hæreſes, quas ſuprà ſcripſimus, non crediderunt, neque ſurrexiſſe eum, neque venturum, vt retribuat vnicuique ſecundum opera ſua: Qui verò crediderunt, per Iacobum crediderunt. Ex quibus cùm multi etiam ex principibus credidiſſent, perturbatio erat Iudæorum, dicentium: Nihil iam ſupereſt, quin omnis populus credat in Ieſum, quod ipſe ſit Chriſtus. Conuenientes igitur ad Iacobum, & dicebant ei: Oramus te, vt reuoces populum: quia ecce errat in IESV, putans quòd ipſe ſit Chriſtus. Deprecamur ergo te, vt ſuadeas omnibus conuenientibus in die Paſchæ de IESV. Tibi enim omnes obtemperamus, & de te, tam nos quàm populus teſtimonium feri-

S. Iacobus Apoſtolus fuit Iudeæ & Paleſtinarum.

ferimus, quia iustus es, & personam vllius non accipis. Tu ergo suade populo de Iesu, ne erret. tunc omnes tibi obediemus. Ascende itaque in excelsum locum pinnæ templi, vt in edito positus appareas omnibus, & verba tua audiantur à cunctis: quia in diebus Paschæ conuenient non solùm Iudæorum, sed & Gentilium multitudo. Statuerunt igitur supradicti Scribæ & Pharisæi, Iacobũ supra pinnam templi, & voce magna clamantes, dixerunt: Virorum iustissime, cui omnes nos obtemperare debemus, quoniam populus errat post Iesum qui crucifixus est, enuncia nobis, quid sit ostium Domini.

Tum Iacobus ad eos ingenti voce respondit: Quid me interrogatis de filio hominis? Ecce ipse sedet in cælo à dextris summæ virtutis, & ipse venturus est in nubibus cæli. Cùm hac responsione & testimonio Iacobi multis satisfactum esset, & libenter audiuissent, quòd Iacobus sic de Christo foret protestatus, cœperunt glorificare DEVM, & dicere: O sanna filio Dauid.

Tum rursus ipsi Scribæ & Phari-

ſæi cœperunt ad inuicem dicere: Ma-
lè fecimus, vt tale is teſtimoniũ pre-
ſtaret de Ieſu. Sed aſcendamus, & pre-
cipitemus illum deorſum, vt cæte-
terreantur, & non credant ei, ſimu-
& voce magna clamauerunt, dicen-
tes: O ô, & Iuſtus errauit. & comple-
uerũt in hoc ſcripturam, quæ in Eſai-
ſcripta eſt, dicentem: Auferamus Iu-
ſtum, quoniam inutilis eſt nobis, pro-
pterea fructum operum ſuorum ma-
ducabunt. Aſcenderunt ergo, & præ-
cipitauerunt eum, & dicebant ad in-
uicem: Lapidetur homo iſte. Et his
dictis, cœperunt Beatum Iacobum la-
pidibus vrgere. Qui deiectus non ſo-
lùm, mori non potuit, quin conuer-
ſus & ſuper genua ſua procumbens
dicebat: Rogo Domine Deus pater,
dimitte eis peccatum, non enim ſci-
unt quod faciunt. Cùmque enim ta-
lia orantem deſuper lapidibus perur-
gerent, vnus de Sacerdotibus, de fi-
lijs Rhachabitarum (de quibus pro-
teſtatur Hieremias Propheta) excla-
mauit dicens: Parcite quæſo, quid fa-
citis? Pro vobis orat Iuſtus iſte, quem
lapidatis. Et vnus ex ipſis fullo, ar-
reptum fuſtem, in quo res exprimen-
ſolent

solent, cerebro eius inlisit. Ita Beatus Iacobus, cui Iusti cognomentum fuit, tali tandem martyrio comsummatus est, ac sepultus in eodem loco prope templum. Atque hic ille est, qui extitit veritatis testis Iudæis & Gentibus, quia IESVS est Christus, filius Dei viui, qui cum patre & Spiritu sancto dominatur & regnat in cuncta sęcula sæculorum. Atque hæc de Iacobo. Cuius fratres maiores natu, Simon cognominatus Chananæus, & Iudas, qui & Thaddæus & Zelotes, & ipsi Apostoli Domini nostri Iesu Christi, cum per reuelationem Spiritus sancti per fidem fuissent regionem ingressi, inuenerunt statim inter initia suæ prædicationis duos ibi magos, Zaroën & Arfexat, qui à facie Sancti Matthæi Apostoli de Aethiopia fugerunt. Erat autem doctrina eorum praua, ita vt Deum Abraham, & Deum Isaac & Deum Iacob blasphemantes, Deum dicerent tenebrarum: & Moysen dicerent maleficum fuisse, denique omnes prophetas Dei à Deo tenebrarum missos adscerent. Præterea animam hominis partem Dei habere dicerent, corpo-

Hic incipit historia de Simone & Iuda.

ris verò figmentum à Deo malefactum esse: & ideo ex contrarijs substantijs constare, in quibus lætatur caro, anima contristatur: & in quibus exultat anima, & corpus affligitur. Solem & Lunam deorum numero applicantes, aquam simul deitatem habere docebant. Dei autem filium, Dominũ nostrum Iesum Christum, phantasiam fuisse, nec verum hominem, nec ex vera virgine natum, nec verè tentatũ, nec verè passum, nec verè sepultũ, nec verè tertia die resurrexisse à mortuis, adfirmabant. Hac prædicatione polluta Persida post Zaroën & Arfexat, magnũ meruit inuẽnire doctorẽ, per Beatos Apostolos Simonẽ & Iudam: id est, Dominũ Iesum Christum, qui se diceret Spiritum Sanctum de cælo missurum, iuxta promissum dicentis: Vado ad patrem, & mitto vobis Spiritum paracletum. Hac igitur causa suscepto itinere, vt Persida à seductione nequam Doctorum liberarent, vt primùm ei appropinquauerunt, quos diximus, Apostoli Simon atque Iudas, occurrentem habebant exercitum Varardach ducis regis Babyloniorum, cui nomen

men erat Xerxes. Hic autem contra Indos, qui fines Persidis inuaserant, susceperat bellum: erantque in comitatu eius sacrificatores, & arioli, & magi, & incantatores, qui per singulas mansiones, sacrificantes dæmonijs, dabant responsa fallaciæ suæ. Contigit autem, vt die qua Apostoli in exercitu erant, concidentes se, & sanguinem suum effundentes, nullum penitùs dare potuerunt duci belli responsum. Quapropter porrexerunt ad fanum vicinæ ciuitatis, & consulentes illic dæmonia, dæmonem cum ingenti mugitu ita audiuerunt loquentem: Dij qui vobiscum comitabantur, euntibus ad prælium propterea dare non possunt responsa, quia duo homines isthic sunt, Simon & Iudas, qui tantam consecuti à DEO sunt virtutem, vt nullus nostrorum audeat illis præsentibus loqui. Quæ cum accepisset Varardach dux regis Xerxes, fecit eos in exercitu inquiri. Quos cùm inuenisset, cœpit ab eis quærere, vnde essent, aut quid essent, aut quare venissent in illas terras? Cui Sanctus Simon Apostolus ait: Si genus quæris, Hebræi

ſumus: ſi conditionem, ſerui ſumus Iesu Chriſti: ſi cauſam quæris, ſalutis veſtræ cauſa venimus, vt relicto errore ſimulachrorum, Deum qui in cælis eſt poſſitis agnoſcere. Cui reſpondens Varardach dux: Nunc (inquit) ad prelium maturo, vt Indos ab inuaſione Perſidis arceam, antequam Medorum aduerſus nos auxilia colligant. Quare non eſt opportunum mihi, vt de rebus veſtris nunc diſcutiam. Cum vero fœlix fuerit reuertendi ſucceſſus, audiam vos. Ad quæ Iudas Apoſtolus: Mede, magis congruum eſt (inquit) te cognoſcere illum, cuius ope & auxilio poſſis victor exiſtere, vel eos ſaltem, qui tibi rebelles ſunt, pacatiſſimos inuenire. Tum Varardach dux: Quia audio Deos veſtros, vobis coram poſitis, vobis dare reſponſa, volo vt vos nobis futura prædicatis, vt quos belli exitus habituri ſimus, ſcire queam.

Tum Simon: Vt agnoſcas (ait) errorem horum, quos tibi putas prædicere, damus illis poteſtatem reſpondendi tibi, vt dum dixerint quę ignorant, probemus eos per omnia fuiſſe mentitos. Cumq; orationē fudiſſent

ad

ad Dominum, dixerũt: In nomine Domini nostri Iesu Christi, præcipimus, vt more solito detis responsa his, qui interrogare consueuerunt. Ad hanc vocem cœperunt phanatici eorũ arripi & dicere: Grande bellum futurum esse, & vtrinque multos prœliantes interfici posse. Tunc Apostoli Dei, ex abundantia lætitiæ in risum soluũtur. Quibus Varardach: Me (inquit) timor inuasit, & vos ridetis? Dicunt ei Apostoli: Cesset timor tuus, quoniam in ingressu nostro pax vobiscum intrauit istam prouinciam. Quare mitte profectionẽ tuam. Nam crastina die, eadem hac hora, id est tertia, venient ad te quos præmisisti cum legatis Indorum, qui vobis terras inuasas, restitutas imperio vestro nunciabunt: & solutis tributis, aditum referent, & paci vestræ, ad quascunque conditiones volueritis, gratantes, consentientes, pactum firmissimum stabilient. At Pontifices ducis hæc irridentes: Domine Dux, inquiunt, noli istis hominibus fidem dare, vanis & mendacibus, aduenis scilicet & ignotis, qui ideò grata loquuntur, ne exploratorum loco habeantur. Isti au-

tem dij nostri, qui nunquam fallunt, dederunt tibi responsum, vt sis cautus, & ad res omnes solicitus: non quemadmodum illi qui te studiosè reddere securum conantur, vt dum minus cautus fueris, possis ex improuiso & acriùs & faciliùs adoriri. Respondens autem Sanctus Simon Apostolus, dixit: Audi me dux. Nos aduenæ & ignoti, & mendacissimi, non vnum mensem te expectare iubemus: sed diximus: Expecta vnum diem, & cras manè circa horam tertiam venturi sunt, quos misisti. Venient autem cum eis Indorum honorati, qui conditiones à te accipient, vt sint deinceps tributarij Persarum. Hæc cùm animaduerterent Sacerdotes Persarum, qui in exercitu erant, propalam clamabant: Aureas & gemmatas inter purpureas & auro tectas vestes, inter pateras & byssum, sericumque, & omnem gloriam Babylonici regni, dij nostri splendidi, suæ diuinitatis responsa dantes, aliquando fallere possunt: & isti pannosi, & personam nullam habentes, tantum sibi tribuere audent? quos videre, iniuria est. Et hos tu Domine dux ad iniuri-

am

am Deorum nostrorum non punis? Tum Dux: Hoc magnum est (inquit) quia aduenæ & pauperes atq; ignoti, cũ tanta hoc constantia adseuerant, q̃ deorum nostrorum testimonio videtur esse contrarium. Dicunt ei Pontifices: Iube eos custodiri, ne fugiant. Respondit dux: Ego non solùm iubeo eos custodiri, sed ipsi etiam vos in custodia eritis vsq; in crastinum, vt rerũ exitus doceat, si posit eorum testimonium comprobari. Posthæc iudicabitur, quis meritò debeat condemnari. Factũ est autem in crastino, iuxta verbum Apostolorum, venerunt nuncij, qui missi fuerant cursu velocissimo in dromedis: & nunciârunt omnia ista esse, sicut Apostoli Paulò antè intimarunt. Quare indignatus dux iussit pyram accendi, vt ibi Sacerdotes suo igne consumeret, & hos omnes qui Apostolos obfuscare nitebantur. Apostoli autem prostrauerunt se duci, dicentes: Obsecramus Domine, ne efficiamur nos câusa interitus eorum: qui pro salute hominum huc missi sumus, vt viuificaremus mortuos, non vt viuentes occidamus. Itaque cùm diu aspersi puluere, prouolutipedibus

ducis iacerent, respondit ille: Miror vos ita pro istis interuenire, qui nihil aliud egerunt per omnes comites meos & Tribunos ac Satrapas, & ad hoc præmia ingentia contulerunt, quàm vt vos incenderent viuos. Ad quæ extemplò Apostoli: Disciplina(inquiquiūt)magistri nostri has leges tenet, vt non solùm malum pro malo non cedat, sed etiam bona pro malis restituat. Estque hoc solùm discrimen inter nos & cęteras disciplinas, quia omnes reliqui malū reddunt pro malo, omnesque odiētes se odio habent. Nos autem è contrà diligimus inimicos nostros, & benefacimus his qui nos odiunt, & oramus Dominum pro calumniantibus & persequētibus nos. Quæ cùm audiuisset dux: Vel hoc permittite. inquit facere, vt omnia bona eorum vobis tradantur. Et cùm hæc diceret, iussit inquiri quanta esset facultas Pontificum. Et respondentes tabularij fisci, dixerunt: Vnus Pontifex vnam libram auri in vno mense de fisco consequitur. Et computati sunt centum & viginti talentorū: excepto eo qui sacerdotij arcem tenebat, qui quadruplum consequebatur in

Vel hoc autori fidem confirmat. nam tabularios in prouincijs constituisse & Augustum Suetonius

in auro, Congregatæ sunt itaque familiæ & vestes, & ministerium, & argentum & aurum, & iumenta, & omnia quæ habere poterant, nec poterat dinumerari facultas eorum. Ita congregatis opibus, dux ad regem reuersus, Apostolos Domini commendauit, inquiens: Hi sunt, sub effigie hominũ latentes, quos dij nostri timent, qui neque sine illarũ concessione dare responsa hominibus possunt. Et ipsa responsa illorum falsa fuisse, & oracula illorum, & euentus ipsi comprobauerunt. Isti autẽ Sacerdotes nostri, dum dicerent eos aduenas fallentes, quibus non deberet credi, & insisterent apud nos, vt puniremus eos: dũque vtrosque in custodia haberemus, vt pars quæ vera diceret remunerarẽtur, & quæ fefellisset, puniretur, denique vbi omnia eo ordine, quo isti prædixerant, sunt adimpleta, & vellem eos hoc pati, quod illi istos pati elaborauerant: ecce isti precibus apud me egerunt boni viri, vt nihil penitùs paterẽtur mali. Et cùm facultates eorum iussissemus conferri, has tamen illi nihilominus contemnunt, dicentes: Nobis non licet aliquid possidere

& Capitolinus M. Cæsarem tradunt apud quos et censum singuli ostenderent, & nomina accipierent.

ſupra terram, ex eo quòd noſtra poſſeſſio eſt in cælo, quæ eſt æterna, & vbi immortalitas regnat. Quin & illud inſuper addũt: Nulla ratione poſſumus accipere vel aurum, vel argentum vel veſtes, vel domos, aut prædia aut ſeruos. Iſta enim omnia terrena ſunt, & morientem hominem non ſequuntur. Quibus cùm dicerẽ, vel aliquantũ vt acciperent inde, quòd pauperes & peregrini eſſent, perſuadere nequiuimus. Non ſumus (dixerunt illi) pauperes, qui diuitias cæleſtes habemus. Sed ſi vis, vt ad ſalutem animæ tuæ proficiat cenſus ille, eroga pauperibus, eroga viduis, & orphanis, eroga infirmis & adflictis, libera debitores, qui à creditorib. exagitãtur, eroga publicè manum porrigentibus, & omnibus, qui his opibus indigent. Nam nos terrenũ nihil deſideramus. Hæc & alia cùm dux apud regem Xerxen diſſeruiſſet, excitati in zelum, qui cum rege fuerant Zaroës & Arſexat magi, ſimul indignabundi, rumores ſparſerunt: Malignos eos homines eſſe, qui contra Deos Gentis, contraque regnum tam aſtutè molirentur. Nam ſi vis ſcire Rex (inquiũt) quòd ea vera

ſunt

ſunt quæ dicimus, non priùs permittemus hos loqui, quàm Deos tuos adorauerint: Tum dux: Audetis ne cũ illis habere conflictum, vt ſi viceritis eos, tum demum abijciantur? Dixerunt magi: Aequum eſt, vt ſicut nos adoramus Deos noſtros, ita adorent & illi. Reſpõdit dux: Hoc ſcilicet conflictus veſter oſtendet. Ad hæc iterum magi: Vis videre (inquiunt) potentiã noſtram, vt probes, quia non poterũt loqui nobis præſentibus: iube adſtare hic, qui ſint eloquentes in linguis, acutiſſimi in argumentis, & clamoſi in vocibus. Et ſi tunc auſi fuerint nobis præſentibus loqui, probabis nos eſſe imperitiſsimos. Tũc iuſſu regis & ducis, omnes aduocati præſtò facti, ita ſunt à duce admoniti, vt quãta poſſent conſtantia, haberent cum his magis contentiones, & eos à defenſionum propoſito, argumentorum ſuorũ propoſito excluderent. Et cùm in preſentia regis & ducis, cunctorũq; ſublimium magi locuti eſſent, omnis illa aduocatio ita muta facta eſt, vt nec nutibus, quod loqui nõ poterat, indicaret. Et cũ vnius ferè horæ trãſiſſet ſpaciũ, dixere magi ad regem: Vt ſcias

nos

nos ex Deorum esse numero, permittimus eos quidem loqui, sed ambulare non posse Quod cùm fecissent, adiecerunt dicentes: Ecce reddimus eis gressum, sed faciemus eos apertis oculis nihil videre. Cumque & hoc fecissent, expauit cor regis & ducis, dicentibus amicis eorum, non debere contemni hos magos, ne & regi & duci inferant debilitatem in membris. Igitur hoc spectaculum à primo mane vsque ad horam sextam dũ spectatur, aduocati mœrore confecti, ad suas reuersi sunt quique domos, nimio animi impulsu fatigati. Dux verò cum haberet amicos Apostolos, eis narrauit omnia quę dicta, quæq; facta extiterāt. Dixerũt duci Apostoli: Vt scias, nobis pręsentibus figmēta illorũ valere nō posse, & ideò timere eos nostrā pręsentiam, iube aduocatos ipsos ad nos venire, priusquā ad ipsos vadant, & posteaquā ad nos venerint, ita ingrediātur ad regē, similē habituri cōflictũ: & si pręualuerīt eis, tũ scias nos ab his aliquatenus vinci posse. Cōuocauit igitur dux oēm illā aduocationē in domo sua, & quasi compatiens illis dixit: Dolco equidem verecundiæ

vestræ,

vestræ, quàm estis intra regalem aulā perpessi. Vnde sciatis, me inuenisse homines, qui vos moneāt & doceāt, vt non solùm vobis non præualeant, sed etiam vobis superati discedant. Tunc omnis illa multitudo aduocatorum prostrata, duci gratias agens, & eorum singuli cœperunt precibus agere, vt dictum facto compleret. At ille protulit eis Apostolos Domini, Simonem & Iudam. Videntes autem aduocati homines vilissima veste indutos, quasi in despectu eorum cœperunt habere personas. Quos facto silentio sic allocutus est Simon: Sæpissimè euenire, vt intra scrinia aurea & gemmata, vilia quædam habeantur inclusa: & intra vilissimas & ligneas capsas, sint gemmarum monilia preciosa reposita, solere etiam vasa pulcherrima aceto repleta execrationi & contēptui subiacere: cōtrà verò, vasa fœdissima in aspectu, vino tamē intùs optimo repleta, ambitionem sui saporis excitare gustantibus, ita vt neglecta visione, contemptui vilia quæ aspectus offendit, de sola cogitent homines suauitate, quæ intrinsecùs latet. Imò quicunque (inquiunt) alicu-

Elegās comparatio.

ius

ius rei cupit esse possessor , non magnoperè gestatoriũ, sed ipsũ quod gestatur spectat. Nõ ergo offendat aspectũ vestrũ, vilis hic noster habitus, intus.n. latent ea, quę ęternã vos faciãt & gloriã inuenire, & vitã Nos quippe oẽs homines, de vno patre & de vna matre nati sumus. Qui cũ facti essent & positi in regione viuorũ, suadẽte angelo inuidiæ, pręuaricati sunt in lege, quam à suo conditore susceperãt, suntque serui facti eius, cui suadenti obtemperauerunt. Deinde cum ipso angelo, ab illa vitæ æternæ regione, in huius terræ exilium proiecti sunt. Misericordiam tamen nihilo minus Deus & in hac parte suã constituit, vt sic homo creatorẽ suum solum Deum excoleret, & elementa non adoraret, nec diceret ligno, quod ipse dolauerat, Tu es Deus meus. Recessit autem à Deo suo homo, à custode suo : & quod maius est à Saluatore suo, vt suo pareret inimico. Hunc autem errorem in hominibus hic angelus princeps inuidiæ ideo nutriuit, & nutrit, vt ipse eis dominetur, & faciat de eis, quod ipse voluerit: conaturque auocare Deũ verum, quẽ iste angelus timet,

timet, à genere humano. Hac de causa per magos suos, quando voluit fecit vos tacere: rursus fecit vos inuidere, deniq; fecit vos immobiles permanere. Vnde, vt probetis ita esse, venite ad nos, & promittite, vos ab idolorũ cultura recedere, & solũ Deũ inuisibilem adorare ac colere. Et cũ hæc feceritis, imponemus manus nostras super capita vestra, & signũ Christi faciemus in frontibus vestris, & si tũ nõ confutaueritis eos, credite nos fallere omnia quęcunq; asserimus. Tum vniuersi illi aduocati, considerantes rationẽ verã, prostrauerũt se Apostolis dicẽtes: Facite ergo quęsumus, ne in nobis possint linguæ impedire officium, nec aliqua in mẽbris nostris impedimẽta inferre: & sit supra nos ira Dei, si vltrà idolis crediderimus. Quæ cum ab aduocatis dicta essent, procumbẽtes humi sancti Apostoli Simõ & Iudas, orauerũt ad Deum in hæc verba: Deus Israël, qui exinanimâsti magica figmenta Iammes & Mambres, & dedisti eos in confusionem & vlcera, & perire eos iussisti: sic faciat, & hic manus tua super hos magnos Zaroën & Arfexat. Hos autẽ famulos tuos, promit-

Loquebatur Simon hæc ad sapientes ac eloquentes Persarũ aduocatos.

mittentes quòd ab omni cultura idolorum abſcedent, fac fortes & ſtabiles, & conſtanter aduerſus eos inſurgere, vt cognoſcant omnes, quia tu es vnus omnipotens, qui regnas in ſæcula ſæculorum. Cumq; reſpondiſſent, Amen: ſignatis frontibus abierunt. Ingreſſi ſunt autem cum duce ad regẽ. Haud multò pòſt adſunt & magi, tentantes ea, quæ anteà fecerant, & nulla poterant ratione præualere. Tum ex aduocatis vnus Zebeus nomine, dixit: Audi Domine rex, iſta ſtercora abijcienda ſunt, & ex tuo regno emundãda, ne fortè omnibus putredinem generent. Habent enim ſecum angelum humani generis inimicum, & ludificant in hoc homines, vt quàm plurimos angelus iſte malus habeat ſubiectos. Habet autem hos ſubiectos, qui non ſunt Deo omnipotenti ſubiecti. Iam verò idcirco inſiſtebant magi, vt Apoſtoli ſancti hos deos adorarent: quo facto, Deũ verum offenderent, & deinceps ipſi in illis faciliùs per angelum illum malignum ſua præſtigia exercerent. Denique ſignum Dei ſui in frontibus noſtris, digitis ſuis facientes, miſerunt huc, iſta

verba

verba adijcientes: Si post istud signaculum Dei, præualuerint artes illorum, sciatis nos quæ docemus vniuersa mentitos. Ecce nunc igitur in DEI omnipotentis nomine adsumus, insultamus & opponimus nos magis: si possunt, agant, quæ hesterno gesserũt. Quæ cùm viderunt magi, indignati, multitudinem serpẽtum venire fecerunt. Qua re terrefacti, qui aderant, vt Apostolos rex vocaret, clamarunt. Missis igitur nuncijs, mox venerunt Apostoli, qui implentes pallia sua de serpentibus miserunt in eosdem magos dicentes: In nomine Domini nostri Iesu Christi non moriemini, sed morsibus eorum attrectati, dolorum vestrorum mugitum dabitis. Statimque serpentes cœperunt carnes eorũ deuorare. Illi autem vlulabant, veluti lupi. Quæ videns rex, & omnes qui aderant, dicebant Apostolis: Permittite, vt magi moriantur ab eis. At illi responderunt: Nos missi sumus, à morte ad vitam cunctos reducere, non à vita præcipitare in mortem. Facta igitur oratione, dixerũt Apostoli serpentibus: Redite in nomine Iesu Christi ad loca vestra, atque omne venenũ

quod

quod in hos magos infudistis, auferte vobiscum. Nouos itaque cruciatus magi patiuntur, cùm serpentes venena sua morsibus renouatis tollerent, sugentes sanguinem eorum. Itaque ablegatis serpentibus, adlocuti sunt Apostoli magos in hæc verba: Audite impij scripturam sanctam dicentem: Qui proximo suo parat foueam, ipse prior cadit in illam. Vos quidem nobis parastis mortem: Nos autem rogauimus Dominũ nostrũ Iesum Christum, vt vos à morte præsente eriperet. Denique qui per multos annos morsibus his serpentinis affligi poteratis, ecce tertia die transacta, precibus nostris recuperata vobis sanitas redonabitur. Forsitã vel sic ab impietate vestra cessabitis, dum veritatem Dei circa vos exuperare, probare possitis. In istis autem tribus diebus, ideo permittimus vobis dominari dolores, vt pœniteamini pro erroribus vestris Hæc cùm dixissent Apostoli, deportati sunt ad hospitalia magi, qui per triduum nec cibum capere, nec bibere vllo modo poterant, sed in his sola vociferatio doloribus extorta incessabilis extitit. Posteà, cùm iam res

in

in eo esset, vt pariter expirarent magi Zaroës & Arfexat, accesserunt eos Apostoli, dicentes: Non dignatur Deus habere coacta seruitia: ideo surgite sani, habentes liberam facultatem conuertendi à malo ad bonum, & exeundi à tenebris ad lumen.

At illi permanentes in perfidia sua, sicut à facie Matthæi Apostoli fugerunt, sic & his duobus Apostolis fugientes, ad simulachrorum cultores, per totam Persidis regionem, vt Apostolis inimicitias excitarent, vbiq; dicebant: Ecce veniunt ad vos inimici Deorum nostrorũ. Si vultis Deos vestros habere propitios, compellite eos sacrificare illis. Si autem nolueritis, saltem interficite eos. Hæc cùm ita inter Apostolos & magos in Perside gesta fuissẽt, rogati à rege & duce beati Simon & Iudas, ab eo tempore morabantur in Babylone, facientes quotidie mirabilia magna, inluminantes cæcos, surdis reddentes auditum, claudicantibus gressum, mundantes leprosos, fugantes denique ab obsessis corporibus omnis generis dæmonia. Habebant autem secùm discipulos multos, ex quibus ordinabant per

S. Simonis & Iudæ habitatio in Babylone.

ciuitates Presbyteros & Diaconos & clericos, & Ecclesias multas constituebant. Factum est autem, vt vnus ex diaconibus pateretur crimen incesti. Erat enim vicinus filiæ Satrapæ cuiusdam ditissimi hominis, quæ perdita virginitate partum edens periclitabatur. Interrogata autem à parentibus, virum Dei Sãctum & castum Euphrosinum Diaconum impetebat.

Qui tentus à parentibus puellæ, vrgebatur subire vindictam. Quod vbi Apostoli audiuerunt, veneruntad parentes puellæ. At illi cùm aspexissent Apostolos, cœperunt clamare, & diaconum reum huius criminis accusare. Tum Apostoli: Quando (inquiunt) natus est puer? Responderũt: Hodie hora diei prima. Dicunt eis Apostoli: Perducite hunc infantem, & diaconũ quem accusatis huc pariter adducite. Cumq; in præsentia essent, alloquuntur Apostoli infantem dicentes: In nomine Domini nostri Iesu Christi loquere, & dic, si iste Diaconus præsumpserit hanc iniquitatem. Tum infans absolutissimo sermone ait: Hic Diaconus vir Sanctus & castus est, & nunquam inquinauit carnem

Nota admirandam historiam.

suam

ſuam. Rurſus autem inſiſtebant parentes Apoſtolis, vt de perſona infans interrogaretur incæſti. Qui dixerunt: Nos innocentes ſoluere decet, & nocentes prodere non decet. Dum hæc Babyloniæ fierent ab Apoſtolis Domini, intereà euenit, vt duæ tigrides ſrociſſimæ, quæ erant in ſingulis cauis clauſæ, fortè fortuna liberatæ fugerent, & quidquid in occurſu inuenirent, deuorarent. Quare conſternatus omnis populus, ad Apoſtolos Dei confugit. Apoſtoli aũt inuocantes nomen Domini Ieſu Chriſti, iuſſerunt vt ſequerentur eos in domũ, in qua manebant. Et per triduũ ibi manſerunt: Et conuocantes ibi omnẽ multitudinem, dixerũt: Audite omnes filij hominũ, qui ad imaginem Dei facti eſtis, quibus dedit Deus ingenium, memoriã, & intelligentiam, conſiderate feras, quæ nunquã manſueſcere conſueuerant, audito nomine Dñi Ieſu Chriſti, in agnos conuerſæ ſunt: & homines in tanta adhuc perdurant obſtinatione, vt non intelligant, Deos non eſſe figmenta hæc aurea & argentea, quæ flata ſunt, & ad arbitrium hominis fabrefacta, vel de lapide aut ligno

Aureum dictum.

Elegans cõparatio.

ſculpta. Dominum autem qui vos creauit, ignoratis, qui dat vobis pluuiam de cælo, & producit vobis panem de terra, & vinum ac oleum de ſurculis ligni. Vt autẽ ſciatis, quia ipſe eſt verus Deus, erunt vobis in teſtimoniũ tigrides iſtæ, vt ipſe vos admoneant quodammodo, vt non alterum colatis Deum, niſi Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in cuius nomine iſtæ manſuetæ factæ, quaſi oues in medio veſtri conuerſabuntur, veſpere autem facto in ſuam cellulam reuertentes manebunt. Intereà nos ſuſcepto itinere, reliquas ciuitates peragrabimus & prouincias, vt Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti prædicatio cunctis innoteſcat. Quæ cùm audirent ex Apoſtolis, flebant populi, rogantes vt non diſcederent. Ad quorum petitionem vnum adhuc annum & menſes tres in Perſide beati Simon & Iudas remorati ſunt. In quo ſpacio amplius quàm ſexaginta millia virorum baptizati ſunt, exceptis paruulis, & mulieribus: baptizato primùm rege cum vniuerſis dignitatibus ſuis. Præterea videntes omnes infirmitates verbo curari, inluminari cæcos, mortuos

etiam

etiam suscitari in nomine Domini Iesu Christi, vniuersi populi crediderũt destruentes tẽpla, & Ecclesias extruẽtes. Ordinauêre autem Apostoli in ciuitate Babylonis episcopum nomine Abdiam, qui cum ipsis venerat à Iudæa, qui & ipse viderat oculis suis Dominum: & repleta est ciuitas Ecclesijs. Quibus ritè omnibus ordinatis, egressi sunt Apostoli Persidem. Sequebantur autem eos turbæ discipulorũ, & eò ampliùs viri. Circumierunt autem duodecim prouincias Persidis, & ciuitates earum, in quibus quę egerint, & quæ passi sint per annos tredecim, longa narratione scripsit Crathon, Apostolorum ipsorum discipulus, in decem librorum voluminibus vniuersa comprehendens, quæ Africanus historiographus in latinam transtulit linguam: Ex quibus qui scire voluerit, qui fuerint progressus prædicationis, vel quo fine mundum Simon & Iudas Apostoli reliquerint, ex multis pauca selegimus. Quippe Zaroës & Arfexat magi facientes scelera multa per ciuitates Persidis, & dicentes, se esse, ex genere Deorum, semper à facie Apostolorum fugientes,

Ex his rursus apparet, authorẽ huius historiæ gestis rebus S. Simonis & Iudæ interfuisse.

Crathon alter author, qui historiã Apostolorũ scripsit.

Interpres huius historiæ, sui ipsius meminit.

tamdiu erant in quacunque ciuitate, quamdiu cognoscerent Apostolos aduenire. Apostoli autem vbicunque fuissent ingressi, detegebant scelera eorum, & ostendebant doctrinam eorum ab inimico humani generis adinuentam. Erant autem in Suanyr ciuitate lxx. templorum Pontifices, qui solebāt singulas libras auri à rege cōsequi, quando Solis æpulas celebrabant: id quod quater in anno fieri cōsueuerat, in tempore nouorum, in introitu veris, initio æstatis, autumni & hyemis. Hos igitur nō pontifices hac allocutione magi in Apostolos Dei incitauerunt, dicētes: Venturi sunt duo Hebræi, Deorum omnium inimici. Quare vbi inceperint dicere, Deum alterū adorari debere: vos exclusi eritis à facultatibus vestris, & contemptui populo eritis. Alloquimini ergo populum, vt cùm primùm hi vrbē intrārint, teneantur ad Sacrificandum. Si consenserint, pacem habebūt cum dijs vestris. Si verò sacrificare noluerint, sciatis illos ad subuersionem vestrā ingressuros, & deprædationem & mortem. Factum est aūt, vt postquam peragrassent vniuersas prouincias, vniren-

Suanyr amplissima ciuitas Persidis.

nirent ad Suanyr ciuitatem magnam. In quam cùm fuissent ingressi, & mansissent apud discipulũ suum, eiusdem ciuitatis virum, nomine Semnem, ecce circa horam primam omnes simul Sacerdotes cum populò innumerabili venerunt ad ædes, clamantes ad Semnem: Produc ad nos inimicos Deorum nostrorum. Cum quibus si non sacrificaueris dijs nostris, incendemus te & domum tuam, cum ipsis. Intereà tenentur Apostoli Dei, & ducuntur (haud mora) ad templum Solis, quod cùm ingrederentur, cœperunt clamare dæmones, Ergon Mystumneos: Quid vobis & nobis Apostoli Dei vini? In ingressu vestro flammis exurimur. Stabat autem in vna æde templi ab oriente quadriga Solis, fusilis ex argento, in alia autem æde stabat Luna fusilis ex argento, habens quadrigam similiter boum fusilem ex argento. Cœperunt ergo Pontifices Apostolis vim facere cum populo, vt adorarent eos inibi. Quòd animaduertens Iudas ad Simonem: Frater (inquit) Simon, video Dominum meum IESVM Christum, vocantem nos. Similiter & Simon respondit: Diu est, quod

Græce voces sunt Ergon Mistoumneos, pro eo quod est manceps.

Apparet Christus duoos Apostolbis.

intueor aspectum Domini in medio angelorum. Nam & dixit mihi angelus Domini cùm orarem: Faciam vos egredi de templo, & faciam ipsum templum ruere super eos, & dixi, nequaquam Domine, non fiat hoc, fortassis erunt aliqui ex his, qui conuertantur ad Dominum. Igitur cùm hæc secum Hebræo sermone loquerentur, apparuit eis angelus Domini, dicens: Confortamini, & vnum è duobus eligite: aut repētinum istorum omnium interitum, aut palmam martyrij vestri, cum fiducia boni certaminis expectate. Cui respondentes Apostoli, dixerunt: Imploranda est misericordia Domini nostri Iesu Christi, vt & illis propitietur, & nos adiuuet vt possimus pertingere cum constantia ad coronam. Hoc autem Apostoli soli cùm viderent & audirent, compellebantur à Pontificibus adorare simulachrum Solis & Lunæ. Quibus Apostoli dixerunt: Facite fieri silentium, vt demus responsum omni populo audiente. Facto autem silentio, dixerunt: Audite omnes, & videte Solem noscimus seruum Dei esse, & Luna similiter præcepto sui Creatoris est

Nota pietatem.

est subiecta. In cæli tamen firmamento consistentes, non sine iniuria sui in templis includuntur, qui in cælo omni sæculo patere noscuntur. Et vt intelligatis, quia simulachra eorum non Sole, sed dæmonijs sunt plena, ego præcipiam dęmonio, qui in Solis simulachro latet, & frater meus iubebit alteri dæmonio quod in simulachro Lunæ vos ludificat, vt egrediãtur ex eis, & ipsi ea comminuant. Et stupentibus cunctis, dixit Simon ad Solis simulachrum: Præcipio tibi ludificator huius populi dæmon pessime, vt exeas de simulachro Solis, & cõminuas ipsum, & quadrigam eius. Similiter cùm hæc Iudas ad simulachrum Lunæ dixisset, visi sunt ab omni populo duo Aethiopes nigri, nudi, horribili vultu, & vlulantes, dirasque voces emittentes abscedere. Quo facto, irruentes Pontifices & populum in Apostolos Christi, interfecerunt eos per tumultum. Erant verò ipsi gaudentes & alacres Apostoli Dei, gratias Deo agẽtes, quia digni habiti essent, vt pro nomine Domini paterentur. Passi sunt autem die Kalen. Iuliarum. Simul quoque tum passus est cum Apostolis,

Idolo latriæ gens dedita.

Dæmonum eiectio.

Apostol. mors:

Hospitis Apostol. passio

Sennes hospes eorum, quoniam & ipse idolis sacrificare contempserat. Ipsa autem hora passionis, cùm nimia esset cæli serenitas, fulgura exorta sunt ita vt trifariam templum ipsum scinderetur, à summo tecti fastigio vsque ad vltimum fundamentum. Quo tempore, & duo, de quibus diximus, magi, Zaroës & Arsexat, ictu choruscationis adusti, ad carbonem cõuersi sunt.

Diuina vltio.

Xerxis humilitas.

Post menses autem tres misit rex Xerxes nuncios in ciuitatem Senayr, qui confiscarent Pontifices, & corpora sanctorum Apostolorum ad suam transferrent ciuitatem. In qua extruere cœpit basilicam, octogenos cyclos octo angulorum, & octies octogenos pedes per gyrum comprehendentem, cùm alta esset pedum centum & viginti, fueruntque omnia ex quadratis marmoribus signaticis extructa, camera ipsa laminis aureis suffixa. In medio autem octogeni sarcophagum corpora beatorum Apostolorum portantem, ex argento puro instituit: factaque est huius fabricæ ædificatio per annos tres continuos, & consummata die natalis Apostolorum, & die coronationis Kalendas

Magnifi. Templum honoei Apost. dicatũ Sarcophagũ Apostol.

Iulij

Iulij dedicata. In quo loco beneficia consequuntur, qui credentes in Dominum Iesum Christum, illuc meruerint peruenire.

LIBER SEPTIMVS HIstoriæ Apostolicæ ab Abdia Babylonis Episcopo Hebraicè scriptæ: & in linguam Latinam ab Africano versæ, de gestis à beato Matthæo Apostolo & Euangelista rebus:

MAtthæus cognomento Leui, & Alphæi filius, ex publicanorũ ordine fuit: atque eo in munere vocatus à Domino nostro Iesu CHRISTO, in discipulorum eius numerum venit: postremò ad Apostolatus culmen ascendit, ante subleuationem Domini in cælum præter cæteros muneris Apostolici socios, peculiare nihil gessit. Sed post quam Spiritum sanctum inluminatorem vna cum cæteris accepisset, & in orbem terrarum ad prædicandum Euangelium esset directus, Aethiopiam is in diuisione prouinciam suscepit. In quam

Genus B. Matthæi.

Status. vocatio ad Apostolatũ.

Aethiopia ad prædicandum contigit.

quam profectus ipse, cum in ciuitate magna, quæ dicitur Naddauer, moraretur, in qua rex Aeglippus sedebat, contigit vt duo magi Zaroës & Arphaxat simul essent, qui regem miris modis ludificabant, vt se Deos esse, remota ambiguitate, crederet. Et credebat eis rex omnia, & omnis populus non solùm memoratæ vrbis, sed ex longinquis etiam regionibus AEthiopiæ veniebant quotidie, vt adorarent eos. Faciebant enim subitò hominum gressus figi, & tamdiu immobiles stare, quamdiu ipsi voluissent. Similiter & visus hominum, & auditus, à suo officio refrenabant. Imperabant serpentibus vt percuterent, quod & Marsi facere solent: & ipsi incantando multos curabant. Et vt dici vulgò solet: Malignis maior reuerentia exhibetur ex timore, quàm benignis ex amore: sic & illi venerabiles apud AEthiopes, in magno diu precio fuerunt. Verùm (vt sæpe dictũ est) curam Deus hominũ gerens, Mathæum contra hos Apostolum misit. Qui ingressus ciuitatem, cœpit detegere præstigia illorum. Omnes enim quos illi figebant, hic in nomine

Duo Pseudoprophetæ

Tyrannidẽ exercebant.

Benignitas Dei succurrit hominib.

mine Iesu Christi soluebat: quos illi excæcabant, hic inluminabat: quibus illi auditum tulerant, iste reddebat. Serpentes etiam, quos ad percutiendos homines excitabant, hic conuertebat in somnum, & percussiones eorum facto signo Domini percurabat. Hunc cùm vidisset AEthiops eunuchus Candacis nomine, qui fuerat à Philippo Apostolo Diacono baptizatus, procidit ad pedes eius, & adorans dixit: Quia respexit Deus ciuitatem istam, vt liberaret eam de manu duorum magorum, quos putant stulti homines Deos esse. Is suscipiebat Apostolum in domum suam, & veniebant ad eum omnes, qui erant amici Candacis eunuchi: & audientes verbum vitæ credebant Christo IESV Domino. Et baptizabantur quotidie plurimi, videntes quòd omnia quæ magi faciebant mala hominibus, hæc DEI discipulus euacuaret. Illi enim ideo vulnerabant quos poterant, vt vulnerati, ipsos euocarent ad curam. Quique ideo curare putabantur. quoniam à læsione cessabant. Matthæus autem Apostolus Christi, non solùm hos curabat, quos illi læ-

Opera operibus contraria.

Eunuchus candacis reginæ à B. Philippo baptiz.

Variæ curationes in nomine Iesu.

debant, sed etiam omnes qui ad eum ferebantur, & fuerant infirmitatibus diuersis obsessi. Prædicabant autem populo veritatem Dei, vt omnes mirarentur eloquentiam eius. Tum Candacis eunuchus, qui eum susceperat omni affectione, interrogauit eum dicens: Obsecro te, vt digneris indicare mihi, quomodo cùm sis Hæbreus, nosti Græcam, Aegyptiacam & Aethiopicam sermocinationem, ita vt hi qui in his regionibus nati sunt, non possint tam bene sermocinari. Respondit Apostolus: Totus mundus vnam sermocinationem habuisse omnium hominum dignoscitur. Sed nata est præsumptio omnium hominum talis, quæ eos turrim tantæ magnitudinis facere hortaretur, ita vt cacumen eius peruenisset ad cœlum. Hanc præsumptionem DEVS omnipotens hoc ordine repressit, vt alter alterum tum non potuerit loquentem aduertere. Facta sunt autem plurima linguarum genera, & diuisa est illa conspiratio, quæ per vnam linguæ intelligentiam consistebat. Bona quidem fuit ea voluntas, vt fieret turris, cuius cacumen perueniet ad

Eloquentia B. Matthæi.

Causa & origo tot per orbem terræ linguarum.

ad cœlum: sed mala fuit præsumptio, quæ nō sanctis meritis ire volebat ad sancta. Veniens autem filius Dei omnipotentis, ostendere voluit, quo ordine ędificando peruenirémus ad cœlum: & nobis duodecim discipulis suis misit Spiritum Sanctum de cœlo, cùm sederemus in vno loco, venitque supra vnumquenque nostrûm, & inflammati sumus sicuti ferrum inflāmatur ab igne. Posthæc cùm à nobis pauor simul & splendor discessisset, cœpimus varijs linguis loqui Gentibus, & magnalia natiuitatis Christi adnunciare, quo ordine sit natus vnigenitus filius Dei: cuius originem ante sæcula nemo nouit: Qualiter verò sit natus ex vtero Mariæ virginis, adnuncians atque intimans nobis, & ab intacta virgine lactatus & ablactatus, & enutritus atque eruditus & baptizatus, & tentatus & passus, & mortuus & sepultus, & die tertio resurrexit: Et in cælos ascendit, vt ad dextram Dei omnipotentis sederet, vnde sit venturus iudicare omne sæculum per ignem. Non ergo, vt tu putas, istas tantum quatuor, sed omnium Gentium etiam linguas scimus,

Scalæ virtutum in cælū.

qui eius discipuli sumus, Iesu crucifixi, nõ mediocriter, sed perfectè. Et ad quamcũque Gentem peruenire potuerimus, iam loquelam eius perfectè cognoscimus. Nunc verò ædificatur turris non de lapidibus, sed de virtutibus Christi, omnibus qui baptizantur in nomine patris & filij & spiritus sancti: aperiturq; eis turris, quam Christus extruxit: & per ipsam tamdiu ædificantes ascendunt, vsquequò ad cęlorum regna pertingant. Hæc & his similia multo mystico sermone Apostolus cùm dissereret, venit qui diceret, magos illos cum singulis draconibus aduenire, Dracones aũt erant galeati, & flatus eorum flammiferum ardorem emittebat, sulphureasque spargebant auras è naribus, quorum odor homines interficiebat. Quæ cum audiuisset Matthæus, consignans se, securus cœpit in occursum illis prodire, prohibebat autem illum Candacis, clausis ostijs, dicens: Per fenestrã quæso, si videtur, loquere magis istis. Dicit illi Apostolus: Tu mihi aperi, tu mihi aperi, & per fenestrã tu cõsiderabis magorum istorũ audaciam. Itaque aperto ostio Apostolus mox vt egres-

Apostoli omnes linguas sciuerunt.

Inuocatio Magorum.

egressus est, ecce obuiam illi duo magi, singulos dracones ante se habentes, veniebant, Tum verò vt appropinquarunt, ambo dracones ante pedes Apostoli obdormiuerunt. Et dicit Apostolus magis: Vbi est ars vestra? Si potestis, excitate eos. Ego autem si nō rogassem Dominū meū Iesum Christum, oēm furorem, quem in me exacuistis, in vos retorsissent. Sed quousque omnis populus conueniat, hi obdormiunt. Et quia nullus accedere huc ausus est, ego excitabo eos, & iubebo illos redire ad locum suum, cum omni mansuetudine. Conabantur autem intereà arte sua magica excitare eos Zaroës & Arphaxat, & non poterant neque oculos aperire, neque penitùs commouere quidquam. Rogabant autem populi, dicentes Apostolos: Rogamus te Domine, vt liberes populum & ciuitatem ab his bestijs. Ad quos Apostolus: Nolite timere (inquit) ego faciam eos hinc cum omni māsuetudine abscedere. Et conuersus ad dracones, dixit: In nomine Domini mei Iesu Christi, qui conceptus est ex Spiritu sancto & natus de Maria virgine, quem tradidit

Non est ars aduersus, Dominum.

Nota historiam dignā memoratu.

Iudas

Iudas Pharisæis, & illi eum crucifixerunt: quique post crucem sepultus, tertia die resurrexit à mortuis, & conuersatus nobis per quadraginta dies, docuit nos ea, quæ ante passionem docuerat, commemorans vniuersa quæ dixerat: & qui denique post xl. dies, videntibus nobis ascendit ad cęlos, & sedet nunc in dextra Dei patris, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos: in ipsius inquam nomine & virtute, suscitemini. Et te adiuro spiritus, vt cum omni mansuetudine facias eos redire ad locum suum, ita vt nullum contingant, nullum lædant, neque hominem neque quadrupedem, neque volucrem. Ad hanc vocem eleuantes capita serpentes cœperunt ire, atque apertis portis egressi publicè & omnibus videntibus, nunquam ampliùs comparuerunt. Quo facto, Apostolus populum ita allocutus est: Audite fratres & filij, & omnes qui vultis liberare animas vestras à vero dracone diabolo. Propter vestram salutem misit me ad vos Deus, vt relicta vanitate idolorũ, ad ipsum conuertamini, qui vos creauit. Deus autem quando fecit hominem primùm

Fugatur diabolus.

Expositio ligationis Apostol.

primùm, posuit eum in paradiso deliciarum, cum vxore sua, quam de costa eius fecerat. Porrò paradisus deliciarum, eminet omnibus montibus, & vicinus est cælo: neque habet aliquid in se, quod possit esse saluti hominum inimicum. Non aues terrentur ad sonitum hominis & aspectum, non spinæ nascuntur & tribuli, non ibi rosæ marcescunt, non lilia, nõ aliqui ibi prætereunt flores, non anni senectutem generant ætatibus, non labor fatigationibus subiacet, non infirmitas aliqua sanitati succedit: tristitia & fletus & mors, ibi penitùs locum non habent. auræ enim quæ ibi sunt, blandiuntur potiùs, quàm perflant, & æternitatem naribus inferũt. Nam sicut thymiamatis fumus excludit putores, ibi nares, ibi vitã expirant æternam: quæ non permittit hominem neque fatigationem incurrere, nec dolorem, sed semper æqualem, semper iuuenem, semper lætum, & semper immobilem permanere. Sonant ibi organa angelorum, & voces mellifluæ auribus inferuntur. Serpens ibi locum non habet, non scorpio, non phalangius, non musca aliqua

Topographia Paradisi.

Beatitudinis fœlicitas.

qua ſaluti hominis inimica eſt, famulantur ibi hominibus leones & tigrides & pardi: & quidquid iuſſerit homo auibus aut feris, quaſi chariſsimo & dilecto Dei, mox obtemperant cum reuerentia iuſſioni eius. Quatuor quoque flumina inde fluunt: vnus fluuius dicitur Geon, ſecundus Phyſon, tertius Tygris, & quartus Euphrates. Hi omni genere piſcium abundant. Nullus ibi eſt latratus canum, nullus leonum rugitus: omnia blanda ſunt, omnia manſueta, omnia quieta. Nunquam ibi facies cæli nubium tegminibus obumbratur, nunquam ibi fulgura coruſcant, nunquam tonitura concrepant: ſed eſt ibi exultatio ſine fine, & feſtiuitas quæ terminum non habet. Quamobrem verò paulò antè memorauerim, quòd ibi ſperpens penitùs non eſſet, cauſa eſt, quòd per ipſum angelus inuidiam ſuam exercuerit, & propterea à Deo maledictus, in loco benedicto maledictus habitare non poteſt. Liuor aũt angelo hinc natus eſt, q̃ vidit imaginẽ Dei in homine extitiſſe: & quoniam homini poſsibile eſſet, vt in hac regione beata cum cunctis animantibus loqueretur.

Nomina fluuiorum Paradiſi.

Elegans de præuaricatione hominis diſputatio.

retur. Hinc angelus, qui ex se concepit inuidiam, per potentiam angelicam serpentem ingressus, suasit vxori Adæ, vt de pomo arboris manducaret, quod Deus fieri sub interminatione mortis prohibuerat. Posthæc etiam vxor cùm deliquisset, seduxit virum. Cũq; ambo præuaricatores existerent, huc in istam terram, aridam & desertam exilio ablegati sunt, proiecti de regione vitæ in regionẽ mortis: ipse verò author sceleris simul in serpente inuentus, maledictionẽ ęternam accepit. Huius rei conditionisque hominũ misertus ipse Dei filius, qui in præcepto patris sui hominem fecerat, pro nostra fragilitate, dignatus est hominis assumere formam, non amittens suam deitatem. Atque hic est homo Iesus Christus, qui recuperauit iterum illum hominem, & diabolum patiendo crucem vicit: præterea irrisiones atque insultationes tolerans, vicit etiam mortem moriendo, vt paradisum resurgendo aperiret. Iam vt nemini fieret dubiũ, illuc oẽs in Christum credentes intrare, primo latronẽ ipsum Christus induxit: cui in ligno crucis positus, lignum præ-

Ad quid incarnatus filius Dei.

præuaricationis excusſit, cæterisque omnibus paradiſum animabus ſanctis, de hoc corpore exeuntibus, aperuit. Denique in die nouiſsima reſurgentibus, etiam regna cæleſtia vt intrare valeant, patefecit. Iam igitur, qui modò vult ad vitam, is currat & ad paradiſum redeat, licet: vnde pater noſter carnalis Adam foras miſſus, in iſto nos oẽs generauit exilio. Contrà aperuit nobis Dominus Ieſus paradiſi ianuas, vt ad patriam illam reuertamur, in qua mors locum non habet, & in qua iuge gaudium perſeuerat. Cùm hæc & ſimilia loqueretur Apoſtolus, ecce tumultus luctuoſus ſubitò ortus eſt, in quo regis filius mortuus plangebatur. Ad cuius funus ſtabant magi, qui cùm non poſſent ſuſcitare eum, conabatur regi perſuadere, hunc à dijs raptum eſſe in collegium ſuum, vt ſit vnus ex dijs, cui oporteat & ſimulachrum fabricari, & templum. Quæ cùm audiuiſſet Candacis eunuchus, ingreſſus ad reginam, dixit illi: Iſtos quidem magos iubeto cuſtodiri: tum verò rogo te, vt veniat ad nos Apoſtolus Dei Matthæus. Et ſi ipſe eum nobis reſuſcita-

Superſtitio incantatorũ.

citauerit', istos viuos incendi curabis, quia omnia mala per ipsos in ciuitate nostra eueniunt. Tunc missi sunt per Candacem virum honoratum à latere regis aliqui, qui rogantes Apostolum cum honore introduxerunt ad regem. Ingrediente autem Matthæo, prostrauit se Euphenissa regina Aethiopum ad genua eius, & dixit: Agnosco te Apostolũ à Deo missum pro salute hominum, & eius esse discipulum, qui mortuos suscitabat, & omnes ægritudines ab hominibus suo imperio pellebat. Nunc ergo veni, & inuoca nomen eius super defunctum filium meum: & credo quòd si hoc feceris, reuiuiscet. Dicit ei Apostolus: Atqui prædicationem Domini mei Iesu Christi, adhuc ex ore meo non audiuisti: & quomodo dicis, credo? Ideoque scias, filium tibi tuum reddi. Ingressusque expandit manus suas ad cælum, & dixit: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui ad restaurationem nostram, vnigenitum filium tuum de cælo ad terras misisti, qui nos ab errore conuerteret, & te nobis verum Deum demonstraret, memor esto dictorum Domini nostri Iesu

Oratio Reginæ ad Matthæum.

Responsio Apostoli cũ admiratione

Iesu Christi filij tui. Amen dico vobis, quia omnia, quæ in nomine meo petieritis à patre meo, dabit vobis. Vt cognoscant ergo gentes, quia præter te non est alius omnipotens, & vt vera sit hæc assertio oris mei, excitetur puer iste. Et adprehendens manum defuncti, ait: In nomine Domini mei Iesu Christi crucifixi, exurge Euphranon. Et confestim exurrexit puer. Ad hoc factũ expauit cor regis, & statim iussit deferri ei coronas, & purpuram. Et præcones misit per ciuitatem, & diuersas prouincias Aethiopiæ, dicentes: Venite ad ciuitatẽ, & videte Deũ in effigie hominis latentem. Cumq; venisset omnis multitudo cum cereis & lapidibus, & cum thymiamate, ac diuerso sacrificiorum ritu, Matthæus Apostolus Domini hac voce omnes alloquitur: Ego Deus non sum, sed seruus Dñi mei Iesu Christi, filij Dei omnipotentis, qui me misit ad vos, vt relicto errore simulachrorum vestrorum, ad verum Deum conuertamini.

Resurgit mortuus.

Alludit ad ornamenta coronarum, quæ maximis viris ob maxima beneficia in rẽpub. vel populum collata, deferebãtur. de quibus consule. lib. 10. operis nostri de Romana militia.

Quòd si me hominem similem vobis putatis Deum, quantò magis hunc Deum debetis credere, cuius me seruum esse confiteor? in cuiusque nomine

mine ego mortuum hunc regis filium excitaui? Et hunc omnes qui capaces tam euidentissimæ rationis estis, aurum & coronas aureas, & argentum ab oculis meis tollite, & ijs diuenditis templum Domino extruite, atque ibi congregemini ad audiendum verbum Domini. Quo audito, intra triginta dies vndecim millia hominum congregata, fabricantes Ecclesiam Sanctam consummauerunt. Et vocauit nomen templi Matthæus Resurrectio, quoniam per resurrectionem occasio ædificationis extiterat. Sedit autem in Ecclesia illa Matthæus annis xxiij. & constituit Presbyteros ac Diaconos, & per ciuitates & castella ordinauit Episcopos, & multas construxit per loca diuersa Ecclesias. Et baptizatus est rex Aeglippus & regina Euphenissa, & filius eius qui suscitatus erat Euphranon: & filia eius Ephigenia baptizata, & virgo Christi permansit. Intereà magi timentes, fugerunt ad Persas. Cæterùm longum est narrare, quanti cæci inluminati, quanti paralytici curati, quot denique à dæmonijs liberati, & quot mortui suscitati ab Apostolo fuerint.

Templis nomina primùm indita.

Episcopi per castella ordinati.

Rex Aeglippus baptizatur cũ familia.

fuerint. Adeò Christianissimus rex iste fuit, & gloriosissima eius coniunx, deuotus quoque omnis exercitus & populus Aethiopiæ. Esset autem longum recensere, quomodo omnia simulachra, omniaque templa destructa sunt: quæ omnia propter copiam rerum præteriens, quo ordine passionem Sanctam celebraruerit, retexam. Non multò pòst enim rex Aeglippus senectute expleta, perrexit ad Dominum, & accepit Hyrtacus rex adelphus imperium eius. Hic cùm vellet accipere Ephigeniam filiam defuncti regis vxorem, iam Christo dicatam, & quæ Sacrum velamen acceperat de manu Apostoli, præposita iam virginum ampliùs quàm ducentarum, sperabat tum rex Hyrtacus, quòd per Apostolum posset eius animum commouere. Quare cœpit cũ sancto Matthæo agere, dicens: Dimidium regni mei accipe, tantum vt Ephigeniam queam matrimonio meo copulare. Cui Beatus Apostolus ait: Iuxta bonum propositum prædecessoris tui regis, qui omni die sabbato conueniebat, vbi verbum Domini prædicabam, iube illic & tu conuenire vniuersas

Idola in Aethiopia destruuntur.

Mors Regis.

Hyrtacus regnat.

Ephigenia in matrimonium expetitur.

Promißis in suam sententiam nititur Apostol. pertrahere.

uersas virgines, quæ cum Ephigenia sunt: & audies coram populo, quantas laudes, & quanta bona de bono coniugio loquar. & quemadmodum satis DEO accepta sint sancta coniugia. Quo audito Hyrtacus gratulatus est, & iussit congregationi illic interesse etiam Ephigeniam, quasi auditum ex ore Apostoli, vt coniunx fieri Hyrtaci consentiret. Facto autem in congregatione magno silentio, aperiens os suum Apostolus dixit: Audite sermonem meum omnes filij Ecclesiæ: audite & intelligite omnia quæ audistis, vt maneant scripta in cordibus vestris. Deus vester nuptias benedixit, & ipse permisit amorem corporibus dominari in sensibus carnis, ad hoc, vt vir diligat vxorem suam, & mulier diligat virum suum, Ecce autem vidimus frequenter euenisse, vt vxor virum suum execretur vsque ad interitum, & venenum, & gladium, & repudium. Similiter & vir suæ coniugi molitur, cùm sit carnis tanta charitas, vt stimulet mentis incensum. Porrò, quid si non esset iste stimulus amoris in carne concessus? Ergo hic stimulus si cum amore DEI vsum suum exhi-

Sermo S. Matthæi de coniugio, & virginum velatarum cœlibatu.

exhibeat, & amore filiorum vir mulierem accipiat, & mulier virum, bonus est, & non est contra præceptum DEI: ita tamen, vt mulier alterum virum penitùs nesciat, similiter & vir omnino alteram fœminam perhorrescat. DEI enim regula si custoditur à coniugibus, à sorde commixtionis eos mundat. Sordes autem sunt corporum, quæ à Deo lauantur per eleemosynas & opera misericordiæ, non crimina, quæ non lauantur, nisi per lachrymss pœnitendo. Coniugium ergo commixtionis pollutionem habet, crimen non habet. Denique diebus certis siue quadragesimæ, siue legitimorum ieiuniorum temporibus, tam ab edacitate carnium, quàm commixtione corporum, qui non abstinuerit, non pollutionem solùm, sed etiam simul crimen incurrit. Neq; verò manducare crimen est, sed incongruè manducare peccatum est, & crimen. Denique si aliquis priùs cibum carnalem accipiat, & posteà ipso die, quo iam cibo naturali refectus est, cibum spiritualem præsumat, ex vtroque cibo reus criminis & inhonesta-

Elegantissima Apostol. disputatio, de malo & bono vsu rerum vel

nestatis & pręsumptionis efficitur, nõ ideo quia manducauit, sed ꝙ cõtra ordinem, & contra iustitiam, & contra regulam Dei, cibo carnali, priùs refectus est. Non ergo reum facit aliqua operatio hominum, sed irrationabilitas eius operis, suum damnat auctorem. Denique & homicidas sæpe vidimus statuas & imagines adorare: homicidam vtique, qui hominem pacis inimicum, aut barbarum, aut latronem occidere, non ibi iam quia hoc homicidium bonum est, erit bonum homicidium hominis innocentis. Frequenter etiam & mendacium, cùm per naturam suam malum sit, bonum fieri videtur ex causa. Nam si te ab inimico tuo volenti te percutere, possis aliqua ratione abscõdere, & ille omninò quò nam deueneris quærat, tum tu non solùm negare, sed etiam periurare consueuisti. Ibi duo quidem mala sunt, mendaciũ & periurium: & vtraque tamen mala, bonum prorumpere probantur in fructum. Deus autem non arctè nostri operis circumscripsit limites, quasi dicas. In iudicio eius timui mentiri, ideo hominem tradidi, aut si dicas,

bonarum vel malarũ.

Cibus spiritualis ante corporalem sumitur.

Timui perdere nummum, ideo damnum immensi ponderis auri incurri. Non ergo sunt aliqua opera sic mala, semper vt per naturam mala sint, sed per intemperantiam nostram. Nam si præsumat sacramentorum mysteria sumere is, qui nondum est cælesti aqua perfusus, rem bonam conuertit in crimen, & inde reatum æternæ pœnæ incurrit, vnde à reatu æternæ pœnæ potuerat liberari. Ita & nuptiarum bona, cùm à Deo benedicantur coniugia, à Deo sanctificentur, ac per Sacerdotum benedictiones à Deo specialiter consecrentur, videntur aliquibus aliquam habere diuinæ indignationis offensam. Hæc dicente Sancto Matthæo, rex Hyrtacus clamosis laudibus cum suis comitibus perstrepebat: existimans eum hæc idcò dicere, vt animum Ephigeniæ ad eius coniugium inclinaret. Sed postquàm diutissimè clamatum est in eius laudem, sermonem Apostolus repetijt, facto silentio, & dixit: Videte filioli & fratres, in quantum noster sermo proruperit, vt etiam homicidium bonum posse fieri probaremus. Cum hic occiditur, qui si non esset ipse se

Vsus Sacramentorum,

Conclusio, an omnes nuptiæ sint bonæ, & ad eas homo ex necessitate alligetur.

lus occisus nocens, multos potuisset occidere innocentes: sicut est occisus Golias, & sicut est occisus Sisara, sicut occisus est Aman, sicut est truncatus Holofernes, & sicut denique sunt occisi cum laude, qui vestris sedibus inimicabantur & regnis: sic ergo & matrimonia dum copulantur, boni operis honestate ornantur, si sanctè, & iustè, & integrè, & inreprehensibiliter copulentur. Nam si hodiè desponsatam regis, seruus regis vsurpare audeat, non solùm offensam, sed etiam crimen tam grande incurrisse dignoscitur, vt meritò viuens tradatur flammarum incendijs: non ideo quidem, quia duxerit vxorem, sed quia sponsam regis sui accepisset. Ita etiam tu ô fili charissime rex Hyrtace, sciens Ephigeniā filiam regis decessoris tui, sponsam regis cælestis esse effectam, & sacro velamine consecratam, quomodo quæso poteris sponsam potentioris te tollere, & tuo eam matrimonio copulare? Ad hunc sermonem Hyrtacus rex, qui per singulas dictiones Apostoli laudator extiterat, ira accensus abscessit. Apostolus verò intrepidus & constans, cò magis

Elegans cōparatio de homicidio.

Dissuadet coniugium.

Hyrta. furor in B. Matt.

etiam alacrior, reliquum sermonem prosecutus est, dicens: Audite me qui timetis Deum. Rex terrenus pauci temporis dominationem habere cognoscitur, Rex autem cælestis æternum imperium tenet. Et sicut inenarrabilia gaudia habere facit eos, qui fidem suam ipsi custodiunt: ita inenarrabilibus tormentis illigat eos, qui à fide eius & sanctitate discedunt. Quòd si timenda est ira regis offensi, multò quidem magis cælestis regis offensa metuenda erit. Nam ira hominis, siue supplicijs, siue ignibus, siue ferro coërceat, in tormenta temporum desinit: ira autem Dei æterna gehennæ peccantibus flammas accendit. Vndè Dominus & magister Iesus Christus præscius futurarum dixit: Apud reges stabitis, qui cùm flagellauerint aut occiderint vos, post hæc non habent quid facere. Et ideo dico vobis, non timueritis eos: illum autē timete, qui postquam occiderit, potestatē habet perdere, & in gehennam mittere. Dico vobis, hunc timete. Tunc Ephigenia prostrauit se coram omni populo ad pedes Apostoli, & dixit: Obsecro te per ipsum, cuius Apostolus es, vt

Verbi Christi virtus.

Ephige. precatio pro impositione manuum.

vt imponas ſuper me & ſuper has virgines, manus, vt per verbũ tuum ſint Domino conſecratæ, vt poſſimus euadere minas illius, qui adhuc viuente patre meo & matre, multa minabatur, & multis minis terrebat nos, multisq; muneribus inuitabat. Si hoc viuentibus illis audebat, quid modò facturum putas, vbi regnum iam in manibus habet? Tum Apoſtolus, confidentiam habens in Dominum ſuum, & nihil penitùs Hyrtacum metuebat: & imponens velamen ſuper caput eius, & ſupra capita omnium virginum quæ cum ea erant, hanc benedictionem dixit: Deus plaſmator corporum, afflator animarum, qui nunquam ſpernis ætatem, non ſexum reprobas, non vllam conditionem gratia tua ducis indignam, ſed omnium æqualis creator es & redemptor: tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis bonus paſtor eligere, atque ad conſeruandam coronam perpetuæ virginitatis, caſtimoniam conſeruare animæ dignatus es. tuæ protectionis ſcuto circumtege: vt quas ad omne opus virtutis & gloriæ, magiſtrante ſapientia præparaſti,

Nota plenã emphaſi precationem pro virginitate cuſtodienda.

& vincentes carnis illecebras, & licita connubia recusantes, insolubilem filij tui Domini nostri IESV Christi copulam mereantur. His, petimus Domine, arma suggeras, non carnalia, sed spiritus virtute potentia, vt te muniente earum sensus & membra, in earum corpore non possit dominari peccatum: atque sub tua gratia viuere cupientibus, nihil sibi defensor malorum, & inimicus bonorum, de his vasis iam tuo nomini consecratis prę-ualeat vindicare. Omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ tuæ cælestis extinguat, lumen verò perpetuæ castitatis accendat. Facies scandalis pudica non pateat, nec incautis occasionem præbeat negligentia delinquendi, sitque in eis cauta virginitas, & ornata pariter, & armata fide integra, spe certa, & charitate sincera: vt præparatis animis ad continentiam virtus tanta præstetur, quæ superet diaboli vniuersa figmenta: atque contemnendo præsentia, futura sectentur, ieiunia epulis carnalibus præferant, & lectiones sacras conuiuijs & potationibus anteponant. Vt orationibus pastæ, & eruditionibus

Arma Christianorum.

Benedictio pro conseruanda virginitate.

bus expletæ, inluminatæ vigilijs, opus gratiæ virginalis exerceant. His virtutum armis, has tuas interiùs exteriusque communiens, præsta inoffensum cursum virginitatis, vt hunc implere, per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, redemptorem animarum nostrarum, valeant: cum quo est Deo patri honor & gloria, in Spiritu sancto, & nunc & semper, & per immortalia sæcula sæculorum. Cumque respondissent, Amen, & mysteria Domini celebrata, & missam suscepisset omnis ecclesia, retinuit se, vt iuxta altare, vbi corpus ab eo fuerat Christi confectum, illic martyrium apostolicum exultaret. Itaque non multò pòst expansis manibus orantem, spiculator missus ab Hyrtaco, à tergo punctim, vnius gladij ictu feriens Apostolum, martyrem Christi effecit. Quo audito, omnis populus ad palatium cum igne pergebat. Cui furenti populo occurrerunt omnes presbyteri, & omnes diaconi ac clerici, simul cum discipulis sancti Apostoli: Nolite fratres (dicebant) contra præceptum Domini agere. Nam & Petrus Apostolus: arrepto gladio, amputauerat Malchi auriculam

Missæ celebratio:

B. Matthæi martyrium

Ab exemplo furor populi sedatur.

riculam, qui Dominum tenebat cum turbis. Et ne videretur læsus, vicem rependere læsionis iussit, ipsam scilicet auriculam amputatam loco suo reponi. Quæ apposita ab Apostolo, solidata mox est. Et dixit Petro tum Dominus: Nunquid, si vellem, non mihi exhiberet pater meus plusquam XII. mille legiones angelorum? Celebremus ergo omnes cum gaudio martyrium Apostoli, & quod Deus ordinare voluerit, expectemus. Intereà Ephigenia, sacratissima virgo Christi, quidquid in auro & argento ac gemmis habere potuerat, hoc totum sacerdotibus contulit, & omni clero, dicens: Postquam dignam Apostolo Christi fabricaueritis ecclesiam, quidquid superfuerit, pauperibus erogabitis: me aũt oportet certamen habere cũ Hyrtaco, Factum est autem post hæc secũdùm verbum Ephigeniæ, vt omnium nobilium vxores miserit rex Hyrtacus ad eam, sperans, ꝙ aliqua ratione posset ad eius consensum peruenire. Quod cùm penitùs non posset, conuocauit magos, vt dæmonum illam ministerio raperent. Qui cùm & ipsi nulla hoc possent consequi ratione,

Ephige. suæ clero largitur.

fecit

fecit circundari ignem prætorio, in quo cum virginibus Christi commanens, Domino suo die noctuq; famulabatur. Sed cùm per circuitum ignis arderet, apparuit angelus Domini, cum Matthęo Apostolo, & dixit: Ephigenia firma esto, & noli expauescere hos ignes. ad illum enim, à quo tibi sunt suppositi, reuertentur. Igitur cũ per gyrum prætorij sanctæ Ephigenię flammæ perstreperent, excitauit Deus ventum validissimum, & mutauit omne illud incendium à domo virginis suæ, & ita consumpsit palatium Hyrtaci, vt non inde potuerit aliquid ex facultatibus liberari. Ipse autē Hyrtacus cũ suo filio vnico vix euasit: sed meliùs fuerat, incendio interijsse. Cæterùm filium eius vehementissimus mox dæmon impleuit, qui illũ cursu rapidissimo ad Apostoli Matthæi sepulchrũ adducẽs, à tergo manibus ab ipso diabolo colligatis, cõfiteri eũ paterna crimina cõpellebat. Ipsum autē Hyrtacũ elephantiæ vulnera, à capite vsq; ad vltima pedum vestigia ligauerũt. Quod cũ medici curare nõpossent ipse in se gladiũ ponens, illi incubuit, digno supplicio, vt q; à tergo apostolũ

Angelus confortat Ephigeniã.

Vltio diuina.

Prodigiosa mors Regis.

domini percusserat, ipse à recto seipsum stomacho perforaret. Quo facto omnis populus insultans morti eius, apprehenderunt cum omni exercitu fratrem Ephigeniæ, nomine Beor, qui per Ephigeniam germanam suam, de manu Matthæi fuerat gratiam domini consecutus. Is itaque anno ætatis suæ xxv. regnare in Aethiopia cœpit, & regnauit per annos lxiij. Facti sunt autem omnes dies annorum vitæ eius, octogintaocto. Et se viuente, constituit vnum ex filijs suis ducem omnis exercitus, alterum verò regem, & vidit filios filiorum suorum, vsque in quartam generationem: & habuit pacem firmissimam cum Romanis & Persis. Omnes quoque Prouinciæ Aethiopum ecclesijs repletæ sunt Catholicis, vsque in hodiernum diem, per Ephigeniam. Et fiunt ibi mirabilia magna, ad confessionem beati Apostoli: qui primus Hebræo sermone cõscripsit Euangelium Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat &cæt.

Beor Ephigeniæ germanus succedit in Regnum.

Religio Christiana viget in Aethiopia.

(.·.)

LIBER

LIBER OCTAVVS CERtaminis Apostolici, ab Abdia Babyloniæ Episcopo & Apostolorum discipulo, lingua Hæbraica scripti, & à Iulio Africano versi, De rebus per Indiam à beato Bartholomæo gestis.

INdiæ tres esse ab historiographis asseruntur. Prima est India, quæ ad Aethiopiam vergit: secunda, quæ ad Medos: tertia, quę finem facit. Nã ex vno latere tenebrarũ regionem gerit, ex alio latere mare Oceanum. In Indiã ergo veniens Bartholomæus Apostolus, ingressus est tẽplum Indiæ, in quo erat idolum Astaroth, & quasi peregrinus, ibidem manere cœpit. In hoc idolo dæmon talis erat, qui diceret, se curare languẽtes, & cęcos quos ipse lædebat, inluminare. Erant enim sine Deo vero homines illi, & necesse erat vt à Deo falso ludificarentur. Deus autem falsus hac arte illud eos, qui verum Deum non habent. Facit eis dolores, infirmitates, damna, pericula: & dat responsa, vt sacrificẽt sibi:

Triplex India.

B. Bartholomæo forte Regio contigit.

Gẽs idololatriæ dedita.

& cùm immissa remouet, tanquam ab eo sanentur, omnes existimāt. Hoc quippe videtur stultis, quòd sanet. Ille aūt non sanando subuenit, hoc est, à læsione cessando. Ita cùm desinit lædere curasse putatur. Vnde factum est, vt sancto Bartholomæo isthic manente, nulla posset responsa Astaroth dare, neque vllis ex his quos læserat subuenire, Cumque iam plenum esset languentibus templum, & quotidie sacrificantibus nullum daret Astaroth responsum, hi qui ex longinquis regionibus adducti iacebant cū neque sacrificando, neque seipsos more suo laniando proficerent, perrexerunt in aliam ciuitatem, vbi aliud dæmonium colebatur, cui nomen erat Beireth, Et illic sacrificantes, cœperūt inquirere, quare Deus eorū Astaroth ampliùs non daret respōsa. Quibus respondens Beireth, dixit: Quia Deus vester sic captiuus & religatus tenetur, vt neque suspirare, neq; loqui audeat, ex illa hora, qua illic Bartholomæus ingressus est. Et dicunt illi: Et quis est iste Bartholomæus? Respondit dæmon: Amicus Dei est omnipotentis, & ideo huc venit in istam pro-

Lædit dæmō cum sanasse putatur.

Interrogatio sacerdotum.

prouinciam, vt numina quæ colunt Indi euacuet. Tum illi: Dic nobis signa eius, vt possimus inuenire eum: quia inter multa millia hominū difficile est nobis cognoscere illum. Respondens autem dæmon, dixit: capillo nigro capitis est, & crispo. Caro illius candida, oculi grandes, nares æquales & directæ, aures coopertæ crine capitis: barba prolixa habens paucos canos: statura æqualis, quæ nec breuis, nec longa possit aduerti. Vestitus colore albo clauato purpura. Induitur pallio albo, habente per singulos angulos singulas gemmas purpureas. Viginti sex anni sunt, ex quo nunquā sordidantur vestimenta eius. Similiter & sandalia eius amentis latis per xxv. annos nunquam veterascunt. Centies flexis genibus per diē, centies per noctem orat Deum. Vox eius quasi tuba vehemens est. Ambulant cum eo angeli Dei, qui non permittit eum fatigari, non esurire. Semper eodem vultu, eodem animo perseuerat: omni hora hilaris & lætus pmanet omnia prēuidet omnia nouit, omnē linguā omniū gētiū & loquitur & intelligit. Ecce & hoc quod vos inter-

Descriptio simmetrica corporis B. Barth.

Vestimentorum duratio.

Orationis perseuerātia

Quod viuit, viuit Deo B. Bartho.

interrogatis,& quod ego do responsum de eo, iam nouit, Angeli Dei famulantur illi,& ipsi nunciant omnia. Et cùm cœperitis eũ quærere, si vult, ostẽdet se vobis: si non vult, non poteritis eum videre. Rogo aũt vos, vt dũ eũ inueneritis, rogetis eum, vt vel huc nõ veniat: vel hoc faciãt mihi angeli qui cũ eo sunt, quod fecerunt collegæ meo Astaroth. Igitur reuertentes illi, cœperũt circumire omniũ peregrinorũ hospitales, atque aspicere vultus & habitum singulorum, & per duos dies non inuenerunt. Factum est aũt, vt quidam plenus dæmonio clamaret, & diceret: Apostole Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ. Tum Apostolus: Obmutesce (inquit) & exi ab eo. Et statim liberatus est homo ille, qui per multos ãnos fuerat fatigatus dæmonio. Polymius autem rex prouinciæ illius, cùm haberet filiam lunaticam, nunciatum est ei de casu dæmoniosi, & liberatione, & misit qui rogarent eũ, dicentes: Filia mea malè vexatur, peto vt sicut libraſti Pseustium, qui per multos annos passus est, ita & filiam meam sanes. Et surgens Apostolus, perrexit ad regem. Ingressusq; ad

Homo liberatur à dæmone.

Polymij regis ad Apostolum deprecatio.

ad filiam, vt vidit eam catenis strictã, propterea quod omnes morsu attrectabat, & quos poterat tenere scindebat & cædebat, adeò vt nullus auderet ad eam accedere, primùm iussit eam solui. Et cùm ministri manum immittere non auderent, dicit Apostolus: Iam ego teneo vinctum inimicum, qui in ipsa erat, & vos adhuc timetis eam? Ite & soluite eam, eleuate & reficite, & crastino mane adducite eam ad me. Euntes autem, fecerunt sicut iussit Apostolus, nec dæmon deinceps vexauit eam quidquam. Quod vbi intellexit rex, onerauit Camelos auro & argento, gemmis ac vestibus. & cœpit quærere Apostolum: sed nõ inuenit eum ampliùs. Et reportata sunt omnia iterum ad palatium regis. Factum est autem, cum trãsisset nox, & aurora futuri diei inciperet, apparuit regi Apostolus, ostio clauso, in cubiculo ipsius, dicens: Vt quid me quæsisti tota die, cum auro & argento, gemmis ac vestibus? Ista enim munera eis sunt necessaria, qui terrena quærunt. Ego verò nihil terrenum, nihil carnale desidero. Vnde scire te volo, quia filius Dei dignatus est per vterum

Regis filia curatur.

Respuit munera Apostolus.

vterum virginis nasci cum homine, ita vt homo in virginis vulua conceptus, secum inter ipsa secreta virginis haberet Deum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Hic simul cum homine natus, partu virginis cœpit habere initium nascendi cum homine, cuius initium ante sæcula à Deo patre est. Sine initio nũquam non fuit, & omnibus initium dedit siue visibilibus, siue inuisibilibus creaturis. Hæc autem virgo cùm execraretur omnem virũ, & ipsa seruandæ virginitatis votum prima Deo omnipotenti vouit. Primam autem ideo dixit, quia ex quo homo factus est ab initio sæculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter fœminas hoc constituit in corde suo, vt diceret: Domine offero tibi virginitatem meam: cùm hoc à nullo homine nec verbo didicisset, nec exemplo, ad imitationem videlicet inuitata, constituisset, vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Huic subitò in suo cubiculo clausæ, splendens, sicut sol, Gabriel angelus apparuit. * Quæ cùm terrore perculsa, hoc visu expauisset, ait ad illam angelus: Noli

Nouum virginis propositum.

Elegans & firma ad fidem Christi persuasio.

Noli timere Maria, quia concipies. At illa timore deposito, constãter ait, Quomodo fiet hoc? quia virum non cognosco. Cui angelus respondit. Propter hoc spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod ex te nascetur sanctum, filius Dei vocabitur. Hic ergo cùm natus esset, passus est se tentari à diabolo, illo, qui primum hominem vicerat suadendo, vt de arbore vetita à Deo manducare præsumeret. Ipsum ergo permisit ad se accedere: vt sicut dixerat Adæ, id est, primo homini, per mulierem, Manduca, & manducauit: qua de causa de paradiso proiectus fuit, & in hunc mundũ exiliatus, vbi & genuit omne genus humanũ. Ita & isti dixit: Dic lapidibus vt panes fiant, & manduca, vt non esurias. Cui respondit: Non in pane tantùm viuit homo, sed in omni verbo Dei. Hic ergo diabolus, quia per manducantem hominẽ vicerat, victoriã suã per ieiunantem & se continentẽ amisit. Par enim fuit, vt qui filium virginis vicerat, à filio virginis vinceretur. Tunc rex ei Polymius: Et quomodo (inquit) dixisti primam hanc esse

Rex docibilis.

esse virginem, ex qua natus est homo cum Deo? Apostolus respondit: Ago Deo gratias, quia solicitè audis. Primus, inquam, homo Adam dictus est, qui de terra factus est. Terra autem illa, de qua factus est, virgo fuit: quia nec sanguine humano polluta fuerat, nec ad sepulturam alicuius mortui à quoquam erat aperta. Parergo erat, vt dixi, vt qui filium virginis vicerat, à filio virginis vinceretur. Et ideo, sicut qui victor extiterit tyranni, mittit comites suos, vt in omnibus locis, vbi tyrannus possidet, titulos regis sui victoris triumphatorios imponant: ita hic homo Christus Iesus, qui vicit, misit nos in omnes prouincias, vt expellamus ministros diaboli, qui per templa instantius habitant, & hoīes qui eos colunt, de potestate eius qui victus est, auferamus. Ideoq; argentū & aurū nō accipimus, sed cōtēnimus, sicut ipse cōtēpsit. Ibi enim cupimus esse diuites, vbi solum eius regnat imperiū: vbi nec languor, nec morb. nec tristitia, nec mors, locū aliquem habēt. Sed vbi fœlicitas perpetua & beatitudo perēnis est, & gaudium sine fine, & vbi denique deliciæ sempi-

Vrget ab exemplo.

ſempiternę manēt. Inde eſt quòd templum veſtrum ingreſſus, dæmonem, qui de idolo dabat reſponſa ab angeliseius, qui me miſit religatum obtineo. Quocirca ſi baptizatus fueris, & permiſeris te inluminari, faciam te videre & cognoſcere, quanto malo careas. Nam omnes illi, qui iacent in templo ægrotantes, audi qua arte curet eos dæmon, fallacijs inludens: ſicut diabolus, qui primum hominem vicit, vt ſæpe iam dixi, quia per ipſam victoriam peſſimam poteſtatem habere videtur. Et in alijs quidem maiorem, in alijs verò minorem, in his ſcilicet, qui minùs peccant. Ipſe quippe diabolus facit arte ſua hoīes ægrotare, & ſuadet eos credere idolis. Et vt in animabus eorum poteſtatē obtineat, ceſſat eos tunc lædere, cùm dixerint lapidi, aut metallo: Tu es Deus meus. Sed quia dæmō qui in ſtatua latebat, iam à me vinctus tenetur, ſacrificātibus & ſe adorantibus nullū poteſt dare reſpōſum. Sed ſi vis probare ita eſſe iubebo illi vt ingrediatur ſtatuā ſuam, & faciam eum confiteri hoc ipſum, quòd ſit religatus, & reſpōſa ampliùs dare non poſſit. Dicit ei rex: Cras prima

Ars ſeducto ris diaboli.

ma hora parati erunt Pontifices sacrificare illis, & ego illi ibi mox superueniam, vt videam hoc factũ mirabile. Factum est altera die, prima hora diei, sacrificantibus cœpit clamare dæmon: Cessate miseri sacrificare mihi, ne peiora patiamini, quàm ego, qui catenis igneis religatus sum ab Angelis Iesu Christi, quem Iudæi crucifixerunt, putãtes eum in morte posse detineri: Ille autem ipsam mortem, quæ regina nostra est, captiuauit, & ipsum principem nostrum, maritum mortis, vinculis ignitis vinxit: & tertia die victor mortis & diaboli resurrexit, & dedit signum crucis suæ apostolis suis, quos misit in vniuersas orbis partes, ex quibus & hic vnus est, qui me vinctum tenet. Peto autem vos, vt rogetis eum pro me, vt dimittat me ire ad alteram prouinciam. Quæ vbi audiuisset Bartholomæus? Confitere (inquit) immundissime, istos omnes qui hic ægrotationes varias patiuntur, quis est, qui eos læsit: Respondit dæmon: Princeps noster diabolus sic quomodo ligatus est, ipse nos mittit ad homines vt lædamus, primò quidem carnem eorum: quo-

Istorum ægrotantium author diabolus.

quoniam animas hominum non possumus habere in potestate, nisi sacrificauerint. At vbi pro salute corporis sui nobis sacrificauerint, cessamus affligere illos ex eo, quia iam in animas eorum potestatem habere incipimus. Iam ergo per hoc, quod ab eorum læsione cessamus, videmur curare eos, & tanquam dij colimur: cùm pro certo simus dæmones, ministri eius quem in cruce positus Iesus virginis filius religauit. Ab illo autem die, qua Apostolus eius huc venit Bartholomæus, ardentibus catenis structus consumor: & ideo loquor, quia hæc ille iussit. alioquin non ausus fuissem loqui eo præsente, atque adeò ne ipse princeps quidem noster. Tum Apostolus conuersus ad dæmonem: Quare non saluas, inquit, hos omnes qui ad te conuenerunt? Respondit dæmon: Nos quando corpora lædimus, nisi animam læserimus, corpora sine læsione perdurant. Tunc conuersus apostolus ad plebem: Ecce quem Deum colebatis, ecce quem vos curare putabatis. Audite nunc ex me verũ Deũ, creatorem vestrũ, qui in cælis habitat. Nõ lapidibus

Increpatur malus spiritus.

pidibus vanis credatis. Sed si vulti vt orem pro vobis, & omnes hi sanitatem recipiāt, deponite idolum hoc, & confringite. Et cùm hoc feceritis, templum hoc Christi nomini dedicabo, & vos omnes in isto templo Christi baptismate consecrabo. Tunc iussu regis omnes populi miserunt funes & trochleas, & simulachrum non poterant euertere. Apostolus autem dixit eis: Soluite vincula illius, cumque exoluissent omnia vincula, dixit ad dæmonē, qui in eo erat: Si vis vt nō te faciam in abyssum mitti, exi de isto simulachro, & confringe illud, & vade in deserta, vbi nec auis volat, nec arator arat, nec vnquā vox hominis resonauit. At ille statim egrediens, comminuit omnia genera idolorum. Nec solùm maius idolum, sed vbicunque pro ornatu templi sigilla erant posita minutauit, ita vt picturam omnem deleuerit. Tunc omnes vna voce clamare cœperunt: Vnus Deus omnipotens, quem prædicat Apostolus eius Bartholomæus. Quibus factis, expandens manus suas Apostolus ad cælū, dixit: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, qui ad redemptionē nostram

Fugatur diabolus verbo.

Voce testantur verum Deum.

ſtram vnigenitum tuum filium, Deũ noſtrum & Dominum direxiſti, vt nos omnes qui eramus ſerui peccati, ſuo ſanguine redimeret & tibi filios faceret. Qui verus Deus ex hoc cognoſceris, quia ſemper idem es, & immutabilis perſeueras: vnus Deus pater ingenitus, & vnus filius eius vnigenitus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & vnus Spiritus ſanctus, inluminator & ductor noſtrarum animarũ, qui dedit nobis poteſtatem, vt infirmos ſaluaremus, cæcos inluminaremus, læproſos mundaremus, paralyticos abſolueremus, dæmones fugaremus, & ſuſcitaremus mortuos. Et dixit nobis: Amen dico vobis, quęcunque in nomine meo petieritis à patre meo, dabit vobis. Peto ergo in eius nomine, vt omnis hæc multitudo ſaluetur: vt cognoſcant omnes, quia tu es Deus vnus in cælo & in terra & mari, qui ſalutẽ recuperas per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quẽ eſt tibi Domino patri honor & gloria, cum Spiritu ſancto, per immortalia ſæcula ſæculorum. Cumq; oẽs reſpondiſſent, Amẽ: apparuit angelus Domini ſplendidus ſicuti ſol,

Via cognoſcẽdi verum Deum.

habens alas, & per quatuor angulos templi circũuolans, digito suo in quadratis saxis sculpsit signum crucis, & dixit: hæc dicit Dominus, q̃ misit me: Sicut omnes vos ab infirmitate vestra mundamini, ita mundaui templum hoc ab omni sorde, & habitatore eius, quem iussit Apostolus Dei ire in locum desertum ab hominibus: Preterea me iussit Dominus, quem videntes nolite expauescere, vt prius ostendam vobis, vt quale signum ego sculpsi in his saxis, tale vos digito vestro facite in frontibus vestris, & omnia mala fugient à vobis. His factis ostendit eis Angelus Domini ingentem Aegyptium, nigriorem fuligine, faciem acutam habentem cũ barba prolixa, & crines vsq; ad pedes, oculos igneos sicuti ferrum ignitum, scintillas emicantes ex ore eius, & ex naribus egrediebatur flamma sulphurea. Habebat & alas spineas sicuti histrix, eratq; vinctus a tergo manibus, igneis cathenis strictus. Et dixit ei Angelus Domini: Quoniam audisti vocem Apostoli, & omnia pollutionum genera de isto templo mundasti, secundum promissum Apostoli soluam te

Templi dedicatio mirabilis.

Eijcitur dæmon ab angelis Dei.

vt vadas vbi nulla conuersatio homī-
num est, vel esse potest, & ibi sis vsque
ad diē iudicij. Et cùm exoluisset eum
vlulatum teterrimum diræ vocis e-
mittens, euolauit, & nusquā cōparuit:
Euolauit & Angelus Dñi, videntibus
cunctis ad cælū. Tunc rex vna cum v-
xore sua, & duobus filijs, & cum omni
exercitu suo, & cum omni populo qui
saluatus erat, & vicinarum vrbiū, quæ
ad eius regnum pertinebāt incolis cre
dens, baptizatus est, & deposito dia-
demate capitis, & purpura, cœpit A-
postolum non deserere. Interea colli-
gentes se vniuersorum tēplorum Pon-
tifices, abiecerunt ad Astyages regem,
fratrem eius maiorē, & dixerunt: Fra-
ter tuus discipulus factus est magi ho-
minis, qui tēpla nostra sibi vendicat,
& Deos nostros confringit. Cumque
hæc flentes referrent, rex Astyages in
dignatus, misit mille viros armatos
cum Pontificibus, vt vbi inuentus esset
Apostolus, vinctū illum perducerent
ad eum. Quod cùm fecissent, dixit ad
eum Astyages: Tu ne es qui euertisti
fratrem meum? Cui Apostolus: Ego
non euerti eum (inquit) sed conuer-
ti. Dixit iterū rex: Tu es qui Deos noe

Baptizatur populus.

Astyages frater Regis.

Durè Astyages contra Apostolum loquitur.

stros fecisti cōminui? Respondit Apostolus: Ego dedi potestatem dæmonibus, qui in eis erant, vt ipsi conquassarent idola vana, in quibus degebant, vt omnes homines relicto errore crederent omnipotenti Deo, qui in cælis habitat. Dicit ei rex: Sicut tu fecisti, fratrem meum, vt relinqueret Deū suum & Deum tuum crederet: ita faciam te relinquere Deum tuum, & Deo meo credere, & ipsi sacrificare. Dicit ei Apostolus: Ego Deum quem colebat frater tuus, religatum & vinctum ostendi, & ipsum feci, vt frangeret simulachrum suum. Si potueris hoc facere Deo meo, tunc me ad sacrificandum impelles. Si autem tu nihil DEO meo facere potes, ego omnes Deos tuos comminuam, & tu credes Deo meo. Hæc cùm diceret, nunciatum est regi, quòd Deus eius Vualdath cecidisset, & minutim dissiluisset. Qua re indignatus rex scidit purpuream vestem, qua indutus erat, & fecit exinde fustibus cædi beatum Bartholomæum. Cæsum autem iussit decollari. Intereà qui hæc audierant, venerunt duodecim ciuitatum populi, qui per illum crediderant, vna cum

Cæditur B. Barthol.

cum rege Polymio: & abstulerũt cum hymnis, & cum omni gloria corpus eius. Factum est autem tricesimo die depositionis eius, arreptus dæmonio rex Astyages, venit ad templum eius, & omnes Pontifices pleni dæmonibus passi sunt, & confitentes Apostolatum eius, ibidem mortui sunt: & factus est timor & tremor super omnes incredulos. Et crediderunt vniuersi, atque baptizati sunt à presbyteris, quos ordinauerat Apostolus Bartholemæus. Factum est denique per reuelationem, vniuerso populo acclamante, vt ab Apostolo ordinaretur Episcopus ipse rex Polymius, qui cœpit ab eo tempore in nomine Apostoli signa multa facere, fuitque in Episcopatu annis viginti: & demum perfectis omnibus, ac bene compositis ac stabilitis, migrauit ad Dominum, cui honor & gloria sit in sæcula sæculorum. Amen.

Martyrium Apostoli.

Astyagis mors & Pontificium.

Polymius Episcopus ordinatur.

In nomine Apostoli per Deum signa facit.

LIBER NONVS APOstolici certaminis, ab Abdia Babyloniæ Episcopo in lingua Hæbraica conscripti, & à Iulio Africano versi, de rebus Beati Thomæ Apostoli per Indiam gestis.

B Thomæ ad Apost. coeptatio

BEatum Thomã cũ reliqs discipulis, ad officiũ Apostolatus electum, ipsumq; à Dño Dydimũ, q̃ interpretatur geminus, vocatũ, fides Euangelica narrat. Qui licet resurgente Dño, diffidere sit visus, eò q̃ cũ discipulis suis, Qui Christũ se vidisse affirmabant, eis se habiturũ ante fidẽ negarit, q̃ manus suas in vulnera & plagarum vestigia imposuisset, tamen reprehensus mox à magistro, qui apparuerat illi, & confirmatus in fide, acceptoq; Spiritus Sancti dono, Thadæum, vnum ex septuaginta discipulis, ad Abgarum regem Edessenæ ciuitatis transmisit, vt eum ab infirmitate curaret, iuxta verbũ quod ei à Domino scriptum erat. Quod Thadæus ambienter impleuit, ita vt veniens, im-

Cur dictus est Dydimus.

Thadæi ad Abgarum regem legatio. Vide Euseb lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. vl.

Indiam sortitus est B. Thomas.

impoſito regi crucis ſignaculo, ab omni eum languore curaret. Dum hæc fierent, Thomas interea morabatur in Hieruſalem. vbi diuina commonitione iuſſus eſt Indiam ingredi, vt ſcilicet populo, qui iacebat in tenebris, lumen oſtenderet veritatis. Porrò legiſſe me memini, quēdam librum, in quo iter eius in Indiam & res ibi geſtę explanantur: qui quòd ab aliquibus ob verboſitatē non recipitur, ſuperuacaneis omiſſis, ea memorabo quæ fide certa conſtant, ac legentibus grata ſint, & Eccleſiam roborare poſſunt. Igitur cùm ſæpe à Dño commoneretur, vt diximus, Beatus Thomas, vt partes citerioris Indiæ ingrederetur: & ille quaſi Ionas, à facie Domini fugiens ire differret, nec impleret, quæ ſibi diuinitùs præcipiebantur, apparuit ei Dominus in viſu noctis dicens: Ne timeas Thoma deſcendere in Indiam: ego enim vado tecū, & non derelinquā te, ſed glorificabo te iſthic, implebisq; certamen bonū, confeſſus me corā hominib. terræ illius: & exinde aſſumam te cum gloria, & ſtatuam te cum fratribus tuis in regno meo. Nam ſcito, quia oportet te ibi

Hiſtoria geſtorum Apoſtoli vnae ſumpta ſit.

Aegrè peregrinationem ſuſcepit.

Chriſtus addit animum timido.

multa pati ptopter me, vt cognoſcant omnes te docente, quia ego ſum Dominus. Hæc cùm audiſſet beatus Apoſtolus, dixit: Quæſo Domine, ne dirigas illuc ſeruum tuum. Regio enim illa longinqua & grauis eſt, & incolę ſunt loci illius iniqui, & ignorantes veritatem. Accidit autem, vt his diebus Hieroſolymis eſſet negociator quidā Indus, Abban nomine, vt per Syriam peritum quendam in Architectura compararet. à Gundafero rege miſſus. Huic per diem Dominus in ſpecie humana apparens, ait: Quid hic tu ô homo, de tanto terræ ſpacio aduenisti? Et ille: A Domino (inquit) meo, Rege Indiæ, miſſus ſum, requirens artificem ſtructorem, qui ei palatia poſsit ædificare: Cui Dominus ait: Eſt mihi ſeruus talis, quem ſi volueris, comparabis. Et ſtatim adduxit negociatorem ad hoſpitium Thomæ, & oſtendens eum inquit: Hic eſt ſeruus meus artifex, de quo locutus ſum. Nunc autem de precio cum eo conuenite. Quòd cùm acceperit, duc eum quo volueris. Quod cùm negotiator feciſſet, apprehenſum Sanctum Thomam deduxit ad nauem ſuam.

Abban Indus. Apparitio Domini.

Ductus B. Thomas ad Indos architecti nomine.

Et

Et aſcendentes, menſe tertio in Indiam citeriorem euecti ſunt: obſtupuitque nogociator cauſam velocitatis, eò quòd iter illud, quod alias trium annorum ſpacio vix expediebatur, nunc in tribus menſibus eſſet impletum, Exeuntes autem de naui, ingreſsi ſunt primam Indiæ ciuitatem, & audiebant ſonos muſicos, & vrbem totam lætitia magna plaudere, interrogantesque vnum de populo, quid hoc eſſet? dictum eſt illis: Rex (inquit) noſter vnicam filiam hodie copulat matrimonio, ideo gaudium eſt huic ciuitati: & te, vt credo, dij exhibuere, vt his æpulis intereſſes. Hæc illis colloquentibus, ſubitò totam ciuitatem vox præconia replet, dicens: Audite habitatores omnes, diuites mediocresque, peregrini & pauperes: accedite ad palatium regis, & epulemini, gaudete & eſtote iucundi. Si quis vero ab hac ſe communi lætitia ſubtraxerit, reum ſe nouerit Maieſtatis. Hæc cùm audijſſet negociator, ait Thomæ Apoſtolo; Eamus & nos, ne culpabiles inueniamur coram rege. Tunc ingreſsi palatium, iuſsi ſunt diſcumbere thoro. Thomas autem Apoſtolus diſcubuit

Celeritas miraculorũ.

Filia Regis nuptui tradituſ.

cubuit in medio, intẽdentibus omnibus in eũ, & scientibus, quòd peregrinus esset. Aderat verò his nuptijs & puella ex Hebræis, cõcinens psalmos: quæ cùm audisset beatum Thomam, orantem & benedicentem Deum, intellexit de sua esse regione, & intendebat in eum iugiter, nec desistebat ab admiratione vultus eius. Sed & ille intelligens Hebræam esse, libentissimè aspiciebat eam. Hæc videns pincerna conuiuij, zelo ductus dedit alapam Apostolo, dicens: Vt quid tu sic intendis in mulierem? At ille eleuatis in cælum manibus, ait: Indulgeat tibi Dominus in futuro iudicio, fili. In hoc verò sæculo, protinùs representet dextræ illi, quæ me verberauit iniustè. Erat autem iam imminens nox, epulantibusq; illis subitò defecit aqua ministerijs nuptialib. Quare euntibus multis ad hauriendum, & tardantibus, ipse quoque pincerna cucurrit. Et accedente eo ad fontem, adfuit leo magnus qui adprehensum puerũ confregit, & in frusta discerpsit. Cui? dexterã adphensam, canis q aderat detulit ad domum, & portabat per conuiuia epulantium. Requirentibus autẽ illis

Amor patriæ animorum vinculum.

Nota mirabilem historiam. Cæditur Apostol.

Vltio diuina.

illis, quis deesset ex famulis: cognoscunt pincernam interemptum esse ad fontem, atque eius dextram, cùm leo reliquum corpus deuorasset, à cane fuisse correptam, cōuiuioque delatam Hæc audiens puella Hebræa, confractis calamis procidit ad pedes Apostoli, clamans voce magna & dicēs: Verè hic est seruus DEI viui, quia omnia quæ locutus est, velociter sunt impleta. Cùm verò & hæc audisset Rex, prostratus est & ipse ante pedes eius, dicens: Rogo vir Dei, vt Depreceris Deum tuum pro vnica filia mea, quā hodie viro tradidi: ac peto vt eas illuc, atque benedicas puerum scilicet & puellam. Illo verò recusante, rex vi compulit Apostolum, ad thalamum vsque procedere. Tunc beatus Apostolus, expansis manibus orauit super eos, dicens: Deprecor Domine, vt effundas benedictionem tuā super hos adolescentes, & inspirare digneris cordi eorum, quæ eos agere oporteat. Atque ita cōsummata oratione egressus est ostium, omnibusque foras egredientibus, puer reuertebatur ad thalamum. Et ecce apparuit ei Dominus in similitudine Thomæ

Reuelatione Hebrææ cognoscitur Apostolus seruus Dei. Regis subita mutatio & oratio ad Apost.

Apostoli, sedens super lectum eius. Puer verò timens ait ad eum: Nonne tu modò egressus es? Et quomodò huc iterum es ingressus? Cui ille: Non sum (inquit) ego Thomas, sed frater eius: Ipse enim vos mihi commendauit, vt custodiam vos ab omni malo. Et ideo audite consilium meum. Relinquite omnem solicitudinem sæculi, & credite in DEVM viuum, quem prædicat frater meus Thomas. Estote castè viuentes, & proijcite à vobis omnem curam huius vitæ mortalis, vt effecti per sanctitatem mentis & corporis templum DEI, illam vitam perpetuam, quæ nullo fine clauditur, adquiratis. Et hæc dicens ac benedicens eis, recessit à cubiculo. Mane autem facto, veniens rex visitare eos, inuenit puerum sedentem, & puellam iuxta eum, nihil habentē verecundiæ, vt ordo exigit nuptialis, & ait ad eos rex: Quæ vos causa ita sedere facit? Cui puer: Gratias agimus Domino nostro Iesu Christo, qui nos ad suam notitiam vocare dignatus est, vt relictis libris sequamur lumen veritatis eius. Sed & puellæ ait rex: Cur tu nihil verecundię ferēs

A coniugio ad Castitatis perpetuæ statum.

ob

ob honorem nuptiarum, impudenter oculos erigis? Et illa: Hæc (inquit) nuptiæ transitoriæ sunt: at ego desponsata sum à rege cælorum, cuius thalamus immensis monilibus splēdet, cuius nuptiæ castæ sunt, ad cuius mensam æpulæ non deficiunt, in cuius domo lætitia perennis, iucunditas sempiterna, & gaudia perpetua perseuerant: cuius vultus est omnibus in eum credentibus desiderabilis, de cuius vestimentis diuersorum aromatum suauitates efflagrant: in cuius hortis lilia perenniter nitent, rosæ rubent, violæ & croci perpetua florum viriditate rubescunt. Hæc illa dicente, rex scidit vestimenta sua, dicens: Perquire magum illum, quem ego sponte introduxi in domum meam, vt amitterem filios meos. Ecce enim maleficiati ab eo, Christianos se nunc dicunt. Igitur indignatus misit ministros, qui requirerent Apostolum. Sed non inuenerunt eum, iam enim cum negociatore ad vlteriores Indiæ partes processerat. Adolescentes autem prædicabant ab eo tempore verbum Domini iugiter, vt ita omnis populus per eos conuertere-

Signum veterum furoris indicium.

Regis populique ad Christum conuersio.

tur ad Dominum. Sed & ipse rex, qui erat pater puellæ, compunctus corde, credidit in Dominum Iesum Christum. Et audiens beatum Apostolum in vlteriori India commorari, abijt cum omnibus qui crediderant, & peruenit ad eum, procidensque ad pedes eius, rogauit vt eos omnes baptismatis gratia consecraret. Hæc audiens Apostolus, gauisus est, & gratias egit Domino: transactoque septem dierum ieiunio, baptizauit eos in nomine Trinitatis. Ipse quoque rex rogauit sibi caput tondi, & diaconus ordinatus est & adhærebat incessanter Apostolicæ doctrinæ.

Baptizantur omnes cum gratiarum actione.

Intereà dum hæc fiunt, negociator accessit ad regem, & nunciauit ei inuenisse se virum qualem ei præceperat: Quem rex, repletus gaudio, iussit adduci in conspectum suum, & ait: Quod est opus tuum, vel quod artificium nosti? Seruus sum (ait Apostolus) artificis architecti. In lignis autem & cæmento valde cognitus sum, & in omnibus quæ iustè præcipiũtur. Tum rex: Talem dudum requirebam, qui hæc artificia nosset. Et egressus è ciuitate, ostendit ei locum, & ait: Si

Legationis Apostol ad regem Indiæ expositio.

verus

verus es artifex, in huius loci planicie palatium mihi construes. Quod vbi feceris, probabo quòd in cæteris operibus sis perfectus. Cui ait Apostolus: Oportunus est locus, in quo palatium ædificetur, quod in perpetuum Rex debeat inhabitare: quia planitie extensus, tũ aqua iucundus, & aëre salubris habetur. tum data mensura ædificij, relictoque multo pondere auri, profectus est Rex in aliam ciuitatẽ, deprecans Apostolum, vt velociter ædificaret domum illam. Beatus verò Thomas accepta pecunia, pergebat in circuitu ciuitates obambulans, & Euangelizans verbum Dei, aurum regium indigentibus distruebat, sanabatque omnes infirmitates populi per regionem illam. Paulò pòst cùm aliquot dies transissent, misit pueros ad Apostolum, qui opus ædificij contemplarentur, & si quo adhuc indigeret. Qui cùm ad Apostolum venissent, & quæ iussi fuerant à Rege expediuissent, respondit Apostolus: Palatium, quod fieri Rex præcepit, iam ædificatum est, ad cuius tectũ aliqua adhuc necessaria sunt, quæ Rex transmittat. Hæc vt ab Apostolo audi-

Allegorico sensu prudẽter incantat Regem Apost.

In pauperes pecuniæ Regis destributæ ab Apostol.

audiuerant, nunciauerunt pueri regi, & misit rex iterato pecuniam Thomæ, deprecans, vt velociter ædificium cooperiretur. Denique post multum temporis, existimans rex opus completum esse, venit ad ciuitatem illam: & interrogans amicos suos, cupiebat videre palatium, quod Thomas ædificauerat, At illi dixerunt, nihil ædificij noui in hac vrbe operatus est: sed vadit per populos, erogans aurum tuum, nouumq; Deum patriæ, qui nunquam auditus est, prędicat, & post hāc vitam nescio quam æternam promittit, asserens homines in perpetuo viuere, qui crediderint in nomine Dei sui: dæmonia eijcit, sanat infirmos, mortuos suscitat, & nihil mercedis accipit. Vnde manifestum est, magum illum esse, & seductiones vanissimas exercere.

Palatium spirituale ab eodem extructum.

Quæ cùm audisset rex, indignatus iussit eum adduci, & ait: Ostende ædificium quod operatus es, alioquin morieris. At ille: Aedificium (inquit) quod præcepisti fieri rex, iam expletum est, Sed nunc non videbis illud: videbis autem in sæculo futuro, & habitabis in eo fœliciter. Tum Rex fu-

rore

rore succensus: Ad inludendum (inquit) nobis, vt audio, huc venisti, & statim iussit eum mitti in carcerem, cum Abban negotiatore. Audiens autem hæc frater regis, quòd scilicet vastata fuisset pecunia publica, & nihil appareret ex ea, indignatus, & damno condolens fraterno, febre accensus, conuertit caput in lectulum, & vocans regem, ait: Ecce dies obitus mei aduenerunt, & nunc commendans domum meam tibi, noueris me spiritum exhalare. Sed rogo, vt magum illum, cuius nequitia hæc patior, protinùs iubeas decollari, & hæc dicens, obmutuit. Et iacebat clausis oculis, neque cibum capiens, neque vllum proferens verbum. Tertia verò die apertis oculis, vocauit iterum fratrem suum, dicens. Spei meæ certa est confidentia, vt si quid à te petiero, præstare non abnuas. Nunc autem rogo vt transferas in ditionem meam palatium, quod tibi homo peregrinus ædificauit. Illo autem admirante, eò quòd palatiũ Thomas nullum ædificasset, cœpit ei exponere, & dicebat ductum se fuisse à duobus viris, & ostensum palatium. Et adijciebat,

Illusum rex se putans furore accenditur.

Fratris regis ex damno publico ægritudo.

Admonitus palatium à fratre precio vult emere.

bat, quæ amplitudo ei esset, quæ fenestræ, qui splendor, quod tectum, dicẽtibus sibi viris à quibus ducebatur: Hæc est domus, quam ædificauit fratri tuo Thomas Apostolus Christi. His auditis, rex ait fratri suo: Si tibi hoc ædificium placet, da ei pecuniam, & simile construat tibi. Ego aũt non relinquam domũ meam, quam multo labore quæsiui. Et cursu velocissimo abiens ad carcerem, dimisit Apostolum: deprecans ex eo, vt indulgeret ei iniuriam, quam fuerat passus: & flagitabat signaculum beatæ crucis accipere, & credere Deo illius.

Eripitur Apostolus à custodia carceris.

Beatus verò Apostolus indicens eis iciunium per septem dies, prædicauit verbum Domini. Et die septima baptizauit regem & fratrem eius, in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Sed & populum multũ post hos, & cum his baptizabat. Tunc quoque ipse rex cum fratre suo ascendens de lauacro, vidit iuuenem in veste alba, tenentem lampadem magnam, & dicentem: Pax vobis, & statim recessit ab oculis eorum. Posteriùs exeunte Apostolo de ciuitate, ecce occurrit ei mulier Spiritum immundum habens.

Rex baptizatur cum fratre & populo.

Et

Et cùm vidisset Apostolum, conlisit eam Spiritus in terram, & ait: Quid nobis & tibi Apostole Dei summi? venisti ante tempus, extrudere nos à sedibus nostris. Ad quem cõuersus mox beatus Thomas, ait: In noĩe Christi Domini mei impero tibi, vt exeas ab ea, & nihil noceas corpori illius. Et statim dæmonium cùm egrederetur, dicebat: Ecce eijcis me hodie ab hac muliere, nobiliorem autem inuenturus sum, in quam ingrediar. Et confestim eiecto dęmone, mulier sana facta procidit ad pedes Apostoli, signum salutis efflagitans. Ille autem abijt ad fontem qui erat proximus, & sanctificauit illum, & baptizauit mulierem cum multis alijs. Deinde benedicto pane, communicabat eum omnibus, dicens: Gratia Domini vobiscum. Accipientibus autem multis de hac gratia, venit quidam adolescens: Cumque extendisset manum, vt acciperet & ipse benedictionem, attracta est dextera eius, nec poterat eam ampliùs ad os adducere. Quod cùm vidisset Apostolus, ait: Ecce omnes qui accipiunt ab hoc pane, sanitati redduntur. Dic tu ô iuuenis quid

Dæmon à muliere deijcitur.

Benedicti panis virtus

quid sceleris commisisti, vt hæc tibi eueniant? At ille tremens, ait: Nudiustertius cùm prædicares, audiui te dicentem, quòd omnes adulteri non haberent partem in regno Dei tui. Cumque domum redijssem, vidi vxorem meam mœchari cum viro altero, & statim apprehensam sugillaui eã, quæ iacet iam domi mortua. Quæ vt audiuit Apostolus, iussit exhiberi sibi aquam in hydria, & abluens manus adolescentis sanauit eum dicens: Ostende mihi vbi recumbit mortua vxor tua. Et videns eam Apostolus, prostratus in oratione, ait: Domine Iesu Christe, qui ore benigno polliceri dignatus es, vt omnia quęcunque peterem à te, benigna pietate largireris. Suscita ergo nunc hanc mortuam, vt ista viuente, multi credentes suscitentur ad vitam perpetuam. Et adprehensa manu mulieris, suscitauit eam. At illa videns Apostolum, procidit ad pedes eius, gratias Deo agens. Quod videntes multi credere cœperunt, & baptizabantur ab Apostolo, offerentes ei munera, quæ statim indigentibus erogabantur. Hac fama procedente per ciuitates, conuenie-

Mortua mulier resurgit

ueniebat populus indies maior, exhibens infirmos, & ponens per plateas, vnde sanctus erat transiturus Apostolus. Quos cùm ille videbat, cunctos in nomine Domini nostri Iesu Christi, imponens signum beatæ crucis persanabat. Audiens autem hæc quidem princeps Mesdei regis, venit ad eum, dicens: In veritate comperi, te verum medicum esse: Qui cùm languores omnium cures, nihil mercedis tamen accipis. Et nunc sunt mihi vxor & filia, quæ cùm de nuptijs venirent, à dæmonio correptæ, grauiter cruciantur. Rogo igitur vt accedas, & benedicas eis. Confido enim quòd possis saluare illas, in nomine Dei tui.

Regis Mesdei principis ad Apost. verba.

Tum Beatus Apostolus condolens homini, ait: Si credideris, sanabitur filia & cōiunx tua. Cui ille: Si (inquit) non credidissem, non vtique venissem ad te. His auditis, vocauit Apostolus Diaconum suum, illum qui rex fuerat ciuitatis primæ Indiæ, vbi Apostolus ad nuptias erat inuitatus, & ait ad eū: Vade, & conuoca omnes credentes ad me. Qui cùm venissent, ait ille: Ecce ego à vobis abscedo.

Vos

Discessurus Diaconum à se institutũ relinquit.

Vos autem state fortes in fide, & cũ stodite quæ à me accepistis. Diligite Dominum Iesum Christum, per quem renati estis in baptismo. Diaconum verò istum relinquo vobis, neque vlteriùs videbitis faciem meam. Et extendens manus suas, benedixit eos dicens: Custodi quæso Domine gregem tuum, quem per me congregare dignatus es, vt nullus retrorsum ruat, nullus post diabolum reuertatur: sed omnes tua virtute protecti, vitã æternam consequi mereantur, & tecum regnent in perpetuo, cui est cũ æterno patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Et cũ respondissent omnes, Amen: Beatus Apostolus exosculans singulos, & valefaciens, ascendit in currum cũ principe Mesdei Regis, & profectus est cũ eo. Populus autem flebat valde post eum, & tristabatur de absentia eius. Igitur approquinquante Apostolo ad domum illius cum quo gradiebatur, spiritus malus conturbauit mulieres, & vexabantur vehementer. Cũq; venisset Apostolus, dicebat Spiritus immundus: Quid nos persequeris Thoma, Apostole Dei viui? Iam enim nos

Osculum pacis.

Sequitur Apostolus principem Mesdei Regis.

nos de alia India eieceris, nec est locus in quem fugiamus à facie tua. Tunc intellexit Apostolus, hoc esse dæmonium quod eiecerat priùs à muliere in India secunda, & ait illi: In nomine Iesu Christi, filij Dei viui, quem prædico, egredimini, & abite in terram desertam, & nolite vltrà vexare homines.

Et statim exierunt dæmonia de mulieribus. Quæ cadentes, factæ sunt sicut mortuæ. Adprehensis autem manibus earum, leuauit eas, & benedicto pane, dedit eis cibum. Et prædicabat beatus Thomas per totam Indiam, Euangelizans Dominum Iesum Christum, nec solùm sermonibus, sed operibus etiam, fidem barbaricis pectoribus inserebat. Itaq; ille antè paulisper incredulus, qui dixerat: Nisi videro fixurã clauorum, non credam: credentes Deo populos innumeros congregabat. Et puto per prouidentiam Domini ideo eum diligentiùs de resurrectione quæsisse, quia duris ac feris Gentibus seminaturus erat verbum Domini, vti instructior redderetur, quod hæsitantes fide vel ratione firmaret. Inuenit igitur in India viros

Dæmonicorum sanatio.

Numerus credentium crescit.

viros pariter ac fœminas, qui verbi susciperent Dei, quorũ quotidie multos sanabat infirmos. Audiens autem hæc signa quæ faciebat Sanctus Apostolus, mulier quędam Mygdonia nomine, vxor Charisij, propinqui regis Mesdei, veniebat ad eum: cumq; præ turba accedere non posset, & pueri eius cædebant populum, & repellebant multos: videns Apostolus, prohibuit fieri. Et dato spacio, accessit mulier, & procidit ad pedes eius, & ait: Miserere nobis Apostole Dei viui, quia sumus sicut bestiæ, quæ sensum non habent. Hæc audiens Thomas, respondit: Audi filia, noli confidere in diuitijs, quas possides, sed potiùs distribue omnia pauperibus, vt fugiens hanc vitam transitoriam perpetuam adipiscaris. Relinque idola muta & surda, & cognosce viuentem Deum. Et cùm ei de fide vsque ad vesperum intimâsset, accepto signaculo crucis, reuersa est mulier in domum suam. Et ingressa cubiculũ, flebat valde, deprecans Dominum, vt inueniret veniam pro delictis suis. eratque continuò tristis, donec veniens vir eius, causam tristitiæ rogaret.

Accessus ad B. Thomam prohibetur.

Mygdoniæ pœnitentia.

Cui

Cui famuli dixerunt. In cubiculo cõmoratur Domina nostra. Ingressus igitur vir ad illam: Cur (inquit) tristis es, & cur conturbatur cor tuum? Scio autem quia accessisti hominem magum, & audiuisti ab eo verba inania, quæ nihil proficiunt. Relinque ergo cogitationes vanas, & surge, vt epulemur simul. Cui illa ait: Indulge quæso mihi hac nocte, quia neq; cibũ neque potum acceptura sum, sed nec in strato tuo quiescam. At ille recedens ab ea, epulatus est cum amicis suis. Mane autem facto redijt ad eam, & inquit: Mygdonia audi somnium meum. Putabã me cum rege Mesdeo discumbere, & veniens aquila rapuit ex disco duas aues optimas, ac abijt: & rursùs rapuit alias duas, portabatque eas ad nidũ suum. Quæ cùm rex videret, emisso iaculo trãsfixit illam, sed nihil ei nocuit. Hæc audiens mulier, dixit: Optimum est hoc verbum, & illud quod vidisti. Intereà abeunte viro ad palatium, mulier iterum accessit beatum Thomam, & inuenit eum docentem turbas, procidensque ad pedes eius, ait: Prædicationem tuam audiui, & omnia verba quæ aure

Somnium coniugis Mygdoniæ.

ſuſcepi, corde retineo impolluto, & ſtans audiebat verbum vſque ad veſperam. Aduenente autem nocte, regreſſa eſt in domum ſuam, & nihil cibi accepit, neque dormiuit cum viro ſuo. Quare Chariſius, vir eius mane facto dolens quòd ab eo ſepararetur vxor, indutus veſtimenta vilia, acceſſit regem. Quem cùm deturpatum vidiſſet rex, ait illi: Quæ extat cauſa, vt hæc te vilitas circundet? At ille: Quia perdidi (inquit) vxorem meam per hominem magum, quem Sapor introduxit in regionem iſtam, vt perdat eam. Et ſtatim rex iuſſit Saporem vocari. Euntes autem pueri, inuenerunt eum ſedentem iuxta Apoſtolum, & audientem verbum Dei, & Mygdoniam ad pedes eorum. Cui pueri: Ecce (aiunt) rex in caput tuum iratus eſt, & tu verbis inanibus vacas? Veni, quia vocat te. At ille ſurgēs, rogauit Apoſtolum, vt orationē funderet pro eo. Ad quem conuerſus Apoſtolus, ait: Noli timere, ſed ſpera in Dominum, quia ipſe erit adiutor noſter, & nō timebimus noceri ab vllo mortali. Et ingreſſus eſt Sapor ad regem. Ad quē rex: Quis eſt (inquit) magus ille, quem accer-

Chariſius regem aduerſus Apoſtol. ſollicitat.

accersisti in domum tuam, qui conturbat regionem & populum nostrũ? Sapor respondit: Nosti enim optime rex, afflictionẽ meam, quam de vxore & vnica filia habuerã, quę à dęmonio vexabantur, & ab eo sanatæ sunt. Sed & multi infirmi nunc per manus eius sanantur: & omnia quęcunque petierit à Deo suo, præstat ei. Quibus auditis, Mesdeus rex iussit adduci ad se Apostolum: Sed quia pueri non poterant præ turba ad eum accedere, Charisius cum furore rupit per turbam, & ait: Surge malefice, & veni in præsentiã regis: nihil enim valet magica tua. Et misso funem in collũ eius, trahebat eũ ad regem, dicens: Veniat Christus, & eruat te de manibus meis. Ita igitur tractus, cùm venisset in conspectum regis, ait illi rex: Quod est genus tuũ, vel quæ patria, vel in cuius nomine hæc signa facis? Tum beatus Apostolus respondit: Deus meus, Deus tuus est, creator cæli & terræ, & omnium quę in eis sunt. Qui solus coli debet, nõ idola surda & muta. His auditis rex iratus valde, iussit eum extensum torqueri, & cæsum recludi carcere. Cumque recluderetur, gratias agebat Deo,

Saporis sancta respõsio.

Tractus miserabilis.

Cruciatur Apostol.

quòd dignus esset talia pro nomine eius pati. Charisius autē reuersus ad domum suam, dicebat: Nunc copulabitur mihi vxor mea, eò quòd abstulerim magum de medio populi huius. Et veniens, inuenit eam detonso capite decumbere solo, & ait: Dulcissima coniunx, quæ mentem insania cœpit, vt hæc feceris? Nunquid potentior erit me hic magus? Nonne vides quòd me omnis India veneratur, & quod volo, hoc facio cū rege? Sed & pecunia magna est mihi. Cui illa: Omnia (inquit) hæc terrena sunt, & in terram reuertentur. Is autem beatus erit, qui se vitæ perpetuæ copulauerit. Hæc audiens Charisius, quieuit in lecto suo. Mygdonia autē accipiens aurū, dedit custodibus: & ingressa in carcerem, osculabatur pedes Apostoli, audiens verbum Domini. Et reuersa ad domum suā, dum vir eius apud Regem esset, prostrata humo in cubiculo, deprecabatur Deum cū lachrymis, dicens: Propitiare Domine insipientiæ meæ, vt reuertar ad salutem perpetuam. Quod videns nutrix illius, ait ad eam: Quæ est peruersitas in corde tuo, vt relicto viro, per quē magnific

De spe decidit Charisius.

gnificè honoraris, ieiunijs ac vigilijs teaffligas, seducta verbis magi vnius? Cui illa ait. Non est hoc peruersitas, sed integra ratio, vt cognoscat homo auctorē suū, & mereatur adipisci vitam perpetuā. Vtinam & tu crederes Christum, & particeps fieres agonibus nostris. At illa: Si (inquit) rationem cognouero, sequar te. Tum Mygdonia: Dij, quos vsque nūc colui, nihil sunt, sed est verus Deus IESVS Christus, per quē facta sunt sæcula: qui vt hominē, quem prius plasmauerat, redimeret, homo factus, mortuus & sepultus est: descendit ad inferna, & eripuit eos qui tenebantur à morte pessima. Exinde rediens, docuit nos resurgere. & sic ascendit ad cælos, sedet ad dextrā Dei patris oīpotentis, tribuens nunc credentibus in se dona cęlestia. Cuius tēpora finem non accipiūt, cuius læticia nunquā perit, cuius deniq; lux nūquam occidit. Ipse verò cū patre & Spiritu sancto regnat, & nūc, & in cuncta sæcula seculorū. Hæc audiens Narchia nutrix eius, confestim credidit in Dñm. Et ambulantes simul ad carcerē, data pecunia introierunt, & audiebāt verbū Dei ab Apostolo:

Mulieris sancta exhortatio.

Narchia nutrix credit in Dominum.

qui gauisus erat valde, sup fide Mygdoniæ, ꝓ iam per illam & alij conuerterentur ad Dñm. Cumque baptismũ flagitarent, dixit Apostolus Mygdoniæ: Vade ad domum tuam, & præpara quæ sunt necessaria, & ego vadam ad baptizandum vos. Abeuntibus ergo mulieribus, beatus Apostolus subsecutus est ad domum Mygdoniæ, & baptizauit eam cum nutrice sua, & alijs multis. Et reuersus est in carcerem, & clausa est ianua. Charisio autẽ grauiter dolente de conuersione vxoris, misit rex coniugem suam cum filio Zuzani, quæ consolaretur cognatam Mygdoniam, & reuocaret illam ab hac via, & vt viro suo copularetur, Quæ cùm esset ingressa domum Mygdoniæ, ait ad illam: Vt quid soror charissima erras post hominem magum, qui nouum DEVM patriæ nostræ prædicat? Recede ab hac praua cogitatione, & esto iucunda in domo tua, cum viro cui te parentes tradidere: Et noli relinquere deos patrios, ne irascantur tibi. Ad hæc illa respondit: Erraui vsque nunc sequens idola vana, quæ sunt sine gressu, sine eloquio, & sine vllo effectu, ignorãs verbum

Baptizantur multi.

Solicitationes in cassum.

Confessio errorum.

bũ Dei, qui fecit cælũ & terrã, & omnia quæ sunt in eis. Sed & Metalla, ligna & lapides, ex q̃bus isti vel fundun tur, vel sculpuntur, eius verbo creata sunt, cuius & nos creatura sumus. Nõ est ergo æquum, soror dilectissima, vt relinquẽtes talem artificem, creaturã potiùs adorem, quæ nobis ad seruiendũ data est. Hęc dum Mygdonia dixisset, tum & Zuzanis filius regis ait: Ecquis hæc omnia creauit, nisi dij nostri? Nam Iupiter cælum tenet, Iuno aëra regit, Neptunus mare gubernat: Pluto inferna iudicat, Phœbus diem, Berecynthia noctẽ inluminat. Cui Mygdonia subridens, ait: Oẽs isti quos cõmemoras, fili dilectissime, inferno damnati sunt, quia non cognouerunt Deũ viuũ. Nam si recurras ad veteres fabulas, inuenies hos & luxurijs deditos, & talia mala perpetrasse, qualia hodie iudices in iniquis hominibus persequuntur & puniunt. Mortui autẽ sunt, & non viuunt. Deus autem noster manet in sæcula sempiterna. Et qui crediderit in eum, transfertur ab hac temporaria morte in vitã æternam. Cumque hæc & his similia eis Mygdonia diceret, compuncta corde

Dijgentium damnati sunt.

vxor regis, ait filio suo: Rectè soror nostra reliquit virũ suum, & diuitias terrenas, vt vitam capiat sempiternã. Vtinã & nos videremus hominẽ istũ, qui faceret nos cognoscere veritatẽ. At illa gaudens, abijt ad Apostolum, & narrauit ei omnia, quæ acta fuerãt. Ille verò gaudebat & ipse prædicãs sine fine verbum Domini, & imposita manu benedixit eos, & præcepit eos abscedere. Sed non abijt vltrà vxor regis ad virũ suum, nec filius eius renũciauit patri de his quę p̃ceperat. Cumque hæc omnia renunciata fuissent Mesdeo regi, ꝙ scilicet vxor eius & filius conuersi essent ad Apostolũ, iratus valde, præcepit adduci vxorẽ suã, & filium. Quibus cùm persuadere nõ posset, vt cederent ab hac via, iussit vxorem in obscuro loco recludi, filium verò cum beato Apostolo in carcere cõligari. Sed & Charisius vxorẽ suam cum nutrice Narchia similiter reclusit in cellula tenebrosa. Et statim rex iussit Thomam adduci, manibus à tergo ligatis. & dixit ei: Quis est iste Deus tuus, qui coniuges nostras per te à nobis separat? Dicit ei Thomas: Tu cùm sis rex, nũquid vis habere inquinata

Vxoris regis filijque excellens conuersio.

Temerariũ regis imperium.

B. Thomæ in

nata seruitia? Si ergo tu cùm sis homo, mundos seruos habere studes atque mundas ancillas: quantò magis credere debes, amare Deum castissima & mundissima seruitia? Si ergo hoc DEVM in seruis suis & ancillis suis amare prædico, quod tu in seruis tuis & ancillis tuis diligis, vt quid culpor? Tum rex: Ego (inquit) permisi vxorem meam, vt cognatã suam Mygdoniam depræcipitio liberaret, & ipsam tu pręcipitio immisisti. Respondit Apostolus: Præcipitium non est, nisi recedere à castitate, & ire in libidinem. Nam qui à libidine se tollit, & ad castitatem accedit, hic à præcipitio remeat ad salutem, & egreditur de tenebris ad lucem. Dicit ei Mesdeus rex: Quomodo separasti animos earum à consortio coniugij nostri, his quoque artibus age, & eodem consilio, vt redeant, vt sint coniuges nostræ, vt antè fuerunt. Respondit Aposto. Errat iussio regis. Et rex: In quo errat iussio mea? Dicit Apostol. Fabricaui turrim excelsam. Et dicis mihi, vt ego qui sum fabricator, ipse destruam summitate m? Fodi terram profundã, & eduxi fontem de abysso, & dicis mihi, vt

vinculis responsio.

Vbi præcipitium.

Parendum Deo magis quam hominibus.

ego illam obruã? Ego potiùs dicam illis verba Domini mei: Quia qui diligit patrem, aut matrem, aut filios, aut vxorem, plus quàm Deum, DEO dignus non est. Tu enim rex temporalis es, & si voluntas tua non fiat, temporaliter punis. Deus autem Rex æternus est, & si voluntas eius contempta fuerit, æternaliter punit. Equidem tu rex posteaquam occideris corpus, animam occidere non potes. Deus autem verus, potest animam & corpus mittere in æternum ignem. Hæc audiens Charisius, qui coram rege stabat: Hũc magum si tardiùs occideris, nos ipsos in præcipitium mittet.

Tunc ira repletus rex, iussit lances ferreas igniri, & præcepit excalceari Apostolũ, vt nudis pedibus superstãs, hoc dolore deficeret. Verùm antequã hoc supplicium Apostolo admoueretur, prorupit aqua, & extinctæ sunt lances. Et ait Apostolus ad regem: Hoc non propter me fecit Dominus, sed propter te, vt vel sic credas. Mihi aũt Dñs hanc patientiam dare potest, vt vel sine aqua ignem tuum non timeam. Tum conuersus ad regẽ Charisius: Iube etiam eũ in fornacẽ ther-

Miraculum aur factum.

marum

marũ mitti. Quod cum fieri rex iussisset, thermæ vltrà calefieri non potuerunt, sed nec paruum quidẽ tepo-rem habebant: ipseq; Apostolus altero die est egressus incolumis. Et Charisius iterum ad regem: Fac (inquit) illum sacrificare Deo Soli, & iram incurret Dei sui, qui illũ liberat ab his, quæ inferuntur ei. Cumq; argueret, vt ingressus templum simulachro Solis sacrificium inferret, ridens in faciem regis dixit Thomas: Dic mihi rex, quis est melior inter te, & imaginem tuam? Non dubito, quin prestantior tu sis, quàm pictura tua. Et quo modo vos dimittitis Deum vestrum, & excolitis picturã eius? Erat autẽ statua Solis facta ex auro, habẽs quadrigã equorum auream, habenis effusis, quasi rapido cursu ageretur ad cælos. Et dum cõpelleret vt adoraret statuã, dixit Apostolus ad regem: Erras, si putas ô rex, quòd sicut dixit Charisius, Deus meus irascatur mihi, cùm ego Deum tuum adorauero. Hoc magis volo te nosse: quòd is Deo tuo irascetur, & euertet eum mox vt adorauero eum. Tum rex: Inuictissimum Solem, Deus tuus, quẽ Iudæi occiderunt,

Creaturæ sunt picturæ creatoris.

euerteréne potest? Respondit Apostolus: Vis ergo probari, si hoc potest fieri? Et Charisius: Excusationes (ait) sibi inuenit, vt non adoret Solem, neque sacrificet ei. Dicit ei iterum Apostolus: Primò ego adoro eum, & si eum non euertet Deus meus, tum sacrificabo ei. Et cùm consensisset rex & Charisius, introduxerunt eum in templũ. ducentes choreas eo ritu quo solebãt. Erant autem virgines cum lyris cãtantes, alij cum tybijs, alij cũ tympanis, alij cum vatillis & thuribulis Et cùm introissent, ait Apostolus ad simulachrum: Tibi loquor dęmon, qui in isto simulachro habitas. & qui das responsa stultis & deceptis hominibus, qui simulachrum vident: Adiuro te in nomine Domini mei Iesu Christi, quem Iudæi crucifixerunt, vt exeas, & stes ante me, vt videãt te. & quod imperauero tibi, hoc facias. Egressus autẽ dæmon, stetit ante eũ, ita vt solus Apostolus videreteum. Et dixit ei: Ego corde colo Dominum meum Iesum Christum, mox autem vt posuero genua mea in terra, & dixero tibi, vt confringas idolum, rogabo Dominum meum, vt mittat angelum suum, qui

Modus verus in sacrificando.

Adiuratus dæmon cogitur stare ante Apostol.

tere-

te releget, & damnet in abyssum. Et respondit ei dæmon. Rogabo te Apostole Dei, ne me in abyssum releges. Sed permitte me, & omnes istos interficiam. Tum Apostolus. Impero tibi in nomine Iesu Christi Domini mei, ne lædatur vllus hominũ, nisi hoc solum simulachrum. Mox vt genua flexero, cõminue illud. Loquebatur autem Apostolus cum dæmonio sermone Hæbraico, & nullus sciebat quid vel cui loqueretur. conuersusque ad regem dixit: Cogita tecum rex, tu istũ inuictissimum dicis, & meum Deum dicis hominem à Iudæis occisum: ac per hoc, si fortior sit Deus tuus, & eũ inuocatione nominis Dei mei cõfringere non possim, ego non solùm adorabo dæmonem qui qui in eo latitat, sed etiã sacrificabo illi. Si verò minutatim fuerit attenuatus ille vinctus Deus tuus, par erit è conuerso, vt relinquas errorem, & teneas veritatem. Et rex: Adhuc ausus es (inquit) ex pari confabulari mihi? Si pergas, faciam tundi arterias tuas, si non adoraueris & sacrificaueris Soli. Respondit apostolus: Ecce adoro, sed non simulachrum. Ecce adoro, sed non metallum.

Quo sermone sit vsus.

Ecce adoro, sed non idolum. Adoro autem meum Dominum Iesum Christum, in cuius nomine impero tibi dęmon, qui hic in ipso lates, vt nullum hominem lædens, metallum & simulachrum comminuas: statimque quasi cera iuxta ignem posita, liquefactum idolum resolutum est. Quo facto omnes sacerdotes consternati vlularunt, & rex fugit cum Charisio. Pōtifex autem cædebat Apostolum, & facta est seditio magna in populo: sed maior pars populi cum Apostolo erat. Qua re motus Mesdeus rex Indiæ Apostolum Thomā, & filium suū Zuzanem, & plures alios trusit in carcerem. Non desinebat tamē etiam in carcere Apostolus confirmare credentes, dicēs: Credite in Deum, quem prædico: credite in Iesum, quem Euangelizo, qui adiutor est seruulorum suorum, refector est laborantium: in quo exultat anima mea, quia tempus impleui, & gestio ipsum quē desideraui videre. Cuius pulchritudo prouocat me, vt dicam quis sit: sed magnitudo eius sensus superat, & intellectū supergreditur, vt id quod cupio de eo dicere, cōprehēdere & explicare nequeam. Sed tu

Adoratio vera non pertinet ad idolum.

Seditio exorta contra Apost.

tu Domine, qui animam inopem replere consueuisti, imple ea quæ mihi desunt, & esto mecũ donec ipse ad te veniã, & te videã. Hæc vbi audiuit Zuzanes, aduertens quòd Thomas diceret tẽpus impletum suũ, vt de hoc recessurus sæculo videretur, cupiens ab eo priusquàm migraret à corpore Manazaræ vxori suæ impetrare medicinam (erat enim debilis mulier, soluta membris) petiuit vt permitteret ei ire, & persuaso custode, fideq; facta quòd essent reuersuri, cum Apostolo ex carcere abire constituit in domum suam. vbi & diaconatus ministerium vt sibi crederetur, rogauit, & vt benedictionem Leuiticam acciperet. Quoniam se quoque Deo seruire velle memorauit, & hoc iam dudum animo deuouisse, sed à patre coactũ vxorem duxisse, quam accepisset vicesimum annum agens, triennioque ea potitum, filios ex ea nullos suscepisse, nec aliam mulierem præter vxorem nouisse, iamdudum præterea à cõcubitu vxoris abstinuisse, eò quòd & illa studebat castitati, & optaret audire sermonem Thomæ, sed propter debilitatem adesse non posset.

Solicita Zuzanæ pro vxore deprecatio.

Quam

Annuit de supplicatione Apostol.

Quam si vellet Apostolus sanare, se impetraturum, vt eundi facultatem haberent. Cui respondit Thomas: Si credis, videbis mirabilia Dei, & quēadmodum seruulos proprios curet. Dum hæc loquuntur, Treptia nomine, quæ erat vxor regis, & Mygdonia Charisij matrona, qui & ipse amicus erat regis, & Narchia nutrix, trecentis sexaginta argenteis datis, à custode introductæ sunt ad Apostolum. Atq; illic repererūt Siforatū militiæ regis ducem, & Zuzanem, & Siforem vxorē & filiam eius, & alios verbis Euangelicis intentos. Ipsæ igitur tres fœminæ cùm adstitissent ante conspectum Thomæ, interrogauit eas Apostolus, quo permittente ingressę forent, vel quis eis aperuisset carcerem: & qualiter egressæ fuissent de loco in quo clausæ fuerant. Cui respōdit Treptia: Nonne tu es qui aperuisti nobis ianuam, & dixisti: Exite, & ite in carcerem, vt suscipiamus eos fratres, qui illic sunt, & Dominus in nobis demōstrauit gloriam suam? Cùm autem appropinquaremus ad ianuam, subitò non apparuisti nobis, sed huc ingressum te sonitu ianuæ cognouimus. Nos verò

Auro viam in carcerem ad videndū apostolum patefaciunt.

rò postea mercede custodem inflexi-
mus, vt ad te ingrederemur, si fortè
impetrare possimus, quod impendiò
petimus, vt paulisper aliquo conce-
das, quò regis posit iracundia miti-
gari. Tunc interrogauit Thomas Tre-
ptiam, quemadmodum à viro suo es-
set inclusa, vel quid causæ obortum
esset, aut quo motus, nec propriæ pe-
percisset vxori? Cui respōdit Treptia:
Tu à me requiris, quemadmodū clau-
sa sim, cùm me nunquam deserueris,
sed vna tantum abfueris hora? Vnde
miror, te nescire quomodo clausa
sim. Sed si vis audire, accipe. Misit ad
me Mesdeus rex, & iussit me introdu-
ci ad se, & ait mihi: Nondum plenam
circa te magus ille adeptus est pote-
statem. Nam quod in oleo pane & a-
qua magica consumet, audiui. Ergo
cùm magicis operibus venire non po-
tuerit, nihil horum circa te fecit. Qua-
re obtempera præceptis meis: alioqui
& ipsa clauderis. Itaque non adquies-
cente, sed dicente me, vt quod vellet
faceret: potestatem enim habere eum
corporis mei, animam verò meam cū
eo perire non paterer: in obscuro lo-
co me iussit includi. Charisio quoque
accu-

Admirationis causa.

accusante vxorem suam Mygdoniam cum eius nutrice Narchia, iussit includi. Sed tu iam nos produxisti, vt ad te veniremus: & ideo præsto sumus vt à te benedictionis gratiam consequamur. Quæ cùm dixisset Treptia, agnouit protinùs Apostolus beneficia eius, qui se plerunq; humana specie figuraret, vt consolaretur mœrentes, afflictorũ ærumnas releuaret. Et ideo ipse gratias agere cœpit Domino Iesu, eò quòd confirmauerit infirmos, nutantesque stabilierit, & sperare faceret cunctos diffidentes. Dum hæc captiui in carcere colloquuntur, superuenerunt custodes, dicentes, vt lucernas extinguerent, ne quis cos simul esse, ac pariter colloqui proderet regi. Extinctis igitur lucernis, collocauerunt se custodes. Sed Thomas Apostolus, postquã omnes circunfusos tenebris aspexit, lumen petere cœpit à Domino: Inlumina nos Domine (inquit) quia tenebrarum filij in tenebrosis non sedere fecerunt locis. Sed tu Domine, inluminare sancto lumine tuo dignare seruos tuos, eo lumine quod nullus eripiat, & nullus extinguat. Et statim refulsit dies, &

Cura Dei pro suis.

Nota miraculum.

& omnis ille custodiæ locus. Tum & cæteri, quos alias ob causas recepe rant claustra carceris, vigilabant. Neq; enim serui Dei dormire tum poterant, quos sic Christus excitabat, neque patiebatur nos somno dimergi, qui dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & inlucescet tibi Christus. Cùm igitur inter se nonnulla sermone vario contulissent, ait Thomas ad Zuzanen: Vade præpara nobis omnia, quæ in ministerio sunt paranda. Interrogante autem Zuzane, quomodo exire posset fores carceris, aut quis aperiret, cum essent clausa omnia, & custodes somno dissoluti? respondit Thomas: Crede Christo, & vade, & inuenies apertas ianuas. Secuti sunt igitur eum cæteri. Et cùm iam medium spacium itineris confecissent, occurrit ei vxor eius Manazara, cùm iret ad carcerem, & recognoscens virum, ait: Zuzane vir? Qui cùm cognouisset eam, cœpit quærere quò nam iret, noctis præsertim tempore: aut quomodo potuisset exurgere, quæ minimè antè surgebat. Quæ respondit: Puer iste Domini, ponens manum, sanam me fecit. Somnio verò monita

Ex hoc apparet, qui historiam hanc primus scripsit, & vnde Abdias sumpsit, interfuisse rebus à B. Thoma gestis.

Nota admiranda miracula, à S. Thoma edita.

monita ſum, vt ad peregrinum iſtum venirem, qui tenetur in carcere. Eò igitur feſtino, vt iuxta ſomnij viſionem, plenam poſſim accipere ſanitatem. Interrogauit Zuzanis, quis ille puer eſſet, qui fuiſſet cum ea? Reſpondit Manazara. ipſe non vides eum, dextra manu tenentem me, & ſuſtinentem? Dum hæc fierent, interuenit loquentibus Thomas, ſed etiam Seſorus dux militiæ, & vxor eius ac filia, denique & Treptia atq; Mygdonia, & Narchia, qui ad Zuzanis domum pariter commeabant. Cùm vidiſſet autē Apoſtolum Manazara, adorauit eum dicens: Veniſti medicus, qui me ſanes ab ægritudine. Vidi te hac quoq; nocte, ac quidem tradentem mihi puerum iſtum, vt me ad te perduceret in carcerem. Et cùm expectare venientem debueris, præſtanti tamen bonitate ipſe me diutiùs laborare non eſt paſſus, ſed veniebas ad me ſimul hæc dicens, conuerſa puerum quærebat: qui ſe oculis repentè ſubtraxit, nec erat videri facilis, qui ante videbatur. Anxia igitur ſuſtentatore amiſſo, cœpit dicere: Non poſſum ſola ambulare, non apparet ampliùs puer, quem mihi

mihi tradidisti. Cui Apostolus: Ecce iam tecũ Christus ambulauit. Ipse tibi erit viator & præuius, Itaq; currẽs mulier præibat cæteros, repente domum festinans, quò postquam ab Apostolo & cæteris ventum est, subitò domus multo splenduit lumine & Thomas cœpit orare, & dicere: Tu Domine, qui es adiutor infirmorum spes & confidentia inopum, refugium & requies laborantium, lugentiũ consolatio, fluctuantium portus, resurrectio mortuorum, redemptio peccatorum, & qui denique propter nos subijsti corporis passionem: tu domicilia mortis, & ipsa inferna penetrasti, vt nos à mortis vestigijs liberemur. Te principes mortis venisse mirati sunt, neque potuerunt tenere remeãtem: imò etiã exutos se vetustate possessionis, & te cum trophæo reuertentem gemuerunt. Honorificamus igitur meritò te Domine Iesu, te paterna illa & perfecta venisse substantia, vt viscera tuæ misericordiæ videremus in nobis. Quique seruorum tuorum es minister, possessionis tuæ locupletator, pauper, sed non indigens: diues, sed non fastidiens pauperem: qui

Christus via vita.

Nota benedictionem Apostoli.

Magis sollicitus est Apostolus pro suis quàm pro se.

qui ieiunâsti quadraginta diebus, vt perpetua benedictionis repleres alimonia animas esurientium : tu esto, rogo, cum seruis tuis Zuzane, & Manazara ac Treptia, vt in tuum gregem eos digneris inducere, & adnumerare sanctis tuis, & in hac errorum regione iuuare possit. Tu esto medicus in hac possessione languentibus, esto requies in laboribus, firmamentum in lubricis. Esto denique adiutor corporum, vita animarum, vt sint templa misericordiæ tuæ, & Spiritus Sanctus inhabitet in eis Haccompleta benedictione, sumpsit sacramentum, & gratias egit Domino dicens: Sit nobis hoc sacramentum tuum Domine Iesu ad vitam, sit ad remissionem peccatorum. Siquidem pro nobis passio tua celebrata est. Tu pro nobis fel illud bibisti, vt omnis in nobis aduersarij amaritudo moreretur. Pro nobis tu quoque bibisti acetum, vt nostra lassitudo confortaretur. Pro nobis consputus es, vt immortali nos rore perfunderes: percussus es à calamo fragili, vt fragilitatem nostram vitę perpetuę, æternitatique firmares. Coronatus es spinis, vt virenti semper in te creden-

Christo illata supplicia enumerat, vt nos ad talia incitet.

credentes charitatis tuæ laurea coronares. Inuolutus prætereà fuisti sindone, vt nos quodam virtutis tuæ inuolucro vestires. In sepulchro poni voluisti nouo, vt nobis nouam gratiam, noua sæcula reformares Hæc vbi finiuit, Eucharistiam diuisit his quos suprà memorauimus, & ait: Fiat nobis hæc Eucharistia ad vitam, & viscera misericordiæ, & gratiam salutis, sanitatemque animarum nostrarum. Respondentibus autem illis, Amen: audita est vox dicens etiam, Amen. Quam vbi audierunt vocem, statim super facies suas ceciderunt. Et iterum vox sonuit, dicẽs: Nolite timere, sed tantummodò credite. Ex eo tẽpore redire cœperunt, Thomas ad custodiæ suæ claustrum: sed & Treptia & Mygdonia & Narchia reuersę sunt ad carcerẽ suum. Quibus, antequam egrederẽtur, locutus est Apostolus dicens: Accipite sermonem meum vltimum, nõ enim ero diutiùs in hac carne, accersor ad Dominum Iesum, ad illum qui me redemit, ad illum qui se ad vltimum humiliauit, vt ab vltimo omnes eleuaret: in quem sperare didici. Si enim ad sacri munus officij meis

Nota. Sub vna specie communicarunt Laici ministrante Apostolo.

Grauis & plena consolationis Apost. oratio.

meis indignum vocauit, quantò magis si in veritate seruiui, possum sperare mercedē? Bonus enim & iustus est, & nouit Dominus mercedem soluere pro meritis singulorum. Diues munerū, largus gratiarum, haudquaquam parcus beneficiorum. Qui in me quoque infirmum supra meritum meum, multa conferre dignatus est. Cuius miracula eò prouocare vos debent, vt laudetis auctorē. Neque enim mea virtute hæc faciebam, sed in nomine Domini mei Iesu impetrabam, nō imperabā. Non enim Christus, sed seruulus Christi sum: nec ego sum arbiter, sed minister eius qui me misit. Et ideo peracto cursu admoneo vos, ne cùm videritis datam in me esse homini potestatem, supplicijsque me deditum cum videbitis, ideo fides vestra minuatur. Ego enim voluntatem Domini mei impleo, & æquum est me velle quod Dominus iubet. Nam si pro nobis ille mortem suscepit, quantò magis nos, erga Domini voluntatem, corporis huius mortem timere non debemus? Cùm præsertim mors ista non interitus, sed solutio corporis. Ideoque non rogo, vt mortem

Humilitas B. Thomæ.

A maiori ad minus disputat.

tem differam. Creditis enim, quod possem differre, si vel m : sed rogo magis, vt citiùs absoluar, & proficiscens videam illum decorum & misericordem, qui pro operibus & laboribus, quibus desudaui, nimis liberalis Dominus, præmium repręsentabit. Hæc cùm dixisset, receperunt se omnes ad tenebrosam domum. Et dixit Thomas in carcere constitutus : Domine Iesu, qui pro nobis plurimum pertulisti, claudantur ianuæ istę, sicut clausæ fuerunt, & signacula ijsdem foribus reformētur. Relictis igitur alijs, perrexit Apostolus vt se includeret. Fœminæ autē non poterant à lachrymis se temperare quæ sciebant, quòd Mesdeus non abstineret ab eius nece. Intereà cùm venisset Apostolus, inuenit custodes concertantes inter se, & dicentes: Heu quomodo incidimus in istū magū? Ecce aperuit ianuas carceris artibus magicis, & omnes voluit secum educere. Vnde ne magicis carminibus elabatur & cæteri cum eo, renunciemus Regi, simul de vxore eius ac filio. Audiebat hæc Thomas, & quiescebat. Illi autem abierunt prima luce ad regem,

Nota miraculum.

Vera charitatis signa.

Artibus magicis tribuit quod diuinitus fiebat.

petentes, vt tolleretur magus ille, & alibi ne clauderetur, eò quòd clausum omne magica potestate reseraret. Secundò nunciabāt, apertas fuisse ianuas carceris, idque surgentibus manifestatū sibi. Introisse etiam regis vxorem cum alijs, quæ non recederent ab eo. Quibus auditis, rex signacula mox, quæ imposuerat ianuæ, requisiuit, & eodē reperit modo quo fuerant antè. Vnde commotus, ad custodes ait, falli eos qui introisse in carcerem, Treptiam & Mygdoniam dicerent, cùm signacula remota non essent. At illi se vera intimâsse significabant. Mesdeus autē sedens in secretario, sisti sibi iussum Apostolū rogauit, seruus ne an liber esset. Cui Thomas, Seruus sum, ait, vnius & solius, supra quem non habes potestatem. Quæsiuit iterum Mesdeus, cur eò venisset? Respondit denuò Apostolus, vt plures saluaret: & hæc sibi debitum esse, vt per manus Mesdei hinc emigraret. Tum rex, qui esset Dominus eius rogauit, quod illi nomen, & cuius regionis? Ad quæ Thomas: Meus Dominus (inquit) Deus est tuus, Dominus cæli & terræ. Huius tu nomen audi

Aperta Apostoli confessio.

audire non potes: sed id quod datum est ei in hoc sæculo, est Iesus Christus. Minanti autem regi, quòd ei non parêret, cùm maleficium eius aboleretur, vt tota India mundaretur, respondit Thomas: Hæc maleficia mecum abibunt: sed hoc scito, quia nec quid deerunt. Ex eo igitur cogitabat rex, qualiter Thomam occideret. Verebatur enim populum, quia plurimi etiã eminentiorum eius opera admirabantur, & credebant in Iesum. Astutè ergo sibi rex agendum ratus, cum Thoma ciuitatẽ armatis septus est egressus, populo existimante quòd ideo egrederetur, vt Thomas ei aliqua suorum operum demonstraret. Intendebant igitur in eum, qui putabãt quòd aliquid ab eo rex vellet discere, & ille regem docere. Sed egressus rex mediam ferè partem miliarij, tradidit eum quatuor militibus, adiuncto vno præstantiore viro iubens, vt ducentes eum in montem proximum, ibi gladio percuterẽt. Rex verò mox redijt in ciuitatem, vbi hoc militibus imperãsset. Quod intelligens plebs, sequebatur, Thomam eripere volens. At milites apprehendant Apostolum,

Dolo quod virtute non potest attentat rex mortem Apost.

Ducitur ad martyrium B. Thomæ.

ſtolum, duo ad dextram, & duo ad ſiniſtrā tenētes. Ille quoque eminentior manum eius tenēs, pariter incedebat. Dicebat autem Apoſtolus magna, & diuina myſteria in ipſo exitu reuelari: Siquidem propterea ſe duci à quatuor militibus, dicebat, qui ex quatuor coiuiſſent elementis, ea ſe quatuor habere principia generationis. Dominum autem IESVM ab vno percuſſum, quia vnum patrem ſciret generatorem ſuum. Qui vbi venit ad locum paſsionis, cohortatus cæteros, fidem ſeruare Domino Ieſu, pietatēque colere: rogauit etiam Zuzanam, vt pretio cuſtodibus dato orandi tēpus ſibi impetraret. Cuius data copia, cœpit gratias agere, quòd & in ſæculo gubernatus eſſet à Chriſto, & ab eodem vocaretur, illum eſſe in periculis præſulem, illū in mœrore conſolatorem, illū in laboribus adiutorē, illum præuiū ſibi huius fuiſſe itineris, quod in hoc ſæculo cucurriſſet. Tu (inquit) Domine annunciaſti mihi, me tuū eſſe: propter quod nec vxorem accepi, vt tibi totus vacarē, ne templi tui gratiā vel coniugalis copulæ vſus minueret, vel conſuetudo decerperet. Diuitiarum

Exhortatio ad toleranda ſupplicia pro Chriſto.

Grauiſsima S. Thomæ ante paſsionem oratio.

tiarum quoque sæcularium cupidũ animũ, cælesti prouisione ac munitione reuocasti, docens in pecunijs dispendia esse, non cõmoda, & ideo compulisti, vt hic paupertate contentus, indeficientẽ spiritaliũ diuitiarũ quærerẽ veritatẽ, & thesauros in Christo absconditos inuestigarem: tuisque cõtentus copijs, alias non desiderarem: Factus sum igitur pauper, indigens, peregrinus ac seruus, in vinculis, in ieiunijs, fame ac siti, in laboribus, in periculis, vt confidentia non periret, spes non cõfunderetur. Respice igitur in me Domine, quia pecuniã tuam nõ abscondi, sed supra mensam posui, & in nummularijs diuisi. Ad mensam tuã vocatus veni, nec ab hac reuisendi necessitate excusaui, nec iuga boum, aut ducendæ vxoris necessitatem conuiuio tuo prætuli. Ad nuptias sum vocatus, & Albam vestem indui: & expectans Dominum à nuptijs reuertentem, olei non sum oblitus: tota nocte domum meam custodiui, à latronibus expoliatus non sum: calceamenta pedibus circundedi, ne diffinirentur, vestigia obseruaui, primam & secundã & tertiam custodiam, vt vultum tuũ

Ad Euangelium allusio.

videre, & splendore tuū, discussa nocte perspicere. Mortuū meū non viuificaui, nec deficientem repleui, sed magis, quē dedisti mihi vinctum castigaui: Et captiuū meū occidi, vt quem acceperā liberū non alligarē. Opprobriū suscepi in terra, vt in cælo remunerationē sperarē Si igitur detuli fidele seruitium, adesto Dñe Iesu, ne p̄sentiant me latrones ne aduersus me retia suamittant. Circūdet famulū tuū gloria tua, vt tanta amictū gratia, aduersariæ potestates impedire nō audeant. Nunqd illis obediui, cùm mihi intercludere vellēt transitū? Suis enim occurrūt, & eos prodire vltrà nō sinūt. Adesto igitur Dñe: vt cū pace & gratia trāseam. In veritate dirigas seruū tuum, ad sedē tuam. Dirigas iter meū, & diabolus in me non intendat. Excæcentur oculi eius lumine tuo. Contiecescat os eius q̄ nihil in me dignū suis operibus inuenit, q̄ loquatur. Hæc precatus, ait militibus: Venite, consummate præceptum eius qui vos misit. Aduenerūt igitur quatuor milites, & lāceis trāsuerberauere eū: atq; cecidit B. Apost. & mortuus est. Quē cū lachrymis sepelierunt fratres in sepulchro regio, in quo reges priores sepulti sunt: pręcio-

Implorat auxiliū Dei.

Quiescens obdormit in Domino.

ſis & plurimis amictū odoribus atque indumētis. Apparuit aūt confeſtim Siſori & Zuzani, q recuſabant in vrbem ire, & tota die ad ſepulchrū ſedebant, atq; illis dixit: Quid ſedetis cuſtodientes me? Nō hic ſum. aſcēdi enim, & recepi omnia q̄ ſperaui. Surgētes itaq; diſcedite hinc, breui enim tēpore & vos mecū colligā. Cùm hæc fierēt circa Apoſtolū, intereà Treptia regina, & Mygdonia deductę à Meſdeo & Chariſio affligebātur. ſed tñ voluntati eorū non acquieſcebant. Quib. ſe Apoſtolus demonſtrauit, dicēs: Nolite errare, quia Dñs Ieſus citò vobis adiumentū dabit. Itaq; Meſdeus & Chariſius cū animos vxorū ſuarū expugnare non poſſent, dimiſerūt eas propriæ voluntati. Fiebat aūt cōgregatio fratrū in multa exultatiōe atq; lætitia. Eratq; presbyter Siſorus, & Zuzanes diaconus, ſuntque ordinati iam tū à S. Apoſtolo, cùm in montē moriturus aſcendiſſet. Atq; hi potiebantur frequentibus adiumentis Dñi, & fidei incremēta quotidie pręcedebāt. Quib. addidit Dñs hāc gratiam, vt cū Meſdei filius correptus eſſet à dęmonio, nec quiſq̄ qui eū ſanaret, poſſet inueniri, ſucceſſit huiuſmodi Meſdeo ſentētia, vt diceret: Vado, & ape-

Sepultura S. Apoſtoli.

Apparet & conſolans bonos.

Terret impios.

Reliquiarũ sanctorum virtus.

rio sepulchrum, & tollens ossa de corpore Apostoli, suspendam filio meo, & curabitur. Ascendebat igitur secundum cogitationes Mesdeus ad montem, & reuelauit ei se Thomas, dicẽs: In viuentes non credidisti, & in mortuos credis? Sed ne timeas, miserebitur & tui Dominus Iesus, & exhibebit tibi viscera misericordiæ suæ, propter bonitatem suam. Verùm vbi ascendit Mesdeus: reserato sepulchro, ossa inuenire non potuit: quia iampridem reliquias sanctas quidam de fratribus rapuerant, & in vrbe Edessa sepelierant. Ea tamen quæcunque rex in sepulchro reperit, humi vel stercoris, supra quæ iacuerant reliquiæ Apostoli, auferens Mesdeus, & alligãs filio suo, ait: Credo tibi Christe nunc, quia recessit à me ille, qui hominũ turbat affectus, ne ad te visendum summa properatione contendam. Itaque vbi suspendit illa puero, statim sanatus est ex illa hora: & factum est gaudium magnum inter fratres, super conuersione regis ad regem cælestem Christum Iesum, cui honor & gloria, in perpetua sæcula, Amen.

De reliquijs sanctorum.

Miracula ex reliquijs sanctorum excitata.

LIBER

LIBER DECIMVS CERtaminis Apostolici ab Abdia Babybyloniæ Episcopo Hebraicè conscripti, & à Iulio Africano historico versi in linguam Latinam. De rebus à Beato Philippo Apostolo fœliciter gestis.

PHilippus Petri & Andreæ cõterraneus, ex vico Galileæ Bethsaida originẽ duxit: vocatusq; mox post Petrũ, demũ ad Apostolatus honorẽ peruenit. Qui vt socium haberet conuersionis, Nathanaëlem quendam familiarem ad Christũ duxit, quem Christus mox se agnouisse testatus est, sub ficu antequam à Philippo illi esset adductus. Quod admiratus Nathanaël: qui nunquam anteà viderat Christum, haud illibenter deinde illi adhæsit, in parte societatis semper cum Philippo manens. Quorum hic pridiè quàm pateretur, cùm in cœna audiret, neminem ad patrem nisi per eum venturum: Magistrum rogare cœpit, vt sibi ac condiscipulis

B. Philippi origo.

Tempus Apostolatus.

Charitas Apostoli.

Ioan. 14.

patrem oſtēderet:quod quidem amore ille ſempiternæ vitæ tum dixerat. At Chriſtus obiurgans Philippū,quòd tanto tēpore cum ipſo eſſet, & tamen cum rectè adhuc non cognoſceret. Et hæc omnia ante Chriſti paſſionem à Philippo geſta eſſe Euangelica nobis fides oſtendit. Poſt aſcenſionem verò ſaluatoris, Beatus Philippus per annos viginti,inſtanter prædicauit Gentibus per Scythiam Euangelium. Vbi cùm tentus eſſet à Gentibus, & ductus ad ſtatuam Martis, & cōpelleretur ad ſacrificandum, exijt de ſubtus baſim, in qua ſtatua Martis ſtabat draco ingens, & percuſſit filium ſacerdotis,qui miniſtrabat ignem ſacrificij. Percuſſit etiam duos tribunos, qui præerant Prouinciæ, cuius officiales tenebant in vinculo Apoſtolum.Porrò de flatu draconis oēs morbidi redditi, vehementer ægrotare cœperūt. Quod videns Apoſtolus, dixit illis: Audite conſiliū meum, & recuperabitis ſanitatem:ſed & hi qui exinde erant mortui,reſuſcitabuntur oēs: draco quoque qui noxius vobis erat,in Dei nomine fugabitur. Dicunt ei ægroti: Quid faciemus? Quibus reſpondit Apo-

Scytia obtigit ſorte B. Philippo.

Filius ſacerdotis percuſſus à ſerpente.

Conſilium Apoſtoli.

Apostolus. Deijcite hunc Martem, & confringite, & in loco, in quo fixus videtur stare, crucem Domini mei Iesu Christi affigite, & hanc adorate. Tũc illi qui cruciabantur, cœperũt clamare: Recuperetur in nobis virtus, & deijciemus Martem Facto itaq; silentio, Apostolus dixit. Præcipio tibi draco in nomine Dñi Iesu Christi, exi de loco isto, & vade, & morare in loco deserto, vbi non est accessus hominũ, & nulla vtilitas humanis cõmodis ministratur, ita vt vadẽs nemini noceas. Tũ draco illæ, sæuissimus exiẽs cœpit abire festinãter, & vltra nusquã comparuit. Philippus autem Pontificis filium, qui ignem ministrabat, & duos tribunos qui mortui fuerant suscitauit, omnemq; turbã quæ morbis erat affecta de draconis flatu, sanitati restituit: Vnde factũ est, vt vniuersi Philippum Apostolũ qui persequebãtur, pœnitentiam agerent, Deumq; hunc æstimantes adorarent: ipse autem per vnum annum iugiter doceret eos, quomodo mundi periclitanti aduentus Domini subuenisset, quomodò natus ex virgine, quomodo passus, quomodò sepultus die tertia resurre-

Coniuratur dæmon.

Mortui resurgunt.

Sanantur infirmi voce Apostoli.

Prædicatio B. Philippi.

xerit: quomodo post resurrectionem, eadem, quæ ante passionem suam docuerat: quomodo videntibus Apostolis ascendisset in cælos: quomodò denique misisset Spiritũ sanctum, quem promiserat: qui veniens quasi ignis, sedisset super Apostolos duodecim, & omnium linguas ac sermocinationes mentibus Apostolorum suorum inseruisset. Ex quorum ipse numero huc missus, scire vos facio, idola vana esse, & cultoribus suis inimica. Hæc & his similia dicente Apostolo, crediderunt vniuersi populi. Et eliso Martis simulachro, multa millia hominum baptizata sunt. Ipse verò Apostolus ordinatis presbyteris & diaconibus, ordinato etiam Episcopo, & Ecclesijs multis constructis, per reuelationem in Asiam reuersus est, & in ciuitate Hierapoli exinde commorabatur. Vbi hæresim malignam Hebionitarum extinxit: qui dicebant, non verum hominem natum, ex virgine Dei filium assumpsisse. Erant autem isthic duæ filiæ Apostoli virgines sacratissimæ, per quas Deus multitudinem virginum lucratus est. Ipse autem Philippus ante septem dies migrationis suæ

Idola confringuntur. Presbyteri & Diaconi ordinantur. Successorem relinquitàse ordinatum Episcopum Hieropolim reuertitur. Hæresis Hebionitarum extinguitur. Filiarum Apost. gesta.

ſuæ vocauit ad ſe omnes presbyteros & diaconos, ſed & vicinarum vrbium Epiſcopos, & dixit eis: Hos vij. dies mihi Dominus in iſta vita conceſsit: quare memores eſtote doctrinæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſtate aduerſus minas inimici viriliter. Dominus autem compleat promiſſa ſua, & corroboret Eccleſiam ſuam. Hæc & his ſimilia prædicans Apoſtolus Domini Philippus, annorum octuaginta ſeptẽ: perrexit ad Dominum, & in ea ciuitate Hierapoli poſitum eſt ſanctũ corpus eius. In cuius tumulo poſt aliquantos annos, duæ ſacræ virgines, filiæ eius dextra læuaq; ſepultæ ſunt. Vbi præſtantur beneficia Dei, orante Apoſtolo, omnibus qui credunt vnum Deum patrem inuiſibilẽ, incõprehenſibilem, & immenſum, quẽ vidit hominũ nullus, neque videre poteſt: & in vnũ eius vnigenitum Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui crucifixus eſt pro ſæculi delictis: & in vnum poſtremò Spiritũ ſanctum paracletum, inluminatorem animarum noſtrarũ, & nũc & ſemper, per infinita ſæcula ſæculorum, Amẽ.

Confirmat credentes.

Mors beati Philippi.

Sepultus eſt Hierapoli.

Iuxta ſepulchrum patris aſtant filij dextra leuaque.

Finis Abdiæ Babyloniæ Epiſcopi.

VITA SANCTI MATTHIAE APOSTOLI, VERsa ex Hæbræo, incerto authore.

PROLOGVS.

CVM multo studio ac solicitudine flagrarẽ, quomodo gesta Beati Matthiæ Apostoli, quæ apud nullum habentem ecclesiasticorum interpretum inuenirem, quidam presbyter nomine Theodoricus fluctuantem ac tristem me videns, causasque à me tristitiæ requisiuit, & accepit. Vnde summa exultatione perfusus, quia hoc in me studiũ inuenerat, dixit, quòd si eorũdẽ gestorum interpres esse cuperem, cum quodam Iudæo familiari suo se acturum, vt mihi librum, quem ipsi Damnatorũ intitulant, quòd in eo contra legẽ agentium damnatio cõtineatur, Matthiæ scilicet, & Iacobi vtriusq;, & Stephani, idem Iudæus præsentaret. Didiceram autẽ eo ipso tempore à quodam Iudæo literas Hæbraicas. Venit ergo Iudæus, libellum deferens: cuius cùm ego titulum legerem, Sic hasirim, hoc est Cantica canticorũ scri-

Occasio scribendi qui alij.

ptum

ptum inueni: tanta indignatione commotus sum, vt vix ab eo manus continuerim. Nam illo innato sibi in Christianos odio decipere me gestiebat. Et tu, inquam, leno spurcissime, clericúmne fallere tentas, qui Hæbraicarum Græcarum & Latinarum literarum, historiarumque plenā habet scientiam. Nihil est certè in omni vestra bibliotheca, siue Græca, siue Hæbraica, quod nesciam. Quod quidem falsò, sed ex industria dixi. Timore igitur correptus, maximè ne ei apud Principem, cum quo benè poteram, ea potestate nocerem, iureiurando promisit, se mihi satisfacturum: quod & fecit. Lecto namque titulo libri, quem postmodum detulit, Haymatay. hoc est, Vita Matthiæ, scriptum deprehēdi. Venitque opinatus omnia me intelligere, quæ infra scripta erant, licet inuitus, omnem tamen ex ordine gestorū mihi veritatē aperuit, accepto à nobis precio solidorum viginti trium. Posthæc Dominus meus Archiepiscopus, anno sequente, ab alio Iudæo in periculo rerum suarū cōstituto, ita se habere deprehēdit, excepto, quòd cū ad nomen

Historiæ veritatē dicit precio.

suum

ſuum dixit alluſiſſe verſiculo Pſalmi. Poſtremò cuidam incluſæ, pro hoc ipſo triduanũ agenti ieiunium, à Domino idem reuelatum eſt. Legatur igitur abſque omni ſcrupulo hæſitationis, quod tam certis argumentis verum eſſe probatum eſt: quia omne dubium Spiritus ſanctus aboleuit. Quo modo autem de Iudæa Treuerim venerit, ſicut in hiſtoria Treuerica, & in monumentis Syluestri Papæ Romani legi, miracula quoque eius ſubſequenter edifferam.

PRAEFATIO.

REuerendiſsimo Domino ſuo, Eccleſiæ Sancti Eucharij Treueris, Abbati verè digniſsimo, humilis Leuita, omnium fratrum illi commiſſorum vltimus, debitæ ſubiectionis deuotum obſequium.

Cùm verbo ſimul & opere præpolleas, pater beatiſsime, plurimos à leuitate ſæculari retractos theoricæ clauſtro ſocietati, ex quibus inſpecialius illud tuæ ſolicitudinis ſtudiũ impendi-

pendisti Attestantur ijs tua instantia cottidiana ammonitio, correptio. Quam licet ex iuuenili leuitate non satis libenter excipiam, ex qua tamen pietate prodeat, cùm mentem à vanitate recolligo, non ignoro. Illud quoque praeterire non debeo, quòd me lectioni instare iugiter praecipis & hortaris, ne scilicet ociosum inimicus inueniat, ne murmurando mentem occupet, ne detractio in lingua deseruiat, ne manus operi quod ad rem non attinet, insistat. Praecipit igitur beatitudo tua, vt vitam beati Matthiae Apostoli, ad cuius ossa dignè praesides, ab Hebraico volumine, qui Damnatorum intitulatur, quòd in eo contra legem agentium iudicia contineantur, exceptam, latiùs exponerem, secundum indagatam auido, vel potiùs extortam omnem rei veritatem. Quod ego, licèt audaciae meritò denotet, feci tamen, vt potui. Proinde licebit,

Cuius impulsu scripserit.

Quale studium debeat esse praesulum.

alij

alij latiùs, tum eloquentiùs explanare stilumq; rusticum lima vrbana decentiùs expolire. Dominus te incolumen nobis custodiat, pater charissime: Amen.

GESTA SANCTI MATTHIAE APOstoli.

Patria. B. Matth.

IGitur gloriosissimus Apostolus Domini nostri Iesu Christi, Matthias, de tribu Iuda, ciuitate Bethlehem, illustri prosapia oriundus fuit.

Parentes Apostol. Deo hominibusque grati

Parentes autem illius cùm multis diuitijs & nobilitate generis insignes, tũ venerandi apud Deum homines morum venustate pollebant. Vnde verè illis diuinitùs concessum fuisse creditur, vt religiosi parentes, religiosiorem ex se filium procrearent.

Matth. etymologia.

Natum itaque puerum Matthiam, quod in nostra lingua Dei paruus, siue donatus, sonat, nuncupauerunt: quem tum ab annis puerilibus diuinæ legis institutionibus statim manciparunt. Ad pedes namque Simonis, summi & incom-

incomparabilis viri, atq; tunc temporis in lege Mosaica doctissimi, prima legis elementa perceperat. Diuina siquidem cooperante gratia, omnem in breui legis & Prophetarum scientiam comprehendit. Studebat iam in ætate tenera, maiorũ imitari exẽpla, diuinæ legi iugiter incumbere, lasciuiẹ sensum non impendere, sed annos pueriles morum vincere maturitate. Proinde adolescens factus, crebris disputationibus examinatus, non solùm condiscipulis, sed ipsi magistro suo mirabilis habebatur. Quippe qui licèt eruditissimus esset, nullatenus tamen extollebatur, sed iuxta sui nominis etymologiam, verè se paruum & humilem exhibere nitebatur: illud semper memorans: Quantò maior es, tanto magis humilia te in omnibus. & illud viri sapientis. Superbũ sequitur ignominia, humilem autem gloria. Erat igitur Beatus Matthias corpore mundissimus, animo purus, in soluendis sacræ scripturæ quæstionibus acutissimus, in consilio prouidus, in sermocinatione nudus penitùs & expeditus. Informabatur sensim animo ad virtutẽ, vt esset ad intelligen-

Præceptor Apostol.

Studijs deditus à pueritia.

Modestia S. viri.

ligentiam habilis, ad misericordiam facilis, in prosperis non elatus, in aduersis constans & intrepidus. Satagebat, vt quod sensu perceperat, opere complere, & oris doctrinam manus assertione comprobaret. O beatum virum, qui sub vbera positus, opera lucis exercebat: qui legi subditus, virum gratiæ præferebat. O beatum virum, cuius laus non solùm in Ecclesia sanctorum: sed quod mirificum magis est, in synagoga resonabat impiorum. Nam qualis quantusque æstimandus est fuisse, quem boni totius æmuli, ijdemque damnatores eius, non desinunt laudibus extollere? Vt igitur lucerna de medio legis ad candelabrum transfertur Ecclesiæ, vocatione Christi dignus habitus, Christum pauperem pauper ipse secutus, in sortem & numerum septuaginta duorum discipulorum ab ipso Domino designatus est. Completo deinde dispensationis Dñicę ministerio, incarnatione videlicet, passione, resurrectione & ascensiõe in cælos, surgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autẽ turba hominum ferè cẽtum viginti viri) Fratres, oportet impleri scripturã quam prædi

Laus Apostol.

In numerũ discipulorũ à Christo delectus est.

Act. 1.

xit

xit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda, qui fuit dux eorũ, qui cõprehenderunt Iesum: qui numeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrũ de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, ita vt appellaretur ager ille Acheldemach lingua eorum, hoc est ager sanguinis. Scriptũ est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eius deserta, cuius non sit qui inhabitet in ea, & Episcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioãnis vsq; in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiã. Et orantes dixerunt: Domine, qui corda omnium nosti, ostende quem elegeris ex his duobus, vnum accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus

Iudas proditor.

Duo proponuntur ad electionem.

catus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. Dum ergo complerentur dies Penthecostes, accepta in linguis igneis gratia Spiritus sancti, dispersi erant Apostoli toto orbe terrarum. Tunc beatus Matthias ex decreto eiusdem Spiritus sancti, Iudæam in sortem prædicationis accepit. In qua, quemadmodum diuina gratia quosdam mancipans, æmulorum in se liuorem accenderit, sermo sequens declarabit. Anno igitur post passionem Domini tricesimo tertio, plus minùs, Anano iuniore, qui & Akauua, pontificatũ adepto, credẽs se opportunũ tempus inuenisse, idem pontifex, aduersùs discipulos Domini, Festo præside mortuo, & Albino adhuc in itinere constituto, concilium iudicum fecit: & quosdam deducens ad se, inter quos & fratrem Iesu Iacobum, tradidit puniendos. Qua tempestate beatissimus Apostolus Domini Matthias, verbũ vitæ æternæ per circuitum Iudæis nunciabat, multosque filiorum Israël ad Deũ signis ac prodigijs conuertebat. Cæcos namque illu-

B. Matth. ex spiritu deligitur ad Apostol.

Incipit afflictio discipulorum Iesu.

B. Matth. nihilominus annunciat Euangeliũ vitæ.

illuminabat, læprosos mundabat, dæmones ex obsessis corporibus in Christi nomine effugabat, claudis gressum, surdis auditum, mortuis quoque vitam restituebat. Instruebat quod erat vitæ, quod morum, quod religionis: Moysen quidem sanctum prædicans, legem nihilominus omni cultu dignissimam, sed quæ sub palea literæ maxima in se Christi & Ecclesiæ Sacramenta continebat. Christum denique ab ipso Moyse signis & ænigmatibus præfiguratum, verbis propheticis annunciatum, in redemptionem generis humani missum à Deo patre, per virginem mundo innotuisse, diuinæ legis comprobabat testimonio. Plurimaque edisserens & interpretans illis, omnia signis potentissimis approbabat. Dũ ergo in hunc modum circuiret vicos & castella, benefaciens, & annuncians regnum Dei, deuenit in ciuitatem Galilææ nomine Galim, quæ Latinè Giscala dicitur. Et introiens in synagogam, cœpit ex scriptura legis euãgelizare Christum Iesum. Illi autẽ nitebantur contrà ire sermonibus eius, blasphemijs & detestationibus male-

Miracula eius.

Pseudoprophetæ resistunt Apostolo.

maledicentes nomini Sancto. Cumque instantiùs ipse de Iesu sermonem faceret, illi zelo repleti, duxerũt eum vincientes, & nunciauerunt principi Sacerdotum & senioribus, dicentes: Condemnati illius Iesu, qui se filium Dei dicebat, discipulum comprehendimus, quem subuertentem plebem per synagogas & compita deprehendimus. Quid facto opus sit, consulite. Nos eum multis quæstionibus legis examinauimus, & inuenimus hominem contra legem agentem quidem, sed in ipsa lege peritissimum, qui & gloriatur Simonem se habuisse magistrum. Nobilis est, genere illustris, & acceptus in plebe: quamobrem decreuimus in illum nihil absque auctoritatis vestræ imperio præsumere.

Composita simulatio.

Quidam autem ex synagoga principis dixerunt: Lex nostra, fratres, vt nostis, hominem non nisi ex sua confessione, seu testium veracium assertione condemnat: sicut scriptum est, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, & absque testibus nemo punietur. At illi dixerunt: Inuenimus per synagogas eum auertẽtem populum, per totam Galilæam con-

Accusatio summa.

conuenticula facientem, circumferentem doctrinam Iesu Nazaræni, iudicio principum crucifixi. Denique non est vicus aut ciuitas, in qua nouam sectam non inuexerit homo perditissimus, qui in Moysem locumque sanctum & legem blasphemare non timuerit. Huius rei testes sumus. Pontifex Ananus dixit: Nomen illius edicite. Responderunt: Matthias, natus de Bethlehem Iuda. Pontifex dixit: Quoniam quidem non expedit nobis, & generi nostro, sermonem de Iesu propagari, adducatur, vt si qua temerariè per ignorātiam protulit, per pœnitentiam diluat: sin alias, pœnam præuaricationis incurrat. Abeuntes igitur cum ministris, pontificibus, & alijs principibus magistratuum, adduxerunt beatū virum in conciliū. Quem intuitus pontifex, ait: Scit omne conciliū hoc, & orbis vniuersus, in quantum respublica nostra peruenerit opprobrium, non quidem culpis nostris exigentibus, sed paucorum qui ex nobis exierunt peruersitate, præsidumque Romanorum auaritia, vel vt correctiùs dicam, seueritate. Fuerūt enim non nominandi quidam rerum nouarum

Rhetoricis coloribus instructa oratio, Pontificis Anani aduersus B. Matthiam.

uarum cupidi, sectas adducentes, per quos quot millia Iudæorum peruersa sint, quot à Romanis principibus interempta, vos meliùs nostis. Nec enim talia vos aut ex ipsa sui magnitudine latere potuerunt, & ex ipsa vicinitate, seu potiùs visione terruerũt: Veruntamen eorum cum suis auctoribus vanitas, non sine magno nostri generis opprobrio penitùs interijt. Nec inuentus est qui populum ex ipsorum superstitione, vel hæresi post illos irretierit. Fuerũt enim, Iudas Galilæus, Theodas magnus, quos post ipsorum interitum nemo recolit, nemo venerari vel imitari contendit. Maximus horum hæresiarches Iesus Nazarænus surrexit, qui se Deum & Dei filiũ prædicans, legis obseruationes nihili pendit, multorumq; oculos & animos signis suis & præstigijs illiciens conuertit. Suscepit tamen & in se decreta legis, quæ contempsit, realiter hæc adprobãs, quæ verbaliter interdixit. Sed quorsum ista? Scimus, à Dño, Moysi sancto legem datam, à patriarchis verbis & effectibus approbatã, à prophetis nihilominus obseruatam, quibus & Deus miracula dedit

Iudas & Theodas pseudochristiani.

Blasphemia Pharisæorũ in Christum.

dit facere, qualia Iesus patrare non potuit. Quis enim nesciat, Moysen cum Dño, quasi hominē cum homine, collocutū? Quis nesciat, Heliā igneo curru ad sidera transuectū? Quis ignoret, cadauer Helisei mortuū sepulchro iniectum suscitasse? Quis ambigat, cæteros DEI sanctos miracula plurima & prodigia perpetrasse? quorum tamen nullus hāc dignitatem diuini nominis vsurpauerit, nullus legē viuendi nouā adinuenerit. Denique sancti prophetæ, abiecto habitu, voce humili, quantum datur intelligi, non sponte, sed torrente spiritu locuti sunt. Hic autē ad ostentationem agens omnia, passim verba vana iactauit. In tantum enim eius processit insania, vt & principes sacerdotum eius laceraret contumelijs, scribas & pharisæos hypocritas appellaret. Quis horum prophetarum id præsumpsit? Sed iste præsumptionis suæ dignum finem inuenit. Atque vtinam memoria eius cum ipso perijsset, nec superesset qui errorem doctrinæ ipsius, semel emortuum, resuscitaret, Sed præter votum accidit. Ecce vt templum sanctum, ciuitas sancta, leges patriæ Romano

Authoritatem Christi diminuunt ex circunstantijs.

Odij magnitudo declaratur.

præsidi & Romanis legibus exposita sint. Non est qui condoleat, nō est qui misereatur, nemo est q̃ iudicet, nemo qui reputet. Trahimur ad iudicium, & sustinemus: seducimur, & assentimur: in diremptionem sumus, & tacemus. Isti præcipuè Galilæi in manus Romanorū nos tradunt, dū sanguinē Iesu, quasi innocentis hominis, in nos & in genus nostrum refundere non erubescūt. Expedit itaque nobis, vt pauci pereant, ne Romani totū locum deleāt, & gentē. Et duobus enim malis si neutrū vitari poterit, minus & tolerabilius eligendū est. Prospicere tamen & errantibus, & salutis offerre remedium, magis est sententiæ quā de voluntario ipsorū interitu vel perditione gratulari. Neque enim nos in periculis positi, cuiusquā desideramus periculum: sed quod nostro potius competit officio, lapsos reformare, errantes corrigere, periclitantibus adesse, summoperè studemus. Perpendat igitur & hic animi nostri mansuetudinem: tempus habet, habet inducias, quo interstitio possit animum religioni reuocare. Habet potestatem pro se quæ expediunt allegare, verbisque

In odium trahuntur discipuli Christi.

bisque excusatorijs obiecta refellere: Tunc repletus Matthias Spiritu Sancto, extensis in cælum manibus, dixit: De obiectis, viri fratres, quæ vos crimina dicitis, non oportet me multa dicere: quoniam quidem Christianum esse non est criminis, sed gloriæ, Nam ipse dicit per Prophetam, dicens: Vocabo seruos meos in nouissimis diebus nomine alio. Pontifex Ananus dixit: Quomodo? non est criminis, legem sanctam pro nihilo ducere? DEVM inhonorare, fabulisque superstitiosis & inanibus vacare? Matthias respondit: Si verbis meis patienter auditum præbeatis, docebo qualiter hoc quod prædicamus, fabulosum non sit, sed ab initio legis testimonijs approbatum. DEVS patrum nostrorum, Abraham patrem nostrum eduxit de Vr Chaldæorum, repromittens ei terram Chanaam se daturum, cùm neque filios, neque filias haberet, & Sara vxor eius sterilis esset: de qua tamen scriptum est, Credit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et locutus est Dominus ad Abraham, dicens: Iuxta condictum reuertar ad te, & habebit Sara fi-

Christianorum nomen gloriosum.

Prædicatio Apostol. per successionem gloriam Dei quærit.

ra filium. Per repromiſsionem ergo natus eſt Abraham patri noſtro filius, quem appellauit Iſaac. Ex illo autem Iacob, qui primogenita quidem fratris ſurripiens, electus à Domino, in quo repromiſsio fructificaret, ſicut ſcriptura dicit: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Cumque zelaretur Eſau Iacob, vt eum occideret, abijt Iacob in Meſopotamiam ad Laban, & ſeruiuit ei ſub mercede, vſquequo loqueretur ei Dñs, dicens: Reuertere in terram natiuitatis tuæ. eroque tecũ, & eruam te, & liberabo, dicit Dñs. Cùm ergo abijſſet cum multa familia & peculio, & veniſſet in Phanuel, deſcendit vir & luctabatur cum eo vſque mane. Dixitque ad eum: Dimitte me, aurora eſt. Qui reſpondit ei: Non dimittam te, ni benedixeris mihi. Et benedixit ei, dixitq; Non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. Sciſcitante autẽ illo nomen viri, ait: Cur quæris nomen meum? quod eſt mirabile. Et abijt Iacob, & cum illo quos genuerat in terra aliena duodecim patriarchæ: quibus præmiſit Dominus in Aegyptũ, firmamẽtum & ſaluatorem, qui adeſſet eis, & ſemini eorum,

Mutatio nominis Iacob.

in

in tempore afflictionis suæ. Facta deinceps fame in terra Chanaan, descendit Israël in Aegyptum, in animabus septuaginta, & habitauerunt patres nostri in oppidis Gessen, & multiplicati sunt nimis. Cùm ergo affligerentur ab Aegyptijs, surrexit Moyses, vir potens & eruditus, qui fugiens Pharaonem persequentem, deuenit in Madian. Vbi dum pasceret oues soceri sui sacerdotis Madian, in deserto, apparuit ei Dñs in igne flammæ rubi. Adpropinquante autē illo, vt videret visionē mirabilē, dixit ad eū Dominus: Solue calceamentum de pedibus tuis. Quid autē, fratres (scientibus enim legē loquor) signum repudij fuit? Quod intelligens idem vir sanctus, ait: Obsecro Domine, mitte quem missurus es: significans videlicet, quod ijsdem posteà scribit, filijs Israël, dicens: Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquàm me ipsum hunc audietis, iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Et iratus Dominus in Moysen, ait: Ecce Aaron frater tuus venit in occursum tuum, ostendens nondum consummatam plenitudinē tēporis, in quo verus ille nuncius adesset,

Transmigrationis causa.

Moysis apparitio in Rubo.

esset, qui populum suum non de manu significatiui Pharaonis, sed de potestate intellectualis & significati, qui est diabolus, liberaret. Significatiua enim cætera omnia, quæ gesta sunt fuisse. Phase vestrum indicio est, quod à patribus ad literam celebratum, maxima in se mysteria continere, manifestis & euidentibus de causis patet. Quid enim esus agni carniū proderat ad conscientiam? Quare renes accingitis? Quare baculos in manibus, calceamenta in pedibus habetis? Hæc omnia, fratres, licèt sciētiam legis habere videamini, sicut scriptū est, si non credideritis, non intelligetis. Quomodo enim sanguis agninus in vtroque poste, & in superliminari aspersus, ab exterminatore vos eriperet, nisi crucem IESV, qui dicitur Christus, figuraret? De ipso nanque Esaias dicit: Sicut ouis ad occisionem duceretur, & inter cætera, inter iniquos reputatus est. Vt ergo nomen Iesu pontifex audiuit, furore repletus ait: Hæc itaque ad destructionem legis prosequeris? An ignoras scriptum, Si quis propheta vel somniator in Israël surrexerit, vt auertat vos à lege Domini

Legatio ad Pharaonem suscepta pro liberatione Israëlis.

Prophetia de paßione Meßiæ.

Domsni vestri, morte moriatur homo ille. Matthias respondit: Propheta ille de quo nobis sermo, non solùm propheta, sed & Dñs est prophetarũ, & DEVS. Dei filius, cuius diuinitas manifestis indicijs declaratur. Hac igitur ratione ductus, in ipsum credidi, sperans ꝙ in confessione nominis eius perseuerabo. Pontifex dixit: Quid si dentur inducię, vis ne pœnitere? Matthias respondit: Absit à me, vt à veritate quàm semel inueni, non per pœnitentiam, sed per apostasiam digrediar. Iesum Nazarænum, quem vos quidem negastis, verum Dei filium, per omnia patri consubstantialem, & coæternum, atque coæqualẽ, corde confiteor, ore prædico: CHRISTI seruus sum, aliud esse nõ potero. Tunc pontifex obturans aures suas, & stridens dentibus, in eum clamauit, & ait: Blasphemauit. Et subiunxit, Audiat legem. Et lecta est, iuxta quod attinebat: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & quī blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo: Non parcet illi oculus vester. & auferetis malũ ex vobis.

Christi Prophetarum authoritas.

Signa furoris.

Cùm igitur vir ſanctus nec blandimentis euerti, nec minis aut terroribus concuti poſſet, protulit in eum, ſententiã. Os enim, inquit, tuum contra te locutum eſt, ſanguis tuus contra caput tuum. Proinde ductus eſt ad pœnam. Cùm ergo veniſſet ad locum Bethlaskila, id eſt, domũ lapidatorũ, ſilentiũ indixit, & ait: Scriptũ namque eſt, cùm videro faciem Dñi Dei Sabbaoth, nunqd non viuet anima mea? (vel vt alij peritiori Iudæo, ſecũdum Hebraicam veritatem magis placuit.) Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Ait enim, quia prima & vltima litera nominis, quæ ſunt Mem & Iod, ſimul iunctæ, reſonent: quin & ipſe per has literas alluſerit ad nomen ſuum, verſiculo Pſalmi. Et ſubiunxit vir ſanctus. Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Dauid, dicens: Captabant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt, & Ezechiel ait: Mortificabant animas quæ non moriuntur. Teſtes igitur duo numero, ſecundum legis mandatum poſuerunt manus eius ſuper eum, & in tumulo lapidum deiecerunt eum, ac primi lapides miſe-

Suſpiria Apoſt. ad Dominum.

Conſuetudo lapidandi veterum.

tunt

runt. Matthias autem petijt illos duos lapides consepeliri sibi, in testimonium illis. Et lapidatus ab illis, securi quoque Romano more percutitur, vt quasi præsidi Romanæ maiestatis in hoc aliquid deferretur. Tunc extensis ad cęlum manibus, reddidit spiritum, die vj. Kalendarum Martiarum. Et accedentes viri ex discipulis eius, sepelirunt eum: quorum nomina sunt hæc: Lachis, Kaph, Himna, Heimhda, Samuel, Simon, Naamen, Ioseph, Ismahel, Simeon, Ioannes. Quique Ioannes gratia Dei destitutus apostatauit, cæteris permanentibus in fide Domini nostri Iesu Christi, cui est honor & gloria cũ æterno patre & sancto Spiritu, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Martyrium Apostol.

Sepultura B. Matth.

Apostatatio discipuli,

HISTORIA DIVI MARCI Euangelistæ, ex vetustissimo codice descripta, incerto authore.

PEr idem tempus, quo dispersi erant Apostoli toto orbe terrarũ, cõtigit beatissimum Marcũ ad Aegypti regionẽ diuina volũtate pertingere, vnde eũ Euangelistã Sãcti

Dispersio Apostolorum.

B Marcus in Aegyptum abijt.

Canones Catholici & Apostolici decreuerunt. Propter quod primus in tota Aegypti regione, in Lybia, Marmarica, & Ammonica & Pentapoli prædicauerat Euangelium, & aduentum Dñi nostri Iesu Christi. Erant enim cuncti qui in his terris habitabant, incircuncisi, & idolis seruientes, & delubra & simulachra domestica fabricabant: exercitationes quin etiam nefandissimas habebant: ac maleficia, omnisque cōtraria virtus apud eos vigebat, quam Dominus noster Iesus Christus aduentu suo disperdidit atque destruxit. Cùm ergo venerabilis Euangelista Marcus Cyrenen, quæ est apud Pentapolim, peruenisset, erant enim illic secundū genus eiusdē religionis indigenæ, his Apostolus faciēs exordiū diuini sermonis, infirmos sanabat, leprosos mundabat, spiritus mutos nequissimos per gratiam Christi solo sermone curabat: plurimi per eum in Dominū nostrum Iesum Christum crediderunt, & destruentes idola sua, lucosque succidentes, baptizati sunt in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Dein etiam reuelatur ei per Spiritū sanctū, vt ad fanū Alexandriæ per-

Euangelium Apostoli quomodo probatum.

Christus aduentu suo Idola & tēpla destruxit.

Pentapoli prædicationē incipit.

pergeret, & sereret ibi bonum semen diuini sermonis. Igitur beatissimus Euangelista Marcus, velut athleta fortis, simul ad certamen prompta mente gradiebatur. Itaq; fratribus ait: Dominus meus locutus est mihi, vt Alexandriam proficiscar. Qui prosecuti sunt eum vsque ad nauim: & manducantes panē cum eo, dimiserunt eum, dicētes: Dominus Iesus Christus prosperum faciat iter tuum. Venerabilis ergo Marcus Alexandriam die secundo peruenit. Egressusque de nauicula, venit ad locum quendam. Et mox vt ingressus ciuitatē, calceamentum eius disruptum est. Et beatus apostolus intelligens illud, ait: Verè iter meum expeditum est. Quendam autem conspiciens qui suere vetera solitus est, ipsi calceamentum tradidit corrigandum. Qui cùm faceret, sinistram manum suam fortiter vulnerauit, & exclamauit, Vnus Dominus. Beatus autem Marcus audiens, quod dixerat, vnus Dominus: ait intra semetipsum gaudens, Prosperum fecit Dominus iter meum. Et expuens in terrā, vnxit manum viri, dicens: In nomine Iesu Christi filij Dei. Et confestim sanata est

Alexandriam petit diuino spiritu.

Calceamenti diruptio.

Miracula illic.

est manus eius. Sutor autem veterum considerans tantam viri potentiam, & efficaciam verbi eius, vitæq; continentiam, dixit ei : Obsecro te homo Dei, vt venias, & declines in domum serui tui, & comedas panem : quia fecisti hodie misericordiam mecum. Beatus autem Marcus lætus effectus ait: Dominus det tibi panem vitæ de cælo. Homo itaque coëgit Apostolum, & introduxit eum in domum suam, gaudens. Ingressusque sanctus Marcus, ait : Benedictio Domini hic omnibus sit: oremus fratres, & orauerunt simul. Cumq; gratularentur, ait homo: Interrogo te, vnde es, vel vnde sermo iste fortis in te? Respondit ei B. Marcus : Ego seruus sum Domini Iesu Christi, filij Dei viui. Dixit autem homo ille: Vellē videre eū. Respondit B Marcus: Ego tibi eum demonstro. Et cœpit initiū facere euāgelij Iesu Christi, & ostendere ei quæ à prophetis de eo fuerant prædicta. Dixit autem homo illę : Ego scripturas, quas tu dicis nunquām prorsus audiui : sed Iliada & Odysseam, quibus Aegyptiorum filij pro sapientiæ studijs imbuuntur.* Tunc cœpit B. Marcus Euangelizare ei Domi-

Vana hominum exercitatio si in illis cōsenescamus.

Dominum Iesum Christum, declarans quòd sapientia mundi huius stultitia sit apud Dominum. Credidit autē homo ille in Dominum, docente B. Marco, & signa atque prodigia faciente. Et baptizatus est ipse, totaque domus eius, & magna multitudo loci illius. Vocabatur autē ille Anizanus. Cum que plurimi facti essent credentes in Domino, audiētes viri ciuitatis, quòd Galilæus quidam ibi venerit, qui eorum sacrificia destrueret, & prohiberet cærimonias eorum, quærebant interficere eum, ponentes ei multas insidias. B. autem Marcus agnoscens eorum consilia, Anizanum ibidem ordinauit Episcopum, & tres presbyteros: id est, Melium, Sabinum, & Cerdonem: & septem Diaconos, & alios vndecim ad ecclesiasticum ministerium pertinentes. Et Pentapolim pergit, commoraturque ibi dein duobus annis, confortans fratres, qui illic antè crediderant. Et ordinans Episcopos per regiones illas, & clericos, iterum Alexandriam venit, & reperit fratres multiplicatos in gratia & in fide Domini, ecclesiamque constructam ab eis in loco qui vocatur Buculus, id est

Anizanus vocatur ad fidem prædicatione Apostol.

Anizanus ordinatur ibidem Episcopus.

Tres presbyteri & septem Diaconi creantur.

est Bubulci, iuxta mare sub rupibus. Et lætatus est iustus valde, positisque genibus Domino laudem dedi. Cum autem iam impleretur tempus eius, & Christiani multiplicarentur, irridentes simulachra, subsannātesque Gentiles: cognouerunt ibidem profani aduenisse Sanctum, & repleti sunt liuore propter miracula, quæ eum facere compererant. Infirmos enim sanabat, prædicabat surdis, cæcis visum cōdonabat. Et quærebāt eū adprehendere, nec poterant inuenire: fremebātque dētibus suis, in spectaculis idolorum suorum, & in festis comessationibus suis clamabant, Magna vis huius magi. Factū est autē, vt beatissima festiuitas nostra Paschalis, id est Dominicus dies sanctus occurreret vicesimo die mēsis Pharmuthi, quod est VIII. Kal. Maij. quo tempore eorū Serapaica agebatur celebritas. Hac igitur oportunitate adiuti, insidiatores protinus dirigunt: qui repererunt eum orationis oblationē diuinæ Maiestati sacratissimam celebrātem. Tollentes verò eū, miserūt funē in collo eius, & trahentes dicebant: Trahamus Bubalū ad loca buculi. S. aūt Marcus cùm

De lætitia profectu fidei.

Dies dominicus deputatur insidijs.

Fune incollum iniecto trahitur ad templum.

cũ traheretur, gratias referebat saluatori Christo, dicens: Gratias tibi ago Domine mi Iesu Christe, quia dignus habitus sum hæc pro nomine tuo pati, erantque carnes eius defluentes in terra, & saxa inficiebantur sanguine eius. Cumque vespera facta esset, miserunt eum in carcerem, vsque dum pertractarent, quali eum morte disperderẽt. Circa mediam verò noctem clausis ostijs, & custodibus ante fores dormientibus, ecce terræmotus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de cælo, qui tetigit eum, dicens: Famule Dei Marce, & princeps propagatorum sanctissimorum per Aegyptum decretorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cælestis adscriptũ est, & memoriale tuũ nõ derelinquetur in sæculum: socius enim factus es supernæ virtutis. nam in cælis spiritũ tuum colligent: in te requies non peribit. Hunc enim finem beatissimus Marcus inspiciens, manus ad cælum extendens, dixit. Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quia nõ me dereliquisti, sed connumerasti cum sanctis tuis. Obsecro Domine Iesu Christe, suscipe in pace animam meam, & ne

me

me patiaris à gratia tua separari. Hæc cùm dixisset, venit ad eum Dominus Iesus Christus in habitu quo fuerat cum discipulis suis, & qua forma antequam pateretur, & ait ei : Pax tibi Marce Euangelista. Et ille respondit: Dñe mi Iesu Christe, & abijt. Mane autē facto conuenit multitudo ciuitatis & eijciētes eū de custodia, miserūt iterum funem in collo eius, & trahebāt eum, dicentes : Trahite bubalum ad loca buculi. Sanctus autem Marcus cùm traheretur: gratias agebat Domino Iesu Christo, dicens: In manus tuas commendo spiritum meum, & hoc dicens beatissimus Marcus tradidit spiritum. Immanis aūt multitudo gentilium ignem succendētes, in loco qui vocatur ad angelos, voluerūt reliquias sanctas comburere. Tunc prouidentia Dei Saluatoris Domini Iesu Christi, valida tempestas exorta est, & procella venti facta est vehemens: sol quoq; subtraxit suos radios, & tonitrua fuerūt grauia: imberque plurimus à mane vsq; ad vesperū, ita vt habitacula multorū corruerent & plurimi morerentur. Metuentes itaque custodes, dimiserūt sanctū corpus, & fugerunt

Insultatio carnificum.

Obdormit in Christo A. post.

Miracula S. Marci subsecuta.

gerunt. Alij verò deridentes: dixerunt: Beatissimus Serapis noster in sua hodie festiuitate, hunc virũ voluit inuisere. Tunc religiosi viri venientes, iusti corpus collegerunt, & detulerunt, vbi orationes sollicitè erant Domino sine cessatione celebrantes. Fuit autem forma B. Marci huiusmodi: Longo naso, subducto supercilio, pulcher oculis recaluaster, prolixa barba, velox, habitudinis optimæ, ætatis mediæ, cano aspersus, affectione continuus, gratia Dei plenus. Factis igitur orationibus sepelierũt eũ, sicut ciuitatis consuetudo poscebat: & posuerunt eum in loco lapidis excisi, cum gloria venerantes memoriã eius, cum sobrietate, & precibus gratulantes quòd primus viuum & preciossimum metuit Alexandriæ thronum. Repositus est autẽ in parte orientali, dormiuitque beatissimus euangelista, primus Domini nostri Iesu Christi martyr apud Alexandriam Aegypti, die quę est apud Romanos VII. Kalend. Maij, iuxta Hebræos autem octauo decimo, imperante Caio: regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Sepultura sancti viri.

Describitur corporis figura & symmetria.

Loci cõsuetudo obseruatur in sepultura.

BEATIS-

BEATISSIMO PATRI IVLIO TERTIO PONTIFICI MAXIMO, Ioachimus Perionius Benedictinus Cormœriacenus. S.D.P.

CVM ipſe mecum reputo Iuli Pontifex Maxime, quàm multi & Græci & Latini ſcriptores vitas resque geſtas Imperatorum literarum monumentis mandare, & ab hominum obliuione vindicare ſtuduerint, non poſſum equidem non magnopere mirari, tam paucos eſſe, qui idem officium ſanctiſsimis clariſsimisque illis duodecim viris, quos Chriſti Apoſtolos Græco ſermone, id eſt, legatos & quaſi nuncios, maiorum noſtrorum inſtituto nuncupamus, ſibi præſtandũ putauerint. Etenim, ſi tot homines ad illud officiũ cõmunis voluptas atq; vtilitas, quę duo in hiſtoria vel ſola vel maximè ſpectãtur, excitauit, eædẽ profectò cauſæ, quæ hic multò & graviores & veriores, quàm illic omnibus

bus propositæ sunt, non solùm eundẽ paremq; hominum numerum, verũ etiam plures, vt idẽ horum causa susciperent ac efficerent, impellere & potuerũt, & verò debuerunt, Nam, vt de oblectatione primùm dicã. Cùm illi quòd maximã in eo voluptatẽ posteris propositam putarent, si quibus armis, quibusque artibus ac rationibus imperatores tam Græci quàm Latini vel auxerũt imperiũ, quod initio paruum accepissent, vel quod maximũ accepissent conseruauerint, cognouissent, sibi in eorũ rebus gestis scribendis studiũ diligẽtiãque ponẽdã cẽsuerint: quantã quæso, quãque verã cum maxima admiratione cõiunctam voluptatem omnes ex Apostolorũ vitis percipere possunt, si eos duodecim vniuersos totum penè orbem terrarũ, singulos infinitam hominum atque adeò populorũ multitudinẽ ad Christi fidẽ religionẽque deduxisse cognoscãt? quanta verò eosdem affici necesse erit, cùm illos hoc totum sine vi, sine minis, fraude, insidijs, armis, sanguine ac morte cuiusquam, quibus illis imperia sibi pepererunt, sed adhortationibus, precibus, modestia, continentia

mētia, parsimonia, patientia, alijsque virtutibus, id est, vt paucis omnia cōplectar, sermone & opere perfecisse intellexerint? Si enim eorum imperij initium recordādo repetere velimus, tria millia hominū à Petro primo sermone, altero, quem nō ita multò pòst habuit quinque ab ingrata Deo vita ad gratam sanctamque deducta reperiemus. Quòd si longiùs etiam progrediamur, in ijs præsertim quæ quòd diuinis libris continentur, maiorem habent auctoritatem, quot millia hominum tota Græcia & Asia Paulum sola oratione & voce adiunctis nouis quibusdā inusitatisque operibus sub Christi imperium subegisse dicemus? Quod de cæteris quoque eodē modo iudicandum est. Conferantur nunc si placet, ea omnia quæ ab imperatoribus gesta sunt, quò faciliùs quanta sit in excitanda admiratione, pariendaq; voluptate dissimilitudo, intelligatur. Alius apud Romanos Galliā Romano imperio adiunxisse, alius Germaniā dicitur, alij alias prouincias. An hæc illi sine agrorū depopulatione, sine vrbiū euersione, sine cæde innumerabiliū hominum tēplorū direptione,

ptione, iurisque diuini ac violatione aut perfecerunt, aut perficere potuerunt? Ex quibus intelligi potest, qui aut quorum voluptas sit ea, quæ ijs legendis paritur, ex quibus maximum animo dolorē oēs capere debēt. Quòd si nihil tale in Apostolorum expeditionibus reperitur, contraque hominum salus, Rerum publicarum à miserabili deorum, id est dæmonum seruitute liberatio, verique Dei religio eorum diligētia procurata & cōstituta est, certè horum omniū cognitione incredibilis quædā ac vera delectatio pariatur necesse est. De vtilitate eadē dici possunt. Si enim omnes ea & legere libenter, & attentis animis audire solent, quæ ad se pertinere intelligunt, legendis autem audiendisque rebus gestis Apostolorum ea cognoscuntur, & discuntur omnia quæ ad summā omnium hominum vtilitatē, dignitatem, salutemq; conducunt, an non indecorum videtur, hæc tam vtilia aut necessaria potiùs posteris non tradere, vitas autē imperatorum memoriæ prodere, quæ nec vtilitate cum his, nec necessitate, nec verò dignitate comparari vllo modo possunt?

Nam

Nam vt de hoc quoque aliquid dicam, fuerint ſanè in illis virtutes, quæ eis à ſcriptoribus tribuuntur, fuerint in eis bene viuēdi exempla, fuerint ijdē cōtinentes, iuſti, ſapientes, fortes: at veræ illæ virtutes non ſunt habendæ, præſertim cum à fide, ſine qua Deo nihil gratum eſſe poteſt, ſeiunctæ fuerint atque ſecretæ. Hoc etiā verè dici poteſt, cùm ea ferè illis tributa ſunt, ſcriptores vel ignorauerint, vel gratiæ cauſa & ad eorum vel aliorum voluptatem ſcripſerint, illos magna ex parte libros ſuos mendacijs & vanitatibus referſiſſe. Quæ ego omnia ſi mihi propoſitum eſſet, facilè docere poſſem, præſertim cùm ſummas eorum qui his temporibus vixerunt virtutes in hiſtoria legamus, quorū ſcelerū ita plerique ſpectatores fuerūt, vt eos ſuo teſtimonio iugulare poſſint, non ſubleuare. At in his duodecim viris, quos Apoſtolos, vt dixi, maiorum noſtrorū inſtituto vocamus, nihil fucatum, nihil fictum, nihil deniq; ſimulatum reperiri poteſt, ſed omnium verarum virtutum in illis quaſi ſplendor quidā expreſſus, earumq; ſumma conſiſtit, eiusque rei non hominem teſtē habent,

habent, sed Christum, id est, Deum qui eos & lucem mundi appellat, & doctores eiusdē instituit, vt lucem ad sanctissimā eorum vitam, & doctrinam ad ea, quæ eos alijs tradere iussit, retulisse videatur. Quòd si eorum vitam atque doctrinam Deo gratam acceptamque esse videmus, quid de vtilitate existimare debemus? Legendis quidem veterum historijs nobis sæpe verbum prudenter, fortrter, moderatè, iusteq; dictum placet, sed tamen an vita eorum quorum illud est, ei consona fuerit, ignoramus, semper, aut plerūq; dubitamus, propterea quòd ferè vsu venire videamus, vt oratio pulcherrima sit hominū, vita turpissima & ab oratione dissentiens: ex quo dicta ferè contemni solent. Quæ autē ab Apostolis in eo genere dicta feruntur, ea nobis similiter venire in dubium non possunt, propterea quòd illi & eam vitam traduxerunt, vt ipsius comes illorum esset oratio, & eo sermone vsi sunt, illū vt non refelleret vita, sed cōprobaret. Hæc igitur aliaq; talia cogitāti mihi visum est, indecorum maximè cùm non solùm imperatorum, sed etiam priuatorum hominum vitas, id est, dicta & facta quæ magna ex parte eiusmodi essent quæ dixi, tam multi scripsissent,

neminem adhuc ferè extitisse. qui horum sanctissimorũ clarissimorũque virorũ res gestas sibi literis mandandas cẽsuerit. Itaque hoc mihi opus suscipiendum esse statui, quod quò maiorem auctoritatẽ haberet, ea primũ de his talibus viris tradidi, quæ diuinis literis ac libris continentur: deinde ea quæ probati auctores, ij præsertim, qui id gnnus vitæ quod Christum nobis in præceptis reliquisse videmus, magna cum laude & gloria secuti sunt, memoriæ prodiderũt. Nam si qui fortè tales sunt, q̃ ea quæ de illis nõ iã diuinæ literę, sed vel Egesippi, vel Irenæi vel Eusebij, vel etiã Hieronymi aut aliorum eiusdem generis scripta cõfirmant, contẽnenda putant, aut nullius esse auctoritatis censent oportere, aut eodẽ in numero & loco habẽda illa iudicãt, quæ de illIs vniuersa Ecclesia multis iam sæculis comprobauit: non video quid verum in historia, quę veritatis magistra est, aut sequi ipsi possint, aut alijs approbandum pro vero tradere. Si enim exempli causa, Aemylij Probi, si Suetonij, Plutarchi, aliorumque scriptorũ historias veras esse, ob camque causam retinendas approbandasque iudicãt, horum aũt falsas, & idcirco respuẽdas: primũ maximam iniuriam cùm illis talibus viris

viris tum Ecclesiæ facere videntur, qui horum scripta & Ecclesiæ iudicia minus habere virium ad faciendam fidem, quàm illorum censeant oportere. Deinde cùm nihil afferre possint, cur illis potiùs quàm his fides habenda sit, & nos contrà graues causas afferre possimus, quare his potiùs credi oporteat, isto quidem præiudicio suo planè declarant, & quantum ipsorum iudicijs tribuendum sit, & quid de eis omnes boni existimare possint. In eodem mihi errore versari videntur, ij qui quales fuerint Apostoli cæteriq̃ue. quos sanctissimæ beatissimæq̃ue vitæ opinione clarissimos in cælum hinc exolasse credit Ecclesia. scire non curant, tenere verò quos se in vita præstiterint ac gesserint oēs ij, q̃ vel oīno à religione nostra abhorruerūt, aut eam quidem coluerunt, sed eiturpitudine vitæ quantum in ipsis fuit, tenebras offuderunt, sibi laude esse ducunt. Videndum est enim, quantum cuique scriptori tribuendum sit & fidei & temporis, vt in eo & locus retineatur, & modus necessarius adhibeatur. Quorum omnium si ratio habeatur, sicuti certè imprimis habenda est, non est id quidem dubium, quin quoniam historia & ad veritatem & ad maiores dirigi debet, horū duodecim virorum

sanctissimorum & cæterorum quorum li-
ceræ diuinæ mentionem faciunt, vita pri-
mum locum tenere debeat: proximũ, cæ-
terorum quos ecclesia veneratur: tertiũ,
eorum qui à nostro viuendi instituto non
abhorruerunt, nec ab Ecclesia coluntur:
postremũ, eorũ qui ab eodẽ abhorruerũt.
Quæ enim (malum) ratio est id quod ple-
risque in more positum est, primas in hoc
genere ijs tribuere, quorum res gestæ tra
duntur, nec tam veræ sint, si modò sunt,
quàm cùm superiorum omnium tum vel
maximè primorũ, nec tantã lucẽ, tamque
certam ad vitã & mores afferre possint?
Nec verò si quis splendidę orationis ratio
nem ita habendũ esse cẽseat, vt hunc tam
necessarium tamque vtilem ordinẽ peruer
ti continuò putet oportere, audiendus est.
Isto enim pacto fabula, id est, rerũ falsarũ
fictarũque narratio historię, veriq; cogni-
tio falsi perceptioni anteponetur. Sed de
his hactenus. Nunc cur & eum ordinem
quem in exponendis eorum vitis seruaui
tenuerim: & ad te potissimum, Iuli Ponti
fex Maxime, hunc libellũ miserim, dicen-
dum est. Ego cùm hos duodecim, viros à
Matthæo, Marco, & Luca non eodem or-
dine nominari animaduerterem, nec aliũ
ordinem addendũ putarẽ, eum potissimũ
secutu

secutus sum, quem Lucas in Euangelio suo tenuit, nisi quòd Paulum commodè inter Petrũ & Andreã interijci posse iudicaui, cùm eos ab Ecclesia coniungi cernerem, & Matthiam postremum tenere locũ quòd Iudæ proditori cæteris præter Paulum iam delectis successerit. Tibi aũt potissimùm Iuli Pont. Maxime, horũ taliũ virorum, id est, Christi Apostolorũ vitas dicandas censui, quòd sedes Romana, cui hoc anno prouidentia diuina præesse cœpisti, semper iam ab initio Apostolica appellata sit, nõ ob aliam causam, nisi q̃ Petrus princeps Apostolorum primus eam vniuersamq; Ecclesiam rexerit. Eum equidem maiestate tua indignum esse scio, sed cùm multos scribere de reb. diuinis cœpissem, atque hic vnus absolutus esset, cũ ad te hoc tempore dum alij absoluentur, mittere malui, quàm gratulatiõis officio deesse, quod oẽs boni certatim & votis, & oratione sequerentur. Neque enim mihi committendũ putaui, vt cùm illi eam voluptatem, quam incredibilẽ ex ista maxima dignitate tua animis suis perciperent, declararent. vellentq; te hunc summũ honorẽ, ex tua tuorumq;, id est Christi ouiũ dignitate administrare, ego vnus in tãta omnium lætitia facerẽ, nec oratione scri-

ptoq; testificarer commune omnium nostrum gaudium ex eo natum esse, quòd te diuinitùs delectũ esse speremus, vt quemadmodum iam cœpisti, Ecclesiam quam pernicioſis quibusdam opinionum quasi tempestatibus fluctibusque iamdiu agitatam & perturbatam, tuendam conseruandãque accepisti, pro summa sapientia & doctrina tua quam cum pari auctoritate Deus coniunxerit, ad eum tranquillitatis pacisq; portum, quem tantopere omnes quasi ex longa nauigatione adspirantes tenere cupiant, perducas. Faxit Deus optimus Maximus, vt potestas & voluntas quas tibi dedit, eos exitus habeant, qui & illi maximæ gloriæ sint, & Ecclesiæ vtilitati, & tibi dignitati. Vale beatissime pater. Cormœriaci quod est oppidum Turonum in Gallia, Decimo Cal. Decemb. M. D. L.

(∴)

IOACHI

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI DE rebus gestis vitisque Apostolorum Liber.

VITA BEATI PETRI APOSTOLI. IOACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriacenо auctore. (.·.)

SImon is qui Petrus, à Christo, vt mox docebimus, appellatus est, frater Andreæ Apostoli, Ioāne, siue Iona patre natus est in oppido Galileæ prouinciæ, quod Betsaida dicitur. Is à Christo primū discipulus delectus est, deinde Apostolus, postremò cęteris totiq; Ecclesiæ pfectus est. Quod quemadmodum factū sit, sigillatim exponendū cēsui. Andreas quidē eius frater, cùm Ioannem, qui Christum baptizauit dicentem audiret, Iesum esse qui peccata tolleret, eum secutus, apud illum eo ipso die commoratus est. Postridie Simo-

nem fratrem primũ inuenit, eiq; se Christum, id est, eum quem lex & Prophetæ venturum prædixissent, & inuenisse & vidisse dixit, Simõ, qui hoc experire vellet, ad Iesum se adducendum curauit, quem vt ille vidit, eum esse Simonem Ionæ filium dixit, eique nomen Petri imposuit quo appellandus esset. Petrus Iesum his gestis sequi nõ cœpit, sed tũ denique, cùm ad mare Galileæ eum se vocantem audiuit. Cùm enim duæ naues ad laeum Genesarenum starent, earumque vnam quæ Simonis erat, Christus cõscendisset, eum vt à terra paulùm subduceret, rogauit. Christus sedens ex nauicula multitudinem docebat: qui vt dicendi finem fecit, Simonem admonuit, vt rete laxaret, ac in mare demitteret. Simon se ac socios tota nocte in piscatione operã perdidisse dixit, se tamen dicto eius audientẽ, rete laxaturum. Quod cum fecisset, piscium multitudinem ceperunt tantam, vt rete rumperetur, cogeretur; ipse & socij eiusdem nauis alios qui in altera nauigerant, rogare vt venirent, & se adiuuarent. Illi cùm venissent, vniuersi vtranque nauem impleuerunt, quo quidem pondere penè naues submersæ sunt. Simon autem Petrus qui hoc Christi factum secum animo

penitus

penitus vt inusitatum, reputaret, & miraretur, se ad illius pedes infirmitatis cōscius misit, eumque rogauit vt à se qui peccator esset discederet. Christus Petrum vt bono animo esset admonuit, eique fore dixit, vt homines caperet, id est retib, orationis eos ad ipsius fidem deduceret. Hinc Petrus ac socij eius relictis omnibus, Christum ita secuti sunt, vt nūquam posteà ab eo discesserint. Itaque cùm non ita multò pòst, multi eius discipuli, propter eū sermonem, quem ab illo de edendo corpore, & potando sanguine suo habitum prępo sterè acceperant, discederent, rogaretque Christus duodecim Apostolus, nū ipsi etiam abire vellent. Simon Petrus vnus pro omnibus respōdit, Dñe ad quem nos conferemus? Verba enim eū vitæ æternæ habere, Se etiam ac condiscipulos credere, ac cognouisse iam eum esse Christum Dei viui filium. Erant iam tum ex cōmuni discipulorū numero duodecim delecti, quos Apostolorum appellauit nomine. Quod cùm Matthæus, Marcus & Lucas exponunt, Petrū primo loco nominant: Matthæus verò prætereà primum eum vocat. Duodecim aūt, inquit, Apostolorum nomina sunt hęc: primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. Philippus

& Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddeus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Sed ad alia veniamus. Christus cum quinq; millia hominũ quinq; panibus ac piscibus duobus ita satiasset, vt reliquiæ etiam permultæ supersent, Apostolus conscendere nauem, & transmittere, dum multitudinem dimitteret, iussit, ipse dimissa turba, solus in montem oratum ascendit, ibiq́ue vesperi etiam orat. Nauicula autem in qua erant Apostoli, in medio mari ita fluctibus iactabatur, vt penè se euadere posse iam diffiderent: cùm Christus re cognita, quarta noctis vigilia ad eos venit, ita pedibus, vt si terra eundum fuisset. Quem cùm ita ambulantem discipuli animaduertissent metu perculsi, clamare, ac visionem esse dicere. Ipse statim vt bono animo essent hortatus est, se esse, ne timerent. Petrus rogare eum, vt si ipse esset, se ad ipsum venire iuberet. Cumq́ue Petrus illius iussu de nauicula descendens, pedibus ingredi cœpisset, exorta vi magna ventorum timuit. iamq́ue submergi incipiebat, cùm CHRISTVS vt se seruaret rogauit. Christus autem porrecta manu comprehensum

sensum & ereptum obiurgauit, quòd de ipsius auxilio & ope diffisus esset, Christus in agrum Cæsariensem nec ita multò pòst cum discipulis venit. In ipso itinere cùm ab eis quæsiuisset, quænam esset hominum de ipso opinio: Illique ita respondissent, vt dicerẽt eum alijs Ioannem Baptistam, alijs Eliam, nonnullis Hieremiam: aliquibus vnũ aliquem ex prophetis videri, eos rursus rogauit, quemnam illi ipsum esse dicerent. Tum Petrus vnus pro omnibus respondit, cum esse CHRISTUM Dei viui filium. Quo illo responso satis declarauit, quantum ei tribueret, quamq; verè de illo ipso sentiret. Itaque Christus ipse beatũ eum esse dixit, quòd ei non caro & sanguis, sed pater ipsius qui in cælo esset, talem de eo opinionem patefecisset atque enunciasset. Eumque Petrũ esse professus, supra, & in ea petra Ecclesiam suam ædificaturum esse promisit, quam portæ inferorum nulla vi labefactare possent aut euertere. Claues præterea eiſe traditurum cælorum, id est, eiusmodi duplicem potestatem, vt quidquid alligauisset in terra, id ipse ratum in cælo habiturus esset. Eodem ferè tempore amoris summi illius quidẽ, sed parũ consideratè signa magistro discipulus

ostendit. Nam cùm idem discipulis, sibi propediem Hierosolymam eundum esse exponeret, ibique fore, vt à pontificibus primisque ciuitatis irrideretur, conspuaretur, verberaretur, interficeretur, ac tertio die ab inferis excitaretur. Petrus qui hæc eius maiestate ac virtute indigna existimaret, non diuinam prouidentiam charitatemque illius in genus hominum consideraret, eum obiurgauit his verbis, Deus ista prohibeat, hæc tibi minimè accident. Hoc Christus ita acerbè tulit, vt eum aduersarium vocauerit, eique vt se sequeretur imperauerit, quod non ea quæ Dei essent, verùm ea quæ hominum spectaret. Sexto pòst die illum CHRISTVS vnà cum Iacobo & Ioanne eius fratre in montem quendam remotis arbitris duxit, vbi cùm ita illius & vultus immutatus esset, & vestis, vt ille Solis lumen imitaretur, hæc niuis candorem: eodemque puncto tēporis Moses & Elias visi essent cũ eo loquentes de morte quã Hierosolymis perpessurus esset, tũ Petrus loci amœnitate, Christique iucundissimo illo gratissimoq; aspectu captus & delinitus, Domine, inquit, gratus est hic & commodus nobis ad habitandum locus. Itaque si tibi videtur, tria hic tabernacula, tibi, Mosi,

Eliæ,

Eliæque faciamus. Nihil ad hęc ille respōdit, tantumque visi sunt illi vocem exaudire monentis vt Christum filium suum charissimum audirent. Quod cùm audirent, prę metu proni in terram ceciderūt: ad quos Iesus accedens, eis, vt surgerent nec timerent, imperauit. Illi surgentes cùm oculos sustulissent præter Iesum viderunt neminem. Capharnaum Galileæ oppidum Christus docendi causa tum fortè venerat, cùm nonnulli quorum hoc munus erat, ibi tributum exigebant: Ij ad Simonem Petrum adeuntes, eum rogarunt num Christus eius Magister tributum pendisset. Cumq; ille annuisset, domum in qua Christus erat ingressus est. Christus eum occupās quæsiuit à filijne suis reges tributum exigerent, an ab alienis? Cum ille ab alienis respōdisset, tum Christus conclusit, liberos esse filios, sed ne ipsi illis causam sermonis de se afferrent, eū ad mare iussit ire, & hamū iacere, eūque piscē quē primum cepisset auferre, eiusque ore aperto numū quē inuenturus esset, pēdere. Idem cùm Christum audisset siue docentem, siue admonentem, siue etiam præcipientem, vt si quis nostræ religionis ac disciplinæ alteri peccâsset, in primum clam remotique arbitris, ab illo

obiurgaretur: si ipsum non audiret, duos testes adhiberet: si ne tum quidem in viam rediret, idem apud Ecclesiam ab ipso accusaretur: cui si minimè ille obtemperaret, iam pro alieno à nostra disciplina haberetur: quoniam quoties peccanti nobis veniam dare nos oporteret, ex Christi oratione non plane intellexerat: eum rogauit, quoties peccanti fratri ignoscere deberet, & an si septies peccasset, in eo modum statuendum esse censeret, CHRISTVS autem non in septimo quoque peccato modum se statuere respondet, sed in septimo & septuagesimo. Quo ille responso facilè declarauit, quotiescunque Christianus aliquis contra nos quippiam aut dixerit, aut scripserit, aut fecerit, toties nos si ex animo vt sibi ignoscamus, roget, veniā dare oportere. Adolescens quidam admodum locuples IESUM audiens, eum, vt viam salutis sibi ostenderet, rogauerat. Christus legis Mosaicæ præcepta quæ roganti illé commemorasset, eiusmodi esse respondit, vt ijs si pareret, vitam, & gloriam consequeretur sempiternam. Quibus cùm se ille iam inde à puero obtemperasse dixisset, Christus quiddā illi deesse addidit, quod si faceret, fore dixit vt perfecto absoluto-

que

que virtutis munere fungeretur, Hoc autem in eo positum esse, vt omnia quæ haberet, venderet, daretque egentibus, veniensque ipsum sequeretur. Ille qui multa, vt dixi, habebat, cùm de bonorum contẽtione ac despicientia verba Christũ facere audisset, tristis abijt. Christus autem cùm hoc cõperisset, discipulorum animos à diuitiarũ & opũ studio hoc modo abduxit, difficile esse eos qui essent locupletes, in cælũ peruenire: quin etiã facilius esse Camelũ per foramẽ acus, transire, quàm eũ in cælum conuolare, cuius spes omnis in opibus acquiesceret. Quod cùm illi intellexissent, mirari & quærere cœperunt, quisnam gloriam sempiternam consequi posset. Ille & hoc in hominibus situm esse negauit, & nihil esse dixit, quod DEI potestatem potẽtiamq; effugeret. Petrus verò qui Christum de contemnendis deserẽdisque omnibus ita disseruisse meminisset, vt ei etiam qui hoc fecisset, si gloriam consequi sempiternam vellet, necesse esset ipsum sequi, rogare eum cœpit, quodnam præmium ipse ac condiscipuli, qui eum contemptis relictisque omnibus secuti essent, ab eo expectare deberent. Tum Christus iureiurando confirmauit, ipsos illos qui eum secuti essent,

in mun-

in mundi renouatione cùm cœpisset iudicare, in sellis duodecim sedentes, duodecim tribus Israëlitici populi iudicaturos: omnes verò qui vel domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, ipsius nomine causaque reliquissent, vitā sempiternā esse consecuturos. Idē in cōuiuio illo ad quod extremū duodecim Apostolos pridie quàm in crucem ageretur, adhibuit, quantum & Iesu tribueret & de se detraheret declarauit, quantoq; studio ad gloriā aspiraret sempiternam. Cùm enim Iesus abluere eis omnibus pedes ac detergere constituisset, primum à Petro initium cepit. Quod ille primum cùm & magistri dignitatem, & suam infirmitatem, & vt ita dicam indignitatem consideraret, pati noluit: deinde cùm illum dicentem audisset, si eum non abluueret, nihil ipsi cum eo commercij, nihil commune futurum, tanta animi alacritate concessit, vt non solùm pedes, verum etiam manus & caput quo minus ab eo abluerentur, minimè recusaret. Eadem in cœna paulò post, idem CHRISTVM tristem perturbatumque animo animaduerterat, eodemque affectum animo ipsi ac condiscipulis prædicentem audiuerat, fore,

vt

vt vnus eorum ipsum proderet. Qua illi us oratione cùm vehementer omnes, vt æquum erat, commoti essent, ipse Ioannē silentio admonuit, vt ex Christo quisnā hoc tantum tamque immane scelus admissurus esset, cognosceret. Ille in Iesum sinum capite deposito, intellexit ad eum hoc crimen pertinere, cui frustum intinctū Iesus porrecturus esset. Quantain magistrum fide esset, ibidem ostendit. Nam cùm ille omnibus prædixisset fore, vt ipsi ea ipsa noćte se deserto discederent, ipse multis verbis, iterum ac tertiùm pollicitus ei est, vt cæteri illum desererent, se tamen cum illo pariter antè moriturum, quàm tanto scelere se contaminaret. Quod quidem aliqua ex parte tum prestitit, cùm paulò pòst, in eo horto qui quòd oliuis consitus erat Oliueti dictus est, multitudo omnis generis armatorum qui eum cōprehensuri erant, à defendendo magistro nō deterruit districtoque gladio Malcho, qui vim primus inferebat, aurem præcidit. Itaque solus cum Ioanne posteà ex Apostolis Iesum cùm eum vinctum armata cohors ad pontifices & pharisæos hostes ducebat, vsque ad Annę ædes secutus est. Sed iam tempus illud venerat, in quo Christus ei amicitiæ officia

nulla

nulla, morte etiam proppoſita ſe præter-
miſſurum pollicenti prædixerat fore, vt
antequàm gallus ea ipſa nocte caneret, ter
ſe ipſius eſſe diſcipulum negaret. Itaque
amor ille quem iam eximium & ſingula-
rem præ ſe ferebat, puncto temporis ac
repente ita refriuit, & immutatus eſt ei a-
nimus, vt qui tot, vt dixi, armatorum me-
tu deterritus non fuiſſet paulò antè à de-
fendendo magiſtro, tum mulierculæ vo-
ce & interrogatione impulſus, ſe illius eſ-
ſe diſcipulum negauerit;. Quod quia me-
tu coactus fecit, non eſt à Magiſtro quem
ipſe negauerat, deſertus diſcipulus, fecit
enim vt ſtatim in viã rediret, vt ſe colligeret, culpamque & confeſſione tacita agnoſceret, & lachrymis dilueret: quemadmodum paulò antè ei prædixerat, cùm ſe rogaſſe patrem expoſuit, ne illius fidem daficere tolliqué pateretur. Itaque hæc illius pœnitentia tàm grata Ieſu fuit, vt tertio inde die cum ab inferis excitatus eſſet, & nominatim vni Petro ſe reuixiſſe nunciari voluerit, & ſe ipſe illi cùm ſolus eſſet eodem die oſtenderit. His ita expoſitis, ad maiora nunc lætioraque veniamus. Ex eis enim id quod adhuc dixi, intelligi licebit. Eo ipſo quo Ieſus reuixerat die, cùm mulieres quædam, in his

Maria

Maria Magdalena, se ad sepulchrum Christi prima luce officij causa contulissent, neminemque vidissent, sed modò sepulchrum vacuum, Magdalena statim ad Apostolos veniens, eis nunciauit sepulchrũ inane esse, dominumque sublatum. Petrus hoc nuncio valdè conturbatus, vnà cum Ioanne cursu eò contendit. Cumque illi ita esse animaduertissent, domum se receperunt. In quo quidem officio quoniam illi duo soli fuerunt, facilè intelligi potest, in eis magistri amorem maiores vires habuisse, altiusq; radices egisse quàm in cæteris. Quòd autem sequitur, eiusmodi est, vt ex eo vno illum magistro discipulum omnium charissimum fuisse appareat. Fortè Iacobo ac Ioanni eius fratri, & Thomæ, alijsque nõnullis cõdiscipulis se ad mare Tyberiadis piscatum ite dixerat, quibus etiam visum est eò vnà proficisci. Conscensa naue cùm totam noctem frustra in piscatione cõsumpsissent, mane Iesus in littore constitit eo quidem habitu, vt eum minimè agnoscerent. Quærit ille nunquid cepissent, quod cùm negarent, tum dixit, si rete ad dextrum nauigij latus iacerent, fore, vt inuenirent. Paruerunt illi, pisciumque multitudinem ceperunt tantam, vt rete iam

trahere-

trahere non possent. Ioannes animaduerso miraculo Petro Iesum esse dixit. Petrus in mare se deiecit, alij nauigo terram tenuerunt, trahentes rete plenum piscium. Cùm descendissent, piscem qui subditis ignibus coquebatur, & panem vident. Iubet eos Christus pisces adferre quos cepissent, conscensaque naue Petrus rete traxit, in quo cùm centum quinquaginta tres essent, integrum tamen remansit. Ad prandium cùm discipulos Christus vocasset omnes ab eo panem piscemque acceperunt. A prandio Petrum ille rogat, an se chariorem, quàm alij qui aderant, haberet, idque fecit iterum ac tertiò, cùm & Petrus sigillatim ad rogata etiam responderet, & Christus toties ei se oues suas, id est, ecclesiam suam committere diceret. Hoc pra tereà Christus addidit, eum cùm adolescens esset, proficisci quò vellet solitum, fore cùm prouectæ ætatis esset, vt porrectis manibus eum alius cingeret & duceret, quò minimè vellet. Qua ille sua oratione significauit, quo mortis genere gloriam Deo tributurus esset. Idem cùm in cælum CHRISTVS ascendisset, ante missum spiritum, iam tum non solùm scripturæ sanctæ mysteria intelligebat, verumetiam eorum veritatem re

& euen-

& euentu docebat. Cùm enim duodecim Apostolos à Christo delectos recordaretur, eum numerum Iudæ proditione ac morte & imminutum, & restituendũ esse ex Dauidis psalmis intellexit. Itaque cum surrexisset, hoc condiscipulos docuit, his verbis: Scripturam impleri oportere, quâ Spiritus sanctus ore Dauidis de Iuda proditore magistri, prædixisset. scriptũ enim esse in libro Psalmorum, Fiat domicilium eorum desertum, nec sit qui in eo habitet: & episcopatum eius alter accipiat. Itaque deligendum esse ac sufficiendum in eius locũ vnum ex ijs, qui semper Christum vnà cum ipsis secuti essent, ex eo iam tempore, cùm à Ioanne ablutus & baptizatus est. ad eum diem quo in cælum ascendisset. Hac Petri oratione cæteri apostoli adducti, duos vnà cum eo proposuerunt, Iosephum qui Barsabas dictus est. & Matthiam: orauerunt que Deum, vt ostenderet vtrum eorum vellet in Iudæ demortui locum succedere. Cumque eis sortes dedissent, Matthiæ sorte Magistratus & Apostolatus obtigit. Paucis post diebus, quinquagesimus dies, quem Pentecosten Græco nomine appellamus, venit. Eo die cùm Spiritum sanctum CHRIstus discipulis misisset, quo completi va-

rijs linguis Deum laudarent, eius rei fama innumerabiles qui ex omnibus nationibus Hierosolymæ tum erant, ad rem cognoscendam excitauit. Cumque in eum locum vbi erant discipuli, conuenissent, nemoq; esset, qui nō illos eo sermone vti, eaque lingua loqui perciperet, quæ regionis cuius erat, propria esset, partim stupor eos inuasit, partim admiratio. Sed tamen nonnulli irridentes eos vino onustos esse dixerunt. Itaq; petrus vnus hanc illorum audaciam & calumniandi libidinem hac oratione reprehendit, falsò eos existimare nostros esse ebrios, cum tertia etiam tum diei hora esset, esse autem hoc ipsum, quod DEVS Ioëlis prophetæ voce prædixerat, fore, vt ipse extremis diebus in omnes homines spiritum suum diffunderet, prophetarentque ac prædicerent res futuras liberi Hierosolymitanorum: conuersaque oratione ad Hierosolymitanos, eis Iesum dixit virū inter eos signis virtutibusque à Deo probatū, quē ipsi interemissent, ab eodē ab inferis excitatum esse, quòd eo in loco retineri cohiberique minimè potuisset. Id enim Dauidem his verbis prædixisse, insuper & caro mea in spe acquiescet, Quoniam non relinques animam meam in inferis, nec san-

ſanctum tuum corruptioni obnoxium facies. Dauidem enim non ipſum de ſe hæc dixiſſe, cùm & mortuus eſſet, & ſepulcrũ illius vſque ad eum diem ibi viſeretur, ſed cùm propheta eſſet, Deum ei iuraſſe: quendam, qui ex illius ſemine naſceretur, in ſolo illius ſeſſurum eſſe, hinc eum hæc de Chriſti, vt hoc verbo vtar, reſurrectione multò antè prædixiſſe. Eum Ieſum à Deo excitatum eſſe, cuius rei ipſi omnes eius diſcipuli teſtes eſſent. Itaque eum qui ſublatus eſſet in cęlum, promiſſione patris donum illud effudiſſe, quod ipſi cernerent & audirent. Eum autem in cælum aſcendiſſe Dauidem docere, his verbis: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: cùm Dauid ipſe in cælum minimè aſcenderit. Quapropter hoc ſibi perſuaderent, Ieſum eum, quem cruci ſuffixiſſent, & dominum à Deo & Chriſtum eſſe factum. Hæc cùm Petrum perorantem audiſſent, ſubijt eos pœnitentia, eumque ac cæteros Apoſtolos rogarunt, quidnam facere eos oporteret: tum Petrus eos hortatus eſt, vt & eos veteris vitæ pœniteret, vnuſquiſque eorum IESV CHRISTI nomine aqua ſalutari expiaretur, ſic enim fore, vt donũ

ſpiritus-

ſpiritusſanẽti acciperent, ad eos enim eorumque liberos, & ad omnes qui procul abeſſent, quos quidem Dominus vocauiſſet, hanc promiſſionem pertinere. Alijs etiam verbis plurimis eos hortatus eſt, vt ſe ab eo hominum genere qui Chriſtum in crucem egiſſent, abducerent, atque ſecernerent. Valuit apud tria millia hominum hæc Petri oratio, omnesque aqua ſalutari abluti expiatique ſunt. Multò etiam plures, nec ita multò poſt, ad noſtram fidem religionemque deduxit. Is enim vnà cum Ioanne in templum orandi cauſa ad horam nonam veniebat, cum claudus & paralyticus quidam, quem morbus is ex vtero matris tuuaſerat, portaretur: vt quemadmodum quotidie ſolitus erat, ante ianuam templi quæ Speciosa dicebatur, poſitus, aliquid ab ijs qui introirẽt in templum acciperet. Is ergo cum Petrum & Ioannem introeuntes animaduertiſſet, eos vt ſibi aliquid largirentur rogare cœpit. Quem cùm illi intuerentur, Petrusque eum in ipſos oculos conijcere iuſſiſſet, ille paruit, quòd ſe ab eis pecuniam accepturum eſſe ſperaret. Sed cum Petrus ſibi argentum eſſe negaſſet, hoc ſe illi dare quod haberet, dixit, imperauitque vt IESV Chriſti Nazareni nomine ſe in pedes

des erigeret, atque ambularet. Se erigit ille ſtatim, & in templum rectè ingrediens, Deo gratias agit, quod tantæ admirationi fuit omnibus, vt maximus concurſus factus ſit populi in porticum Salomonis ad Petrum & Ioannem, cùm ille eos teneret. Quam multitudinem vt vidit Petrus, nihil eſſe dixit, quod mirarentur, aut in ſe & Ioannem oculos conijcerent, quaſi vi ſua atque auctoritate feciſſent, vt ille incederet. IESVM enim eſſe quem & illi deditū Pilati libidini, dimiſſo liberatoque ſceleſto homine, interfeciſſent, & Deus ab inferis excitauiſſet, cuius fide & nomine is quem cernerent ac noſſent, ſanus eſſet & incederet. Scire ſe hoc ab illis imprudentia eſſe factum, quēadmodum etiam ab eorum magiſtratibus: quod autem omnium prophetarum ſermone prædictum eſſet, CHRIſtum eſſe perpeſſurum, ita abſolutum eſſe à DEO. Quare eos facti pœniteret, ipſique in viā redirent, vt eorum peccata eluerentur. Multaque alia in eandem ſententiam ipſe & Ioannes dicebat, cùm ſacerdotes & magiſtratus templi atque Saducæi interuenerunt, qui iniectis manibus comprehenſos eos in cuſtodiam in craſtinum tradiderunt, quòd moleſtè ferrent, doceri

ab eis populum, & Iesu exemplo & nomine induci mortuorum resurrectionem. Quinque autem millia hominũ, qui hæc audierant, eis crediderũt. Postero die dum Annas & Caiphas alijque sacerdotes & scribæ conuenissent, eos produci iubent, ab eisque requirunt, cuius hoc nomine fecissent. Petrus Spiritussancti plenus, hoc scire omnes qui adessent oportere dicit, si ab ipsis quæratur in iudicio, cuius nomine curatus esset is, de quo ageretur, curatum eum esse IESV Christi Nazareni nomine, quem cùm cruci suffixissent, Deus à mortuis excitasset. Hunc esse lapidem, bui cùm ab eis ædificantibus improbatus esset, ad anguli caput sit accommodatus, neque in alio spem salutis esse collocandam. Neque enim nomẽ aliud esse in terra datum hominibus, quo omnibus salutem dari oporteat. Illi cùm Petri & Ioannis, quos idiotas & ignaros esse scirent, constantiam tantam cernerent, & virtus eorum magnam eis admirationem attulit & oratio Cumque hominem qui curatus fuerat, stãtem cum eis viderent, nihil habebant quod contrà dicerent. Secedere tamen eos extra concilium paulisper iusserunt, vt inter se quid faciendum esset constituerent. Rem esse ita claram & illu-

illustrem dicunt, vt eam ipsi iam negare non possent. Itaque hoc tantum placere, ne deinceps loquerentur aut docerent Iesu nomine. Quod cùm eis imperarent, illi responderunt: Si æquum esset diuino iudicio, eos potiùs quàm Deum audire, ipsi viderent, Se autem non posse de ijs quæ vidissent & audiuissent non loqui. Eos tũ cum minis dimiserunt, cùm nullam satis iustam causam animaduersionis inuenirent. Discipulorum omniũ eiusmodi erat vitæ institutũ, vt nec quisquam eorũ quicquã haberet vt suum: & si qui eis se adiungerent, omnia quæ possiderent, venderẽt, preciũq; ante apostolos ponerẽt. Vir autẽ quidam Ananias nomine cum Sapphira vxore sua, cùm agrum vendidisset, multumq; de precio detraxisset vxore cõscia, partem quandam afferens ad pedes Apostolorum posuit. Quòd cùm Petrus Spiritusancti permotione cognouisset, ab Anania quæsiuit, cur à Satana impulsus, Spirituisancto mẽtitus esset, fraudasset q; de agri precio, cũ pſertim manerer ei, venlitaque possessio in illius esset potestate. Neq; enim eũ mẽtitũ esse hominibus, sed Deo. Hæc cũ Ananias audiret, cecidit, & spiritũ edidit. Quæ res omnium animos vehementi metu perculit. Vix aũt trium

horarum ſpatium interceſſerat, cùm Sapphira eius vxor huius rei ignara, introiuit. Eam Petrus rogauit, an tanti agrum vēdidiſſent: quæ cùm annuiſſet, reprehenſaque eſſet ab illo, ijſdem verbis quibus vir eius ſtatim id quod ei Petrus prædixerat, cecidit mortua. Quanta autem vis in eo curandorū morborum fuerit, quantaque omniū de eo in hoc genere opinio, hinc intelligi licet, quòd cùm omnes ægros & debiles in vijs, quibus iter facturum eum ſperarent, poſuiſſent, non expectabant, dum eos ipſe tangeret, ſed vim in eius vmbra tantam ineſſe putabant, vt ſe ac ſuos liberatum iri confiderent, ſi ea ad ipſos perueniret. Quæ eos ſpes minimè fefellit. Omnes enim qui tum è finitimis oppidis Hieroſolymam venerunt, aut delati ſunt, Petrus ſanitati priſtinæ reſtituit. Aeneam etiam quendam, qui annis octo iacuerat in grabbato paralyticus, Lyddæ curauit, quod cùm Lyddenſes & Saronenſes comperiſſent, ad Chriſtianam religionem deducti ſunt. Quinetiam mortuos excitauit, in ijs Tabitham, quæ Dorcas dicitur. Hæc Ioppe habitabat, mulier cùm virtutibus omnibus, tum liberalitate in egentes prædita. Cùm autem ex morbo interijſſet, diſcipuli qui

Ioppæ

Ioppæ erant, missis duobus, Lyddā quoniam haud procul inde aberat, Petrū rogant, vt ad se venire ne grauaretur. Venit ille, circumstant eum omnes viduæ flentes, eiq̃ue vestes ostenderunt, quas ipsis Dorcas faceret. Erectis foras omnibus, ipse orat, conuersusq̃ue ad cadauer, Tabitha inquit, surge: illa continuò oculos aperit, quam sua manu erecta, sanctis ac viduis viduam reddidit. Cuius miraculi fama cùm totam vrbem peruasisset, multi crediderunt. Sed eò, vnde digressus sum, reuertor. Simon quidam erat in quodam oppido Samaritanorum, magicis artibus & rationibus eruditus. Is cùm longo tempore ante aduentum Philippi, qui fuit ex septem Diaconis vnus, Samaritanos suis illis artibus præstigiisq̃ue ita captasset semper, vt illum vim magnam esse Dei dicerent: tamen Philippo multa de regno Dei ibi disserenti cùm multi assentirentur, ipse etiam assensus est, aquaq̃ue salutari expiatus, eum sequebatur, Apostoli autem qui erant Hierosolymæ, cùm Samariam disciplinam nostram approbasse audissent, eò Petrum Ioannemq̃ue miserunt, vt Samaritani oratione eorum, manuumq̃ue impositione Spiritū sanctū acciperent. Simon quē Magū paulò antè

fuisse diximus, cùm ita spiritũ sanctũ dari ab Apostolis cerneret, contendit ab eis, vt precio ad hanc vim & potestatem peruenirẽt. Petrus qui scelus hominis perspectum haberet, Pecunia, inquit, tua tibi sit exitio, quod Dei munus pecunia cõstare, quæriq; existimâsti. Itaq; eũ admonuit, vt ipsum istius sceleris pœniteret, Deũq; ipse rogaret, si fortè hoc animi tam peruersum præposterũq; iudiciũ remitteret. Ille Apostolos orauit, vt Dñm causa sua rogarent, ne qd eorũ quæ dixissent ei contingeret. Petrus Ioppæ apud Simonem quendam sutorem, eo tempore, quo Thabitam mortuã excitauit, habitabat. Paucis interiectis diebus, quædam ei visio hora diei sexta cùm esuriret, & cibũ capere vellet, hoc modo oblata est. Cælũ aperti visus est videre, ex eoque linteũ magnum quatuor initijs & oris in terram demitti, in quo essent omnia genera quadrupedum, serpentium, & volucrum. Secuta est tum vox, siue admonentis, siue imperantis, vt ea occideret & comederet: cũq; negasset ille, se vlla re vesci posse, quę immunda sacraque esset, tum vocem audire visus est dicentis, quod Deus consecrasset & expiasset, id ne profanum diceret. Quod cùm iterum ac tertiò factum esset,

vas illud ſpeciem lintei præferens, in cœlum receptũ eſt. Petrus cùm ſe collegiſſet, cogitare acreputare ſecũ cœpit, quidnam viſio illa protenderet. Intereà & viri tres miſſi à Cornelio centurione cohortis Italicæ, ad ianuam Simonis ſutoris peruenint, qui euocatis nonnullis quærũt, num Simon Petrus ibi habitaret: & Spiritus eũ admonuit, eſſe tres qui eum vellent, cum quibus proficiſci ne dubitaret, q; eos ipſe miſiſſet. Itaque deſcẽdens, vltrò eis ſe obtulit, dixitque, eũ eſſe ſe quẽ quærerẽt, rogauitq; quid veniſſent. Illi ſe à Cornelio centurione viro probo, cuius de virtute & liberalitate in egentes Iudæi oẽs teſtarẽtur, miſſos eſſe dixerunt, quòd Angelus ſanctus eum admonuiſſet, vt illum accerſendum curaret. Poſtero die vnà cum illis profectus, ſequenti Cæſaream peruenit. Cornelius conuocatis neceſſarijs & amicis eos expectabat: Itaque vt eum appropinquare cognouit, ei obuiam prodijt, miſitque ſe ad pedes eius, vt illum adoraret. Quod ille facere, cũ ſe etiã hominem eſſe diceret, prohibuit. Domum vnà cum eo loquẽs cum intraſſet, vt multos qui conueniſſent vidit, eos certè ſcire dixit, neſas eſſe viro Iudæo ſocietate coniungi cum alienis aut ad eos accedere. Sed quoniam

Deus ipsi ostēdisset, neminem hominem profanum aut immundū esse habendum, propterea accersitum se non grauatè venisse. Hinc querere cœpit, quamobrem ab eis accersitus esset. Tum Cornelius quatriduo antè exposuit, cum solus domi suæ hora diei nona oraret, virum quendam veste candida ornatum ita visum esse, qui & orationem ipsius, & eleemosynas Deo acceptas gratasque diceret, vt ipse Ioppa Simonem Petrum accerseret: itaque se gratias illi agere dixit, quòd venisset, & simul se paratos ad audiendum id omne, quod ei à Domino præceptum esset. Petrus cùm hæc audisset sibi compertum esse dixit, nullius rationem à DEO potiùs quàm alterius, haberi, sed acceptos gratosque illi esse omnes apud omnes gentes, qui eum timeant, iusteque vixerint. Verbum misisse dum filijs Israëliticis quòd pacem IESV nomine nunciaret, eum esse Dominum omnium. Eos scire verba habita esse ab illo per vniuersam Iudæam, quibus à Ioannis baptismo intellectum sit, Iesum à Spiritu sancto vnctum esse, eundemque omnes qui à diabolo oppressi essent, pro sua benignitate curasse, cum Deus in eo inesset, & cum eo versaretur. Se ac condiscipulos testes esse

eorum

corum omnium, quæ ipse in Iudæa Hierosolymæque fecisset. Eũ cùm Iudæi cruci suffixissent, tertio die à DEO ab inferis excitatum esse, ostensumque nõ omni populo, sed ipsis qui à Deo prouisi essent, conuiuioque ab eo adhibiti vnà cum eo edissent atque bibissent: cùm à mortuis excitatus esset. Eundem eis imperasse, vt populum docerent, ac dicerent pro testimonio, ipsum à Deo viuorum & mortuorum datum esse iudicem. Eum prophetas omnes ostendere, cuius nomine omnibus qui ei crederent, errantibus & peccantibus venia daretur. Nondum finem dicendi fecerat, cùm Spiritus sanctus in eos descendit, qui eum audiebant. Quos cùm linguis loquentes, & Deum laudantes cernerent, Iudæi Christiani qui cũ Petro venerant, obstupuerunt, q̃ munus Spiritus sancti ad Gentes etiam pertineret. Tum Petrus eos Iesu Christi nomine baptizandos expiandosque curauit. Hierosolymam cùm Petrus paulò pòst adijsset, Iudæi qui nostram disciplinam comprobassent, eum grauiter obiurgarunt, quòd ad homines qui præputium haberent, diuertisset. Quibus cùm rem omnem ordine narrasset, ita in eius sermone acquieuerunt, vt Deo gloriã tribuerẽt, quod etiam

Gentibus pœnitentiæ locum ad vitam dedisset. Ijsdem ferè tēporibus Herodes rex Iacobum Ioannis fratrē securi feriēdum curauit. Quod cùm Iudæis probari ac placuisse cerneret, Petrum etiam cōprehendi iussit, & in vincula conijci, ijs ipsis diebus, quibus Iudæi panibus fermento confectis vesci nō solent, vt eum post Pascha populo produceret. Ecclesia toto illo tempore Petrum precibus suis Deo cōmendare non desistebat. Nocte aūt quā is dies sequebatur, quo eum Herodes producturus erat, Petrus inter duos milites vinctus catenis duabus dormiebat, & custodes ad ianuam carcerem custodiebāt, cùm Dei angelus præstò fuit, qui excitato Petro, vt surgeret, vestēq; sibi sumeret, seq; sequeretur, imperauit. Ille catenis repentè è manibus elapsis, sic eum sequi cœpit, vt sibi visum oblatum existimaret. Nec verò ab erratione antè liberatus est, quàm præteritis primis & secundis vigilibus, portaque Ferrea, quæ eis vltrò aperta est, quæ eadem ad vrbem ferebat, viaque vnà confecta, ab eo angelus discessit. Tum demum cùm se collegisset, certò scire se dixit, angelum à Deo missum esse, qui ipsum è manibus & potestare Herodis eripuisset, & Iudæorū expectatione. Domū cùm venisset,

set, Mariæ matris Ioannis, qui Marcus dictus est, in qua multi orabant pulsauit fores. Cumq; puella quædã Rhode nomine accurrens, quisnam pulsaret, rogaret, cognita Petri voce non aperuit, sed gestiens lætitia omnibus nunciatũ redijt, Petrum ad fores stare. Illi qui eum in carcerem cõiectũ custodiri etiã existimarent, primùm insanire eam dixerunt, deinde cùm illa ita esse affirmaret, eius angelum esse fatebantur, in eaque sententia permanserunt, quod Petrus qui semper pulsabat, intromissus, rei veritatẽ cõprobauit. Ipse manu indicto silentio, eis rẽ omnem ordine exposuit, eosq; rogauit, vt ea ipsa Iacobo & condiscipulis nunciarent. Iudæi posteà extiterunt, qui primùm Antiochiæ, deinde etiam Hierosolymæ docerent, qui non circunciderentur, vitam sempiternam consequi posse neminem. Tum fortè Antiochiæ erant Paulus & Barnabas, qui cùm contrà docerent, id non esse necessarium, res ad magnam contentionem seditionemque peruenit: itaque Christianis omnibus, qui eam vrbem incolebant, Paulum & Barnabam vnius, quosdamq; alios alterius factionis, mitti placuit de hac cõtrouersia Hierosolymam ad apostolos atque maiores natu. Quò vt venerunt,

apostoli maiores q; natu cõuenerunt vnũ in locum, vt quid de hac re teneri oporteret, viderent. Cumque res diligẽter tractaretur, Petrus surgens, scire omnes qui aderant, dixit: prouidentia diuina iampridem factum esse, vt ex ipsius ore Gentes Euangelij verba audirent, & crederent, idque Deum ita approbasse, vt eis æquè ac ipsis qui Iudæi essent, spiritum sanctum daret, nihilque inter vtrosque interesse ostenderet. Itaque nihil esse quòd dent operam, vt Deus onus discipulis imponat, quod neque ipsi, neque maiores ferre potuissent, præsertim cum munere ac beneficio IESV Christi, gloriam sempiternam, quemadmodum illi se consecuturos esse considerent. Iacobus frater Iudæ Apostoli, qui Hierosolymitanus Episcopus erat, cùm perorasset Petrus, ita locutus est: Simonem narrasse, quemadmodum Deus primùm constituerit ex Gentibus populum sibi adipisci ac sumere, id quod prophetæ tradidissent. Itaque hoc censere se, eorum animos, qui ex Gentibus ad Deum reuerterentur, non esse conturbandos nouis legibus, sed scribendum ad eos esse, vt se deinceps ab ijs quæ idolis immolarentur, à stupro & fornicatione, ab eorũ animalium quæ suffocata essent, sanguine absti-

abstinerent. Hoc omnium sententijs comprobatũ est. Itaque missa Epistola ad eos qui Antiochiæ erant, cuius hæc fuit sententia, Visum esse Spiritui sancto & ipsis, nihil oneris eis imponere, nisi ea quæ modò commemorauimus. Atque hæc quidẽ sunt, quæ de Petro in his libris, qui noui testamenti nomine inscribuntur, & appellantur, scripta reperiuntur. Quę autem deinceps narrabimus, ab alijs vt ab Egesippo, Irenæo, & Eusebio, Hieronymoque accepimus. Romam quidem Petrus venit Claudio Imperatore, ibique pontificatum quinq; & viginti annis gessit, vt omnes probati auctores ac veteres cõmemorãt. Quòd si quinq; & viginti annis põtificatũ administrauit, id est, vsque ad quartumdecimum Neronis annum, qui idem vltimus fuit, certè tertio vel secundo, vt Hieronymo placet, Claudij anno primũ Romam venerit, necesse est. Nonnulli autem exponunt, in ijs Clemens, qui ei quarto loco successit, eum Romam eo maximè consilio venisse, vt Simonis Samaritani, de quo paulò antè dixi, errorem refelleret. Egesippus quidem principio tertij libri aliquid narrat, quod quia & ad Petri laudem, & Simonis summum dedecus pertinet, non erit alienum exponere. Si-

monis istius fraudes & præstigiæ tantum apud Neronem valuerant, vt non solùm primum apud eum locum amicitiæ teneret, verùm etiam illi ab eo diuini honores tribuerentur, vt Iustinus, Irenæusque cōmemorant: præter autem alia inusitata opera, quæ effecturum se esse pollicebatur, etiam mortuos ab inferis excitare se posse iactabat. Excesserat tum forti è vita Romæ adolescens nobilis, Neronis propinquus, ad quem excitandum alij Petrū, alij Simonem accersendù censuerūt: illi cùm venissent, Petrus Simoni qui suā vim & potestatem iactaret, priores partes dedit, ita tamen vt si id quod se facturum esse profiteretur, non præstaret, ipsi non deesset. Simon qui plurimùm apud barbaros & ignaros nostræ religionis homines artes suas valituras speraret, conditionem hanc præposuit, vt si ipse adolescentem ab inferis excitasset, Petro moriendum esset: sin Petrus hoc certaminis genere vicisset, idem supplicium maneret. Placet Petro cōditio. Accessit ad mortuum, qui vt carmina quędam pronunciare cœpit, is qui mortuus erat, caput mouere, & agitare visus est. Hinc clamor barbarorum, eum viuere, cum Simone loqui, cum gaudio vociferantium: hinc in Petrum

irarum

itarum stimuli, hinc etiam irridentium cachinni, quòd se ausus esset cum Simone comparare. Petrus qui ea falsa quæ à Simone fiebant intelligeret, eundem vultum, eundem oris animiqúe habitũ ferebat. Silentiũq3 imperauit, ita locutus est, non id verum esse quod videretur, sed speciem quandam veri imitari. Quòd si verũ esset eum viuere, ipse loqueretur: si verè ab inferis excitatus esset, surgeret, incederet, colloqueretur. Atque quò facilius nõ solùm id falsum esse quod videretur, intelligi posset, sed ne iam quidem ostendi speciem posse, Simonem à mortuo iubet secedere: cùm recessisset, ne moueri quidẽ vnquam visus est postea. Tum Petrus cùm secum ipse silentio paulisper orasset, adolescenti vt Christi nomine sanus & incolumis surgeret, imperauit. Statim surgit adolescens, loquitur, incedit, cibum capit. Eum postea matri tradidit, quæ cùm eum rogaret, vt ab se illum discedere ne pateretur, eam ne timeret, hortatus est, eum enim custodem suũ habere. Hoc cùm omnibus ingentem admirationem excitasset, in contrariũ versa sunt omnia. Petrũ laudibus in cælũ ferre oẽs, Simonem vt præstigiatorẽ irridere, explodere, & lapidib. obruere, idq3 factũ esset, nisi Petrus

com-

compresso ac sedato paulisper tumultu, satis acre de illo supplicium sumptũ esse dixisset, quòd artes suas nihil valere intelligeret atq; sentiret. Viueret ille sanè, & Christi regnũ crescere vel inuitus cerneret. Angebatur ille Apostoli gloria, seq; victum dolebat. Itaque conuocato populo, offensum se à Galilęis (sic enim nostros contumeliæ causa appellabat) ostendit, deserturumque se dicit eam vrbem, quam tueri soleret. Constituit diem, quo in cælũ volando ascenderet, sibique in cælum quãndo vellet, aditum patere dixit. Dies vt cõstitutus venit, collem Capitolinum conscendit, vnde se deijciens volare cœpit, cum summa populi admiratione, qui eum venerabatur: plerique vim talem Dei, non hominis esse dicebant, nihil tale fecisse Christum. Petrus interea orare cœpit Iesum, vt ei suas artes futiles esse ostenderet, nec tali specie populus deceptus, non facilè ad fidem compelli adducique posset. Se tamen precari, vt sic in terram caderet, vt nihil se potuisse, viuus recognosceret. Ille vt Petrus finem dicendi fecit, implicatis remigijs pennarum quas sumpserat, corruit: nõ quidem exanimus, sed fracto debilitatoque crure. Aretiã concessit, ibique mortuus est. Quod vt Nero com-

comperit dolens amici casu, ereptumque sibi vrium Reip. vtilem ac necessariũ, molestè ferens, Petrum quemadmodum interficeret, cogitare cœpit. Cùm verò comprehẽdi eum iussisset, ea re cognita, Christiani omnes eum rogant, vt aliò se recipiat Petrus contrà, se non commissurum dicit, vt metu mortis cessisse videatur, æquum esse mori pro Christo, qui mortem subijsset pro omnibus, non mortem illam, sed immortalitatẽm futuram, indignam se esse fugam mortis, qui multos doctrina sua, vt se hostias Christo offerrent, impulisset. Christi prædictione mortem sibi subeundam esse, qua Deo gloriã tribueret. Atque hæc quidẽ & his similia, Petrus afferebat, plebs aũt illachrymans ab eo petebat, ne se inter maximas sæuiẽtium barbarorum tẽpestates fluctuantem desereret. Vicerũt fletus & lachrymæ obstinatum animum. Discessurum se ex vrbe pollicetur. Itaque in sequẽti nocte salutatis Christianis, proficisci solus cœpit, qui vt ad portam qua egredi constituerat, venit, Christum sibi obuiàm prodire videt, adoransque eum, quonam iret rogauit. Ille cùm Romam se vt iterum cruci suffigeretur, venire dixisset, statim Petrus hoc de genere mortis suæ dictum intelle-

xit,

xit. Itaque in vrbem redijt, nec ita multò post comprehensus, supplicio crucis inuerso capite, quòd indignum se esse diceret, qui ita vt Christus morerctur, affectus est. In cruce multis verbis Christo oues commendauit, quas ipsi tradidisset.

VITA BEATI PAVLI APOSTOLI, IOACHIMO Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.

PAulus qui anteà Saulus appellabatur, Iudæus, vt ipse ait, Pharisæusque genere, ex tribu Beniamin, Tharsi quod est Ciliciæ oppidum, natus est. Vt aũt aptus literis eius animus fuit, eũ Hierosolymã legis Mosaicæ perdiscendæ causa parentes miserunt, ibiq; Gamalielem legis optimum interpretem doctoremque audiuit. Hic autem eum fructum ex studijs percepit, vt statim ei contigerit æquales suos longè multumque superare non solum legum institutorumque, quæ à maioribus acceperat, doctrina, verùm etiam in ijs defendendis studio, & voluntate. Itaque dum etiã admodũ adolescens esset, cerneretque Stephanum aliam disciplinam, vt ipsi videbatur, Mosaica sublata

lata & conuulsa, constituere velle, eorum omnium qui illum ea de causa lapidibus obruerũt, vestes custodiuit, necisque eius vt ipse ait conscius fuit. Nec verò ita multò pòst, biennio ferè exacto, cùm ipse per se iam religioni disciplinæque nostræ nocere posset, hostili infestoque animo Ecclesiam primùm domi, id est Hierosolymæ, deinde foris oppugnare cœpit. Nam in ædes ipse irrumpebat, virosque ac mulieres, qui Christum vt Deum colerent, vi abductos tradebat custodiæ. Impetratis verò hac de re à principe sacerdotũ ad synagogas Damascenorum epistolis, quasi furijs agitatus, adiunctis comitibus, eò contendit, vt si quos ibi inuenisset huius disciplinæ viros ac mulieres, vinctos Hierosolymam perduceret. Iam ille magnã itineris partem in eo consilio propositoque permanens confecerat, cùm subitò media luce, offuso, obiectoq; cœlesti lumine excæcatus, metuque perculsus, ex equo decidit. Tum verò huiusmodi vocem exaudiuit, Saule, Saule, quid me oppugnas? Cumq; obstupescens, quæsiuisset, Quis es Domine? illeque dixisset, Se esse Iesum quem oppugnaret ac prosequeretur, durũq; ac graue ei esse stimulo calces opponere: tũ quærere cœpit, quid se ille facere

iube-

iuberet At ille, vt Damascum proficisceretur admonuit: ibi enim eum auditurũ, quid ipsum facere vellet. Comites autem Pauli perterrefacti constiterant, cùm & vocem exaudirent, & viderent neminem. His ita gestis, Paulus vt præceptis Christi parêret, oculos aperit, sed cùm nihil prorsus cerneret, à comitibus deductus est. Iam triduò oculorum munere caruerat, cibumque non ceperat, cùm quidam CHRISTI discipulus, cui nomen Ananias, ab illo in visu admonitus confirmatusque, quòd Paulum sibi discipulum doctoremque gentium delegisset, ad Paulum adijt, eique negotium, quod ipsi Christus dedisset, exposuit. Expiatur salutari aqua Paulus, captoque cibo vires suas seque collegit. Atque hoc qui dẽ pacto Paulus à vita Deo ingrata ad Christianam religionẽ traductus est. Nunc quem in hac se præbuerit, dicendum est. Nunquam ille tam infestus & acer nostræ religionis disciplinæque; antè quàm ei se Christi impulsu addixit, oppugnator, hostisque fuit, quàm magnum se eiusdem posteà propugnatorem defensoremque prestitit. Ad eam enim defendendam tum celeritatem attulit, tum studium, tum incredibilem inuicti animi in omni suppliciorum genere patiẽtiam

&

& constantiam. Nam vt primùm aqua salutari expiatus est, qui anteà in Iesum cõtumeliosus fuisset, eumque Deum esse ac Christum, quem Iudæi seruatorem expectarent, ita pernegasset, vt qui id confirmarent, eos vinctos ad suppliciũ necemque, vt dixi, raperet: contrà non priuatim & obscurè, sed publicè ac palam Damasci in senatu concilioq; publico ciuitatis hũc & filium Dei & Christum esse, profiteri ac prædicare cœpit. Quæ eius tam repentè facta mutatio, cõtrariaque oratio, & omnibus qui eum audiebant, tantæ admirationis fuit, vt dicerent: An non hic Hierosolymæ eos, qui Iesum appellabãt, oppugnabat, eoq; huc venit, vt vinctos illos ad principes sacerdotũ pertrahat? & Iudæis tam inuidiosa atque inuisa, vt tandẽ communi consensu & quasi conspiratione eũ necare decreuerint. Quod quò & commodiùs & maturiùs facerent, præfectum Arethæ regis rogant, vt vigiles pro portis excubare iubeat. At eius discipuli illorum insidijs cognitis, ipsum noctu è specula in sporta dimiserunt, & ita fuga salutem quæsiuit. Lucas quidem eum commemorat, statim ex hac fuga se Hierosolymam recepisse, conantẽque se discipulis adiungere, metu prohibitum fuisse, quòd illi

d. sci-

discipulum eum minimè crederent: Barnabæq; opera ad Apostolos adductũ esse, qui eis ordine quæ & in itinere sibi euenissent, & à se Damasci Iesu nomine magno animo acta essent, narrauerit. Ipse autẽ Paulus in Epistola quã ad Galatas multò pòst scripsit, se ad Apostolos profectum negat, nisi triennio pòst, primũq; in Arabiam concessisse, deinde Damascũ rediisse confirmat. Itaque vel Lucas prætermissa eius in Arabiam profectione, & in Damascum reditu, quod triennio pòst egerit Paulus commemorat, vel certè Paulus ex illa fuga Hierosolymam ad Apostolos se recepit, cum eisque tã paucos dies commoratus est, vt hoc sibi cõmemorandum non putauerit. Vtcunque res habeat, hoc profectò constat, eum & Hierosolymam & in Arabiam venisse Quantum quidem temporis in Arabia consumpserit, incertũ est Neque enim ipse, neque Lucas, neque quispiam alius tradit. Hoc autem dubium non est, quin in ea regiõe quandiu commoratus est, multa verba de religione nostra fecerit, multosque ad Chrsti fidem deduxerit. Ab Arabia Damascum se redijsse dicit, deinde triennio pòst Hierolymam venisse Petri videndi causa, & apud eum dies quindecim commoratum,

alium-

aliumque Apostolum præter Iacobū fratrē, id est, propinquū Domini, vidisse neminem, Quinoecimo post die, in Syriā & Ciliciam concessit, quòd vt ipse ait, Ecclesijs Iudæę quæ Christum colebant, facie ignotus esset. Atq; hoc ipsum est fortasse, quod Lucas deinceps commemorat, eum cum à Barnabā ad Apostolos deductus esset, ipseq; cū Gentibus locutus esset, disputassetque cum Græcis, qui illum ob eam causam interficere cupiebant, à Discipulis cognito eorum cōsilio deductum esse primùm Cęsaream, deinde Tharsum Ciliciæ oppidum. Cùm autem illic esset, Barnabas qui Antiochiam à Discipulis gratulandi causa ijs quos Christo credidisse cognouerant, missus erat, hortandique eos, vt in suscepta professaq; semel fide permanerēt, non ita multò post Tharsum vt illū quæreret, profectus est, quē cùm inuenisset, eum Antiochiam duxit, ibique annū continuum ita populum docuerunt, vt Discipuli tum primùm Christiani nominarentur. Visum est etiam tum discipulis, qui in ea vrbe habitabāt, cōferre quātum quisq; poterat, ac pro facultatibus, idque per Barnabam & Paulum discipulis egentibus qui Iudæā incolebant mittere. Quo expleto munere, Antiochiam adiuncto

Ioan-

Ioanne qui Marcus appellatus est, reuersi sunt. Erant autem præter illos Antiochię tum prophetæ & doctores permulti, qui cùm Dominum colerent, ac ieiunarent, Spiritus sancti iussu Paulum & Barnabam ad id munus & opus, ad quod perficiendum eos delegerat, positis super eos manibus. cùm orâssent atque ieiunassent, dimiserunt. Illi autem à Spiritu sancto delecti atque missi, primùm in Seleuciam venerunt, deinde in Cyprũ nauigauerũt, vno comite itineris Ioanne, de quo paulò antè dixi. Cumque totã Insulam vsque ad Paphum obijssent, Sergius Paulus proconsul vir prudens eos accersiuit, quòd verbum Dei audire cuperet. Erat tum in eius comitatu quidam magus, cui nomen Elymæ erat, qui Apostolis, cùm proconsulem à sententia abducere studeret, resistebat. Hoc cùm Paulus instinctu Spiritus sancti cognouisset grauissimis eum verbis obiurgare cœpit, quòd Diuina consilia institutaque dissolueret ac tolleret, eumque cæcitate ad tẽpus huiusmodi sceleris sui pœnas daturũ esse prædixit. Vix ille finem dicẽdi fecerat, cùm Elymas cæcus repente effectus. qui se duceret obambulans visus est requirere. Quo tam admirabili facto adductus Sergius Paulus

pro

proconsul, credidit. Ex quo plerique, in his Hieronymus, illum qui antea Saulus diceretur, Paulum nominatum esse confirmant. Paulus autem & Barnabas à Papho soluentes Pergen Pamphyliæ vrbem traiecerunt, Hinc Ioanne Hierosolymam reuertente, ipsi Antiochiam Pisidiæ oppidum recto cursu contēderant. Quo in oppido cùm aliquandiu commorati essent, in synagogam conuenerunt, lectisq; pro more nonnullis, legis & prophetarum capitibus, principes eos rogauerunt, num quid vellent dicere. Tū Paulus clarissima oratiōe vsus est, qua Dei in Iudæos beneficia vsq; à Patriarcharū selectione populiq; ex Aegyptiorū seruitute, liberatione repetens cōmemorauit, perduxitq; ad Dauidē. ex cuius semine, ac genere Iesum seruatorem Deus ex pacto extulisset, quem Ioannes venturum prædixisset, venienti testimoniū diuinitatis dixisset, quē principes sacerdotum nullo comperto crimine innocentem indicta causa in crucem egissent, ablatumque sepulturæ tradidissent, quem tertio pòst die ab inferis excitasset, conuenienter ijs omnibus, quæ à prophetis prędicta essent. Eum esse agnoscerēt, cuius beneficio delictorum eis gratia fieret, quam facere lex Moysis minimè

potuisset. At eis qui ab Abrahamo genus duxissent, qui Deum timerent, hoc verbũ salutare missum esse, ad eosq; pertinere. Cùm finẽ dicendi fecisset, dimissaq; concione, ipse & Barnabas exirent, eos rogarunt vt proximo die, qui solennis erat habendis concionibus (sabbatũ vocãt) ijsdem de rebus verba facerent. Multi autem Iudæi & peregrini eos secuti sunt, quos illi vt in sancto proposito permanerent, hortari non destiterunt. Cùm autem dies venisset, tota propè ciuitas conuenit ad verbum Dei audiendũ. Quod cùm Iudæi animaduerterent, ira perciti, iis quæ à Paulo dicebantur, contradicere cœperuut. Tum Paulus & Barnabas magno constantiq; animo Iudæis dicunt, eis primùm consilium verbumque Dei exponẽdum fuisse, se autem iam, quod indigni essent illi iudicio suo sempiterna gloria quam prædicarent, ad Gẽtes proficisci, sic enim Dominum ipsis præcepisse. Quod cùm ij qui erant ex Gentibus, audirent, maximam ex eo voluptatẽ perceperunt, Dominiq; verbũ maximis laudibus honorificisque verbis extulerunt, quin etiam omnes quibus vitã æternam Deus dare decreuerat crediderũt. Hanc continuò Apostolorũ gloriã Iudæorũ inuidia consecuta est. Adduxe-

runt

runt enim eos in inuidiam odiumq; primorum ciuitatis, ac mulierum tātum, vt orto tumultu excusso primùm ex pedibus Dei præcepto puluere Iconium venirent. In hoc quoq; oppido cùm synagogam Iudæorū ingressi ita verba facerent, vt multos Iudæos & Græcos ad religionem disciplinamq; nostram deducerent, Iudæorū opera & inuidia in eos Gētium animi cōcitati sunt. Ac multisquidem diebus quibus ibi commorati sunt, magno animo egerunt, cùm intereà Dominus signis miraculisq; verbū suum ornauit ac probauit. Cùm aūt distracta diuisaq; esset in partes duas ciuitas, alteraq; pars Apostolos sequeretur, altera quæ cum Iuæis faciebat impetu facto, eos contumelia affectos lapidibus obruere decreuisset, huius rei certiores facti se Lystram & Derban Lycaoniæ oppida contulerunt, ibique atque in finitima regione docendi verbi diuini munere functi sunt. Tum fortè Lystris erat claudus quidam qui semper ingrediendi munere caruerat, Eum cùm Paulus ita audientem animaduerteret, vt se curari posse non videretur diffidere, clara voce ei vt rectus se in pedes erigeret, imperauit. Erigit se ille, valentisque riru ingredi cœpit. Quod cùm turba animaduertisset

magna voce Lycaonicè omnes, Deos specie habituq; hominū ad se venisse clamant, nuncupantq; Barnabam Iouem, & Paulum Mercuriū, quòd dux verbi esset, Sacerdos quoque Iouis hoc comperto, tauros cum coronis ante portas vrbis vnà cū populo volebat immolare, fecissetque nisi Apostoli in medium scissis tunicis prodijssent cum hac oratione. Se etiam mortales esse illis similes homines, qui docerent rebus huiusmodi fictis & falsis repudiatis Deum viuū colendū esse, cuius opere cælū, terra, mare, omniaq; quę illa complexu suo continerēt, constitissent, qui superioribus tēporibus Gentes suo arbitratu viuere licuisset, quibus tamē specimen sui edidisset, pluuijs temporibusque fertilitatem præstantibus. Quæ cùm illi dixissent, vix tandem obtinere potuerūt, vt ne immolarent. Nonnulli aūt Iudæi nec ita multò pòst Antiochia & Iconio venientes multitudini persuaserunt. vt Paulum lapidibus obruerent, quem eiectum ex vrbe pro mortuo reliquerunt. At discipulorum opera qui eum circundederunt, seruatus in oppidum introiuit, posteraq; cum Barnaba Derbam profectus est. Cūq; in illo oppido verbum DEI docuissent, adduxissentq; multos in Christo fidem,

Lystram

Lystram, Iconium, & Antiochiam reuersi sunt, ibiq́ue discipulorum animis confirmatis cùm exhortati eos essent, vt in fide permanerēt, multisq́ue calamitatibus & aduersis rebus superatis, in Dei regnum introeundum esse docuissent, præfectisq́ʒ singulis vrbibus presbyteris orassent cum jeiunijs eos Domino in quem crediderant commendauerunt. Tum verò obeuntes Pisidiam, in Pamphyliam contenderunt, cumq́ue Pergæ verbum Dei nunciassent descēderūt in Attaliā, inde Antiochiā in qua vrbe delecti fuerāt ad id munus quo functi erant, nauigauerūt. Quò cum peruenissent, conuocata concione, exposuerunt omnia quæ DEI benignitate egissent. Commorati sunt autem ibi multos dies cum discipulis, quo quidem tempore quidā ex Iudæa venerunt qui hoc profitebantur, Nisi qui ex lege Mosis circūcisus esset, salutē adipisci posse neminem, Cumq́ʒ Barnabas & Paulus ab illis discreparēt, ex eaq́ʒ dissensione, orta esset, vt fit seditio, placuit omnibus, Paulum & Barnabā cum alijs nonnullis alterius factionis Hierosolymam ad Apostolos & presbyteros de hac quæstione mitti. Illi per Phœnicem & Samariam Hierosolymam profecti, ibi exponebant, quanta DEVS

ipsorum hortationibus apud Gentes fecisset, ijsque commemorandis omnium animos ingenti lætitia affecerunt. Quòd etiam Hierosolymam cùm venissent facere minimè destiterunt. Ibi autem conuocata concione cùm rem cuius causa missi essent narrassent, quæ illis etiam temporibus in ea vrbe Pharisæorum maximè qui crediderant opera quæstio posita est, dictis vicissim sententijs, tandem placuit ad eos discipulos, quorum animi eius quæstionis difficultate Antiochiæ distraherentur, hoc scribi per Iudam qui etiam Barsabas dicebatur, & Silam viros primos in ecclesia, Paulo & Barnaba adiunctis, visum esse spiritui sancto atque ipsis, nihil eis oneris Mosaicæ legis imponere, nisi vt à stupro, & ab animalium ijs cibis, qui idolis immolati essent, & à sanguine quæ suffocata essent abstinerent. Illi autem Antiochiam cùm venissent, conuocata multitudine epistolam reddiderunt qua perlecta, incredibilem animo ex consolatione ceperunt voluptatem. Aliquot verò interiectis diebus Paulus cum Barnaba egit vt ad eas regiones ac ciuitates in quib. verbũ Dei exposuissent, reuerterentur, viserentque quid fratres ac discipuli agerẽt. Cũq; Barnabas probato collatu-

collaudatoque cõsilio Ioannem quẽ paulò antè reuertisse Hierosolymam dixi, secum esse vellet, Paulus autem nollet propterea quòd Hierosolymam tum cùm ipsi operam eius desiderarent, abijsset: secula est, ex eo dissensio tanta, vt Barnabas cõmite itineris Ioanne asscito, in Cyprũ adiret, Paulus adiuncto delecto q3 Sila Syriã & Ciliciam obiret, quibus in regionibus confirmatis discipulorum animis eos vt Apostolorum presbyterorumq3 pręceptis parerent, admonebat. De qua illius profectione antè quam plura dico, libet de superiore quam Hierosolymã, vt dictũ est, susceperunt, ille & Barnabas, aliquid dicere. Mihi quidem hęc illa videtur esse quam in Epistola ad Galatas exponit his verbis: Se iterum Hierosolymam quartodecimo anno pòst, asscito Tito vnè cum Barnaba venisse contulisseque cum discipulis, sermonemque habuisse de eis, quæ ad Euangelium quod gentibus & apud Gentes prædicaret, pertinerent, idque in commune ac publicè, quòd in eo concilio de quo paulò antè dixi, factum esse arcitror, priuatim autem ac remotis arbitris cum ijs de quibus aliqua esset opinio: Iacobũ autem, Petrum, & Ioannem, qui columnia religionis nostræ esse viderentur, cum

munus, quod Christus ipse concessisset, cognouissent, datis dextris, id est data acceptaq; fide societatem, cum ipso & Barnaba conflāt, vt illi ad Gentes, ipsi ad Iudæos proficiscerētur. Hoc vt credam, me hæc verba cum ijs quæ ex Luca supra cōmemoraui collata & cōiuncta admonēt. Nam cùm ita seiunctum à Paulo Barnabā Lucas propter Ioannem dicat, vt nunquā postea eum à Paulo visum esse commemoraret, his autem verbis confirmat Paulus se vnà cū Barnaba tantò pòst Hierosolymā profecturum esse vt sermonem de euangelij ratione cū apostolis haberet, quod semel factum esse idem Lucas narrat, certè hæc illa ipsa, non alia videtur profectio. Idēque declarat quod deinceps in eadem Epistola Paulus confirmat, Petrum cùm Antiochiam venisset, & modò cum Gētibus modò cum Iudæis clā cibum caperet, cùm Iudæos tum verò Barnabam in istam suam simulatam & fictā traxisse sententiam. Atqui Barnrbas post eam de qua dixi dissensionem, nunquā visus est Antiochiæ. In Cypro enim interfectum eum fuisse, Ioannes is quem secum duxit, in vita eius exponit. Atq; hæc à me eò dicta sunt, vt ne temporum inscitia laberemur. Nunc ad reliquā expositionē reuertamur.

tamur. Paulus igitur comitem itineris laboriſque ſocium delegit Silam. Ij cùm Syriam & Siliciã obeuntes, Derbã & Lyſtriã peruenissent, Paulus ibi Thimotheũ patre Gentili matre Iudæa eaq; fideli natũ, cuius de vitæ integritate, disciplinæque obseruatiõe discipuli bene existimarẽt ac loquerẽtur, cùm inuenisset, secum proficisci voluit, eumq; propter Iudæos circũcidit. Quocunq; venissent, ea quæ ab apostolis & presbyteris Hierosolymæ decreta fuerant seruanda tradebant. In Phrygiam & Galatiã cùm venissent, Spiritus sanctus vetuit ne verbum Dei in Asia docerent. Inde cùm traiecissent in Mysiam vellẽtq; in Bithyniam venire, Spiritus Iesu non siuit. Itaq; ex Mysia Troadem profecti sunt. Hic visum Paulo ostensum est. Vir quidam Macedo visus est ei stare, ac orare, vt in Macedoniam traijceret seque adiuuaret. Quo ex visu intellexit Paulus ijque qui cum eo erant. cùm eis exposuisset, se à Deo ad Euangelium Dei Macedonibus renunciandum vocari. Itaque statim Troade recto cursu Samothracam, & insequẽti die Neapolim tenuerunt, inde Philippos quę est prima partis Macedonię ciuitas. In hac vrbe aliquot dies cõmorati sunt. Egressi autem portam ad flumen

precationis causa cùm consedissent, verbumque Dei mulieribus, quæ eò conuenerant, prædicarent, & in ijs quædam mulier Lydia nomine purpuraria Thyatirorumque Deum colebat, ea quæ à Paulo dicebantur attentè audiret, afflata spiritu sancto credidit. Cumq; aqua vitali expiata, totaque eius familia rogaret, vt si se fidelē esse Domino cognouissent, ad ædes suas habitatū venirent, impetrauit. Cum autem Paulus cum suis precationis causa irēt, facta est eis obuiam puella quædam, quæ numine Pythonico afflata diuinando; magno quæstui Dominis suis erat. Hæc Paulum comitesque eius secuta, magna voce hæc locuta est, Hi homines serui Dei sunt, qui vobis viam salutis ostendunt. Idque multis diebus fecisse dicitur. Paulus autem ad eam conuersus, Dæmoni imperauit, vt Iesu Christi nomine ex illa exiret, eodemque puncto temporis egressus est. Domini autem puellæ cùm de spe quæstus hoc pacto se decidisse animaduerterent, Paulum & Silam comprehenderunt, perduxeruntq; in forum ad principes, producentesque magistratibus, eos dixerunt perturbare ciuitatem, docereque morem & disciplinam, quam sequi & approbare ciuibus qui Romani essent, minimè

nimè liceret. Magistratus cùm etiã multitudoin eos infesta venisset, scissis tunicis suis, eos virgis cædi iussit, cæcos in vincula coniecit. Media autẽ nocte cùm ita precarentur Deum & laudarent, vt ab alijs qui erant in carcere facilè exaudirentur, terræmotus repentè factus est tantus, vt etiam carceris fundamenta commouerentur, & ostia aperta sint, & vniuersorũ dissoluta vincula. Expergefactus autẽ custos carceris ex illo terræmotu, cùm apertas ianuas carceris cerneret, destricto gladio se ipse iam interficere volebat, quod vinctos fugisse existimaret, cùm statim Paulus voce magnà clamare cœpit, ne se interficeret, vniuersos enim esse etiam in carcere. Ille cum lumine introgressus, cùm eos solutos videret, tremore correptus, se ad pedes eorum misit, ducensque extra carcerem, rogare eos cœpit, quid sibi faciendum esse censerent, vt vitã consequeretur sempiternam. At illi hoc ei responsum dederunt, Si in Iesum Christũ crederet, fore vt ipse familiaq; eius tota gloriam sempiternam adipiscerentur. Domum autem eius cùm venissent, primùm quæ ad salutẽ pertinebant, ei totiq; familiæ tradiderunt. Deinde ablutis plagis, cum familiamq; eius totã aqua salu-

tari expiauerunt, tum mensa instructa ijs epulis, quas ille pro tēpore parare potuit, vnà cibum læti ceperunt. Prima autem luce per lictores custodi magistratus imperarūt, vt illos emitteret. Quòd cùm ille Paulo nunciasset, quæstus est quod cęsos se ac Silam publicè, & homines Romanos indemnatos in vincula coniecissent clàm emitterent. Non ita fieri oportere, sed ipsi venirent, & emitterent. Quod cùm lictores principibus ciuitatis renunciassent, timore perculsi illi, quòd Romanos esse Paulum & Silam audirent, eos rogare cœperunt, cū eos eduxissent, vt ex vrbe discederent. Illi aūt educti è carcere, in Lydiā concesserūt: inde visis fratribus cùm eos consolati essent, profecti sunt. Cùm aūt peragratis Amphipoli & Apollonia, Thessalonicā, vbi Iudæorū synagoga erat, venissent, Paulus ter in hebdomada de scripturis cum eis disputabat, totaq; eius oratio in eo consumebatur, vt doceret Christū & perpeti mortē oportuisse, & à mortuis excitari, & Iesum esse Christum eum, quem ipsis prædicaret. Nec verò eius oratio inanis fuit. Nam & ex Iudæis quidā crediderūt, Pauloq; ac Silę cōiuncti sunt, & ex Gentib. permulti, & in his nō paucæ mulieres nobiles. Erat in ea

vrbe

vrbe Iason quidam, qui Paulū & Silam, in domum suā acceperat. Quod cùm Iudæi intellexissent, ij qui in falsa sua sententia permanserunt, adhibitis de vulgo viris quibusdam facinorosis, orto tumultu ciuitatem concitauerunt, eoque consilio domum Iasonis conuenerunt, vt cùm eos inuenissent, populo producerent. Sed cùm eos non inuenissent, Iasonem ipsum & quosdam Christi discipulos ad principes ciuitaiis rapere & trahere cœperunt, cum hoc clamore, Iasonem esse qui eos quos tenerent, & alios homines qui orbem cōcitarent, eoque iam venissent, hospitio exceperit atque eos omnes contra Cæsaris decreta facere, cum regem alium Iesum esse dicerēt, Qua quidem sua oratione plebem principesque ciuitatis concitauerunt. Cùm verò Iason cæterique quos vnà cum eo productos paulò antè dixi, causam dixissent, dimissi sunt ac liberati, Christiani autem confestim noctu Paulum & Silam Berrhœam miserunt: quò cùm venissent, in Iudæorum conuentum introierunt, habitoque de religione nostra cum eis multo sermone, permultos & Iudæos & Gentiles tam viros quàm mulieres ad Christi fidē cultumque traduxerunt, Quòd cùm Iudæi qui erant

Thessalonicæ, resciuissent, Berrhœam venientes, ita tumultibus vrbem impleuerunt, vt Christiani statim Paulum, Timotheo Silaque ibi remanẽtibus, coacti sint ad mare mittere. Sed ij qui eum deducebant, ipsum Athenas vsq; prosecuti sunt, quibus cùm Paulus mandatum dedisset ad Silam & Timotheum vt quamprimũ ad se venirent, abierunt. Paulus autem cùm eos Athenis expectaret, cerneretque idololatriæ deditam ciuitatem, animi agitatione inflammari impellique cœpit, vt de rebus ad religionem nostram pertinentibus ibi dissereret. Quod factum est, vt & in synagoga cum Iudæis & Christianis, & in foro quotidie cum eis qui cõfluebant disputaret. Quidam autem Epicurei & Stoici cum eo disserebant, multisque de doctrina noua ex vtraque parte inter se collatis sermonibus, cùm ad Areopagum pertraxerunt, quò liberiùs quid ille de hac re tota sentiret, diceret. Ille verò in medio Areopagi stans, hæc liberè dixit. Se illos omni ex parte superstitiosiores animaduertere, propterea quòd ipse cùm illorum simulacra præteriret, atque inspiceret, aram etiam inuenisset, in qua hoc inscriptum esset. Ignoto Deo, quasi quod ignorarent, colerent,

atque

atque venerarentur. Quòd igitur ignari colerent, id se eis enunciare. Deum enim qui hanc vniuersitatē, eaque omnia, quæ complexu suo continet, effecit, cùm cæli terræque sit Dominus, nō in templis quæ manu opereque hominū facta sint, habitare, nec manibus hominū coli, quasi aliquo egeat, cùm ipse det omnibus vitā, spiritū, cæteraque omnia. Eundēque fecisse vt ex vno omne hominum genus vniuersum terram incolant, definito vitæ cursu quem omnibus dederit, vt quærant Deum, si fortè ad eius notitiam perueniant, quanquam non multum ab vnoquoque nostrum abest. Eius enim benignitate & viuere nos, & moueri loco, & esse, quemadmodum quidam poëta illorū dixerit: Nam sumus & genus eius. Nos igitur cùm genus Dei simus, eiusque cognatione teneamur, non debere existimare auro & argento aut lapidi, quem homo arte & cogitatione sua sculpserit, similem esse diuinitatem. Et tempora quidam huius ignorationis cùm Deus detestatus sit anteà semper, tum deinque hominibus patefacere, vt omnes actæ vitæ pœniteat, propterea quòd diem constituerit, in quo orbem iustè sit iudicaturus eo iudice, quem esse decreuerit, tradita omnibus

fidē,

fide, cùm eum à mortuis excitasset. Cùm autem mentionem resurrectionis fieri audissent, eorum partim irridere cœperũt, partim se de ijsdem rebus Paulum iterum disserentem audituros esse dixerunt. Sic Paulus è Senatu dimissus est. Quidam tamẽ ei assensi sunt, in his Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris. Illis quidem temporibus Claudius Cæsar Iudæos omnes ex vrbe Roma abire iusserat. In his Aquila quidam Iudæus Ponticus genere, & Priscilla eius vxor relicta Italia Corinthum venerat. Paulus autem cùm Athenis Corinthum contendisset, ad eos adijt, habitauitq; apud eos, quòd eiusdem artis essent, quæ in tabernaculis faciendis versatur, eiusque artis vnà cùm eis opus agere solitus erat. Nec verò arte illa impediebatur, quo minus in synagoga præsertim Sabbato disputaret, daretque operam, vt Iudæos & Græcos ad religionem cultumque nostrum deduceret. Quod tamen & liberiùs & studiosiùs fecit, posteaquam Silas & Timotheus de Macedonia venissent. Orationem autem omnem eò conferebat, vt Iudæis Iesum Christum esse testimonijs scripturæ persuaderet. Quod illi cùm improbarent, atque adeo insectarentur, excussit Paulus vesti-

vestimenta sua cum his verbis, Peccata vestra in capita vestra redundabunt, nulla culpa mea. Iam ad Gentes me conferam. Hæc cùm perorasset, migrans inde domum cuiusdam, cui nomen Lito Iusto erat, qui Deum colebat, venit. In ea cùm synagogæ coniuncta esset, non destitit ea quæ religionis nostræ sunt, exponere, tantumque profecit dicendo. vt & Crispus qui princeps erat synagogæ, cũ omni familia sua crediderit, & multi Corinthij etiam aqua salutari expiarentur. Noctu autem Dominus visus est Paulum monere ne timeret, libereque loqueretur. propterea quòd cum ipso esset, neminemque ei malum daturum, quod magnum hominum numerum in ea vrbe haberet, Commoratus est autem ibi Paulus annum & sex menses, quod tempus in docendo Dei verbo consumpsit. Erat tum Achaiæ proconsul Gallio, ad cuius tribunal Iudæi Paulum adduxerunt, accusaruntque, quòd contrà legem hominibus Deum colere suaderet. Quibus cùm Paulus purgandi sui causa respondere vellet, Gallio vetuit, dixitque Iudæis, eos se æquo animo audituros, si quod facinus proferrent. nunc cum de legis eorum verbis ac nominibus controuersia sit, ipsi vide-

viderēt, se enim earum rerum iudicē esse nolle. Ac Iudæi quidē tum Paulo omisso, toto impetu in Sosthenem ferri, eumque in conspectu Gallionis cæderè cœperunt, nec illi ea res curæ fuit. Paulus verò cùm etiam multos dies illic fuisset, salutatis fratribus in Syriam vnà cùm Aquila & Priscilla nauigauit, peruenitque Ephesum, ibique illis relictis, ipse in Iudæorum concilium veniens, cum eis disputauit. Cūque Ephesо se discedere velle diceret, cumque Iudæi rogarent vt diutiùs commoraretur, non concessit, sed cùm reditum se polliceretur, discessit, venitque Cęsaream, vbi salutatis Christianis Antiochiam profectus est, quo in oppido cùm aliquandiu commoratus esset, Gallatiam Phrygiamque obiuit, eo consilio, vt Christianos in fide confirmaret. Peragratis autem superioribus regionibus, Ephesum redijt, ibique inuentis quibusdam discipulis, ab ēis quæsiuit, num spiritum sanctum credentes accepissent. Cumq; respondissent, se ne id quidē auditione accepisse, esse tne Spiritus sanctus omnino. Rogare eos iterū cœpit, cuius igitur nomine baptizati essent, Tū respōderunt illi, Ioannis baptismo se esse expiatos. Paulus ad hæc addidit Ioannem baptismo pœniten-

tiæ

tiæ populum expiasse, eos monentē, vt in eū qui ipsum sequeretur, id est in Iesum, crederēt. Tū oēs qui erant duodecim numero Iesu nomine baptizati sunt, venitque ad eos spiritus sanctus, cùm eis manus imposuisset, inde linguis loqui. & prophetare cœperunt. His gestis, in synagogā venit, liberèque per trimestre de regno Dei disserūt. Cū verò nonnullos & obstinatè in sententia permanere, & Christi disciplinam cultūq; in conspectu multorū insectari animaduerteret, ab eis discessit, secretisque discipulis in Tyranni cuiusdam schola quotidie disputabat, idq; biennio perpetuū fuit, ita vt oēs qui Asiā incolebant Iudæi atque Græci verbū Dñi audirēt. Hinc Paulus mira quędā opera & inusitata Christi nomine edidit. Nā cùm & sudaria & semicinctia quæ corpus illius attigissent, ægris adhibebantur, ijs etiam qui à dæmonibus torquebantur, statim morbi demonesq; depellebātur quod cū septem filij Iudæi qui exorcistæ habebantur, animaduertissēt, experiri placuit, nū idem facerent quod Paulum facere cernerent. Itaque Iesu nomen in eis qui spiritus malos habebant, inuocabant, his verbis, Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat. Dęmones autem respondissēt, Se & Iesum.

Iesum nosse & Paulum, & illi qui essent, ignorare homo in quo malus genius erat statim in eos inuolauit, vimque eis intulit tantam, vt nudi acceptis vulneribus domo fugerent. Eiusque rei fama cum omnibus Iudæis & Gentilibus qui erant Ephesi, percrebuisset, metu perculsi omnes, Iesum laudibus in cælum extollere. Multi etiam eorum qui religioni nostræ nomen dederant, ea quæ egerant in vita confitebantur. Plerique etiam qui rebus eorum studijsque quibusdam curiosius dediti erant, libros in conspectu omnium combusserunt tanta copia, vt cùm rationem haberent pretij, denariûm quinquaginta millia inuenirent. His ita gestis numine diuino Paulus afflatus, Hierosolymam, Macedonia & Achaia peragratis, ire decreuerat, quòd intelligeret cùm eò venisset, sibi Romam esse proficiscēdum. Tum verò Ephesi ingens motus ob Christi disciplinam ortus est. Demetrius enim quidam qui argentariā faciebat, fingendis ædibus ex argento Dianæ, opificibus atque operis magno quæstui erat, quem cùm Pauli doctrina tolli intelligeret, eos conuocauit, atque in Paulum nostrosque homines concitauit his verbis. Eos scire dixit, quanto ipsi atque sibi hæc ar-

que

quęstui semper fuisset, spectare etiam atque audire, à Paulo non solùm Ephesi, sed penè tota Asia ingentem hominum multitudinem ab eâ religione reuocari, quipqe qui doceret Deos nõ esse, quia manu operęque hominum fierent. Quòd si eos quæstus tantus qui eis eriperetur, criminique dandus esset non moueret, vel Dianæ templum, quod isto pacto contemneretur, eiusque religio ac maiestas, quam tota Asia & orbis coleret, cuius tollendæ fundamenta iacerentur, moueret. Qua Demetrij oratione tanta iracundia illorum animi exerserunt, vt clarissima voce clamarent, Magna Diana Ephesiorum. Hinc totam vrbem tumultus occupauit, impetuque facto communi consensu omnes Caium & Aristarchum Macedones Pauli comites in theatrum vi perduxerunt. Paulus autem cùm ad populum prodire vellet, non passi sunt discipuli. Nonnulli etiam de Asiæ principibus qui cum eo amicitia cũiuncti erant, miserunt, qui eum rogarent, ne in theatrum prodiret. Alij autem aliud sentiebant. Erat enim in magna perturbatione ecclesia, & plerique quam ob causam conuenissent, nesciebant, cùm Alexander de turba protrahitur. Ille silentio postulato

ratio-

rationem reddere nitebatur. Cũ verò Iudæum eum esse cõperissent, clamare tum cœperunt omnes: Magna Diana Ephesiorum. Scriba autem vrbis sedato tumultu, nostros ita defendit, quasi in Dianam illi nihil dicerent, alijsque iactatis sermonibus, qui ad sedandos populi animos pertinerent, concionem dimisit. Motu sedato, discipulos Paulus cohortandi causa conuocauit, quos cùm ad extremum salutasset, in Macedoniam profectus est, quã ille prouinciam peragrãs, discipulos multo sermone cohortari nullo loco destitit. Venit inde in Græciam, in qua cùm menses tres commoratus esset, cõstitueretque in Syriam nauigare, insidiæ illi à Iudæis factæ sunt, itaque mutato cõsilio per Macedoniam redijt. Comites ei se itineris præbuerunt Sosiparet Pyrrhi Berrhoensis filius, Thessalonicẽsium, Aristarchus, Secundus, Caius Derbęus, & Timotheus, Asiani Tychicus & Trophimus. His præmissis Troadem, Lucam vnum secum habuit: qui cum Philippis quinto die Troadem nauigio peruenit, qua in vrbe dies septem omnes commorati sunt. Eorum aũt extremo quem dominicũ dicimus (vnam enim sabbati diem hunc Lucas intelligit) cùm cibi capiendi causa omnes conuenissent

ſent, Paulus poſtero die profecturus eum eis diſputabat, cumq; ſermonem in multam noctem produceret, adoleſcens quidam cui nomen Eutycho erat, oppreſſus ſomno de tertia contignatione decidit, ſublatusque eſt mortuus. Ad quem Paulus deſcendens, medium complexus, circunſtantes ne conturbarentur, admonuit animum enim eius in ipſo eſſe. Certus ille de ſalute adoleſcentis, redijt in cubiculum, vbi cum guſtato cibo vſque ad lucem ſermonem protraxiſſet, puerum viuum læti adduxerunt, cùm iam ille diſceſſiſſet. Lucas autem ac cæteri comites itineris, conſcendentes nauem, in Aſſon nauigauerunt, vt ibi eum qui terra iter faciebat, reciperent. Sic enim illis ſe velle facere dixerat. Paulus ibi conſcenſa naui, recto curſu Mytilenem cum eis contendit poſtera die è regione inſulæ quæ Chius dicitur, applicuerunt, ſequenti Samum, poſtridie Miletum, quòd ipſe Epheſum præterire decreuiſſet, ne qua mora ei in Aſia afferretur, quo minus Hieroſolymam ante Pentecoſtes diem peruenire poſſet. Itaque Mileto mittens Epheſum maiores natu Eccleſiæ accerſiuit, qui cum ad eum conueniſſent, hac ad eos oratione vſus eſt. Scire eos ac tenere optimè,

ſe ex

se ex quo primùm die in Asia fuisset, Domino ministrasse ac paruisse, semper cum omni animi demissione ac lachrymis: scire etiam quibus à Iudæis insidijs malisque circunuentus sit, nullumque ab ipso prætermissum tempus esse, quo non liberè diligenterque publicè priuatimque eos docuerit, quæ ad religionem Christianam pertinerent, testimonijsque scripturæ Iudæis at Gentilibus, pœnitentiam scelerum quæ in Deum admisissent & in Dominum nostrum Iesum Christũ fidem suaserit, cùm intereà nihil de ipsorum facultatibus abstulisset. Tum verò Spiritu vinctum se Hierosolymam petere, vbi quid sibi euenturum sit ignoraret, nisi quod Spiritus sanctus vbique indicet, eum illic vincula & cruciatus manere. Sed tamen se nihil horum omnium extimescere, nec vitam suam pluris quàm se ipsum facere, dum modo eum vitæ cursum, qui ipsi à Deo datus esset conficeret, idque munus docendi Euangelij quod à Domino accepisset, exequi pro dignitate posset. Exploratum sibi esse, se nunquam postea à quoquam eorum visum iri, quos adijsset. Itaque testari eo se tum, culpæ nulli se affinem esse, quippe cùm omne Dei consiliũ eis exposuerit. à quo

nulla

nulla pœna propoposita, nullis supplciis potuerit retardari: sibi vniuersoq; gregi consulerent, cui eos Spiritus sanctus episcopos præfecisset, Dei Ecclesiæ, quã ille sanguine suo quæsiuisset gubernãdæ gratia. Scire se lupos rapaces impetum facturos esse in gregem post discessum suum, & ex ipsis viros proditurosq; improba oratione discipulos ad se conarentur abducere, Proinde vigilarent, memoriaq; tenerent, ipsum, nullũ finem eos per trienniũ cum lachrymis monẽdi fecisse. Se eos Deo & verbo gratiæ eius cõmendare, qui ædificare sanctos omnes, eisq; hereditatem dare posset. Argentum & aurum, aut vestem nullius se concupisse, eiusque rei eos se testes habere, cùm ad ea paranda quæ ipsi ad cultum victumque necessaria fuerint, corporis labor suffecerit: eos se docuisse, labore & opere quæsitis opibus egentibus atque ægris subuenire oportere, memores verbi illius Domini IESV, Beatiùs esse dare, quàm accipere. Quæ cùm dixisset, positis genibus orauit cum omnibus, Tum verò magnus omnium fletus secutus est, incidentesque in illius collum, osculum ei ferre cœperunt, nec aliud maiorem dolorẽ eis attulit, quàm quod se nunquam posteà à quoquam ip-

ſorum viſum iri dixerat. Deduxerunt eum ad nauem, qua conſcénſa ipſe & comites recto cuſu Coum, poſtridie Rhodum, inde Patram venerunt. Inuenta autem naui quæ in Phœnicem contenderet, nauigârunt, in Syriam, Tyrumq; applicuerũt, quòd ibi nauis onus expoſitura eſſet. Hic cùm diſcipulos offendiſſet, qui ei afflatu diuino commoti, prohibebant, ne Hieroſolymam adiret, ſeptem dies cõmoratus eſt: quibus expletis Tyro Ptolemaidam venit, qua in vrbe ſalutatis fratribus diem vnum cum eius fuit: in ſequenti Cæſaream cùm veniſſet, ad Philippum Euangeſtam qui in ſeptem diaconis erat, adijt, & apud eum cum comitibus habitauit. Ibi iam aliquot dies commorati erant, cùm vir quidam ex Iudæa, propheta aduenit, Agabus nomine. Is cùm ad eos veniſſet, detracta Pauli zona, pedes & manus alligauit, dixitque Spiritum ſanctum hoc prædicere & antè denunciare, Virum cuius illa zona eſſet, ita Hieroſolymæ à Iudæis, vinctum, dedendum eſſe Gentibus. Quod cùm Pauli comites & loci incolæ audiuiſſent, cum rogare omnes cœperũt, ne Hieroſvlymam proficiſceretur. Ille autem eis ita obiurgatis, vt fletu illorũ animũ ſuũ excruciari fateretur, ſe non ſolùm

vinciri

vinciri, sed etiã mori Hierosolymæ Christi causa & nomine paratum esse dixit. Itaq; illi cùm eum se de sententia deducere posse diffiderent, ita suadere destiterũt, vt eius rei euentum diuinæ voluntati permitterent. Hierosolymã cum venisset nostræ religionis homines libenter eum cũ comitibus exceperunt. Postridie vnà cum eis ad Iacobum Apostolum, qui Hierosolymæ Episcopus præerat venit, quo cùm seniores omnes conueniissent, primum ipse singillatim eis omnia exposuit, quæ Deus apud Gentes ipso ministro adhibito effecisset: deinde illi cùm Deum summis laudibus ornassent, dixerunt. Eum quãta Iudæorum multitudo ad Christi fidem deducta esset, videre. Eos aũt omnes qui legi Mosaicæ parendum censerent, auditione accepisse ipsum quocunq; veniret, vbi Iudæi inter alias nationes, viuerent, hoc docere, discedendũ esse a lege Mosaica, nec Iudæis circuncidendos esse filios, nec illã iam in templum eo more quẽ lex illa præscriberet, ingrediendi esse necessitatem. Itaque se illi auctores esse, vt quoniam multitudinem necesse esset conuenire, se ipse cum alijs quatuor qui voluissent, expiaret, caputque raderet. Sic enim fore, vt quæ de illo audissent falsa esse

comperirēt. Se aūt scripsisse de ijs qui ex Gentibus religioni nostræ nomen dedissent, vt se deinceps ab escis, quæ idolis immolatæ essent, sanguine strangulatorum animaliū, & fornicatione stuproque abstinerent. Paulus postero die adiunctis illis quatuor, expiatus in templum cum eis venit, ostenditque expiationis tempus esse quoad pro vnoquoque eorum hostia, immolaretur. Dum autem hæc aguntur, expleturque dies septē, Iudæi Asiani cū Paulum in tēplo animaduertissent, omnem in eum populum concitauerunt, iniectisque manibus vt eum comprehenderent, admonere & rogare cœperunt circumstantes, vt se in comprehendendo eo homine adiuuarent, qui cùm vbique omnes ea doceret, quæ & ad populi, Senatusque Iudæorum, & legis, & templi perniciem, exitiumque pertinerēt, tum verò prophanos homiues in templum adduxisset, sanctumque locū violasset, Tryphimum enim Ephesinum quem cum illo in vrbe viderant, ab illo in templum inroductū existimabant. Motus hinc tota vrbe ortus est tantus, vt omnes eò concurrerent. Quòd si tribuno qui tum in vrbe erat, nunciatus tumultus non fuisset, periculum fuisset, ne à populo tumultuan-

re diſcerperetur. Sed ita tulit diuinũ conſiliũ, vt dũ cõprehenſum & extractũ extra templũ interficere cogitant, tribunus cum Centurionibus & militibus interueniret, cuius primus aduentus non furorẽ aut inuidiam populi ſedauit, ſed finẽ cædendi eius attulit. Is ſedato, vt dixi, tumultu, comprehenſum Paulum catenis duabus vinciri iuſſit. Cumq; rogaret, quiſnã eſſet, quidq; feciſſet, alijq; aliud in turba clamarent, ſic vt nihil certi præ tumnltu poſſet cognoſcere, vt in caſtra duceretur, imperauit. Secuta eſt eũ multitudo populi vociferantis, vt de medio tolleretur, tãtaque vis orta eſt, vt à militibus cùm ad gradus ventum eſſet, portari cogeretur. Paulus verò cùm in caſtra duci cœpiſſet, tribunum rogauit, num cum eo paucis agere liceret? Ille cùm quæ ſiuiſſet, Græcè neſciret, & num is eſſet Aegyptius qui paucis ante diebus tumultum concitauiſſet, eduxiſſetque in ſolitudines quatuor millia ſicariorum: Paulus ſe Iudæũ Tarſi quod Ciliciæ non ignotum oppidũ eſſet, natum eſſe reſpõdit, rogare autem illum ſe, vt ad populum ſibi verba facere liceret. Quod cùm ille permiſiſſet, Paulus è gradibus, Hebraicè (quod maioris ſilentij cauſa fuit) cùm eos admonuiſſet, vt quam

ipse rationem apud illos redderet, audirent, ita locutus est, se Iudæum esse Tharsi Ciliciæ natum, educatum Hyerosolymæ ad Gamalielis pedes, eruditum patrijs legibus, quarum non secus atque illi omnes tum essent, ita propugnator extitisset, vt Christianam disciplinam hostili animo ad mortem insectaretur, vinciendis tradendisque in custodias viris & mulieribus qui eam sectam sequerentur. Quorum omnium se habere testes dicebat pontificem omnesq; maiores natu, à quibus acceptis ad fratres epistolis, cùm Damascum iret, vt inde vinctos & nexos Hierosolymam supplisij causa adduceret, accidisse in ipso itinere cùm iam Damascus in propinquo esset, vt meridie subito lumine cælesti circunfunderetur, cadensque ex equo, audiret vocem quasi obiurgantis cur ipsum persequeretur: cumque rogasset, quisnam esset, & quid ipsi imperaret, illum respondisse IEsum Nazarenum se esse, quem persequeretur: Damascum autem iret, vbi planè quid ei faciendum esset, cognosceret. Cùm verò præ splendore lucis dispicere non posset, manu à comitibus Damascum se esse deductum. Ananiam verò quendam, qui Iudæorum omnium Damascenorum testimonio

ſtimonio legis erat obſeruantiſſimus ad eum veniſſe ac dixiſſe vt cerneret, eodemque puncto temporis ſe illum vidiſſe. Eundem tum eo vſum ſermone eſſe, vt diceret ipſum Dei prouidentia delectum eſſe, vt eius voluntatem cognoſceret, eſſetque teſtis apud oēs homines eorū omniū, quæ vidiſſet & audiſſet. Itaque aqua ſalutari expiaretur, ipſi usque peccata appellato inuocatoque illius nomine eluerentur. Redeunti aūt ſibi Hieroſolymam, atq; oranti, viſum illum eſſe dicentem. Abiret ipſe citò Hieroſolyma, quod eius de ipſo teſtimonium non probarent. Se verò reſpondiſſe, eos ipſum ſcire ſolitum in vincula conijcere, & pulſare eos qui ei crederent, ſeque tum cùm Stephani illius teſtis ſanguis effunderetur, interfuiſſe, atque factum eorum, qui illum interficerent approbaſse, cùm veſtes eorum aſſeruaret: Chriſtum tum præcepiſse, vt iret procul ad exteras nationes. Attentè eum ad hanc orationem omnes audierant, cùm ſtatim voce ſublata dicere cœperunt. Tolle iſtum de medio neque enim fas eſt eum viuere. Secutus eſt hinc clamor maximus, veſtimenta ſua proijcientium, puluerem q; iactantium in aëra. Quod cum tribunus animaduertiſset, duci eum in caſtra iuſsit,

& virgis cæsum torqueri, vt sciret, quamobrem tanto clamore ei obstreperet. Iam præceptis tribuni milites obtemperare parati erant, cùm Centurionem qui aderat Paulus rogauit, num hominem Romanum indicta causa & indemnatum illis virgis cædi liceret? Centurio statim tribunum admonuit, etiam atque etiam videret, quid faceret. Eum enim hominem quem verberari iussisset: ciuem esse Romanum. Accedens autem tribunus, eum rogauit, num Romanus esset: quod cùm ille annuisset. Ego, inquit, magna vi pecuniæ hoc ius ciuitatis adeptus sum. Ego verò, Paulus inquit, & natus ciuis sum. Ita & ea pœna Paulus liberatus est, & tribunus magno in metu fuit, cùm eum ciuem Romanũ esse resciuisset. Postero die soluit eum, conuocatisque sacerdotibus omniq3 populo eũ produxit, quò diligentiùs cõperiret, quam ob causam à Iudæis accusaretur. Ipse in eos qui conuenerant coniectis oculis, ita verba fecit. Se ad eum diem semper bona fide in oculis iudicioque Dei vixisse. Hoc verbũ põtifex Ananias molestè acerbeque ferens, eis qui circunstabant præcepit, vt ei colaphos infringerent. Paulus verò hac ad eũ oratione vsus est, Percutiet te Deus paries dealbate,

bate, qui cùm sedens ex lege me iudices, tamẽ contra legem os meũ tundi iubeas. Qui aderant, Paulum obiurgare q̃ summum Dei sacerdotẽ maledictis lacesseret. Ille verò nescire se dixit eum principẽ sacerdotum esse. Scriptũ enim esse, Principi populi tui ne maledicito. Tum Paulus qui ibi partem vnam eorum qui aderant, Saducæorum, alteram Pharisæorũ esse intelligeret, clamare in concilio cœpit, Pharisæum se esse, Pharisæique filiũ, in iudiciũ adductum se, q̃ spẽ & vitam mortuorum poneret ac defenderet. Statim orta est inter Pharisæos & Saducæos dissensio tanta, vt dimissa multitudine, quidam Pharisæi, nihil se facinoris aut sceleris in eo cõperisse pugnaciter dicerent. Quid, inquiunt, si Spiritus aut Angelus eũ eo collocutus est, Tribunus, qui timeret ne Paulus in turba discerperetur, militibus imperauit, vt eum de medio raptũ in castra ducerent. Proxima nocte eum Deus visus est admonere, vt bono fortique animo esset. Sicut enim Hierosolymæ ipsius propugnator & defensor fuisset, sic fore vt Romæ etiam existeret. Vt autem illuxit, nõnulli Iudæi plures quadraginta inito consilio vouerunt se nihil cibi & potionis capturos, quoad Paulũ interfecissent. Quam

quidem coniurationem suam pontifici ac senioribus exposuerunt, admonuerũtque eos, vt peterent à tribuno, vt Paulum ad illos producerent, eamque fraudem ita tegerent, quasi aliquid de eo certiùs comperturi essent, se verò priùs quàm ille appropinquaret, eum paratos esse interficere. Pauli sororis filius cùm insidias quæ a-nunculo pararentur, intellexisset, venit ad eum in castra, eique indicauit. Ille accersito Centurione, cum rogauit multis verbis, vt adolescentem ad tribunum ducẽdum curaret, habere enim eum aliquid quod ei nunciet, Adolescentem tribunus cùm remotis arbitris rogaret, quidnam indicare sibi vellet, constituisse dixit Iudæos, ipsum rogare, vt postero die Paulum in concilium produceret, quasi certiùs aliquid in eum inquisituri essent. Quod videret, ne faceret, propterea quod essent plures quadraginta ex ijs, q coniurassent se ex insidijs Paulum esse interfecturos, & vouissent se nihil capturos cibi antequam hoc se scelere contaminassent, Tribunus dimisso ita adolescente vt vetaret ne cui, secum illo de ea re locutum fuisse diceret, duos centuriones accersiri iussit, quibus imperauit, vt milites ducẽ.os, equites septuaginta, lancearios que

ducen-

ducentos compararent, & iumenta in quæ impositum Paulum tertia noctis hora saluum & incolumen ad Festum præsidem Cæsaream perducerēt, eisque ad illum epistolam dedit, cuius hæc sententia est. Claudius Lysias Felici optimo præsidi, Salutem. Virum quem ad te mitto, à Iudæis comprehensum cùm iam interficeretur, adueatu meo militum opera vix saluum è manibus eorum eripui, cùm Romanum eum esse comperissem. Cùm verò sciri cupiens quid ei obijcerent, illum in concilium eorum produxissem, ei tantum obijci comperi, quæ ad legem eorum pertinerent, quorum nihil morte aut vinculis dignum esset. Quoniam aūt intellexi, ex eis esse qui illum ex insidijs necare constituissent, eum ad te misi, vt accusatores apud te agant, si quid in eum velint dicere, Vale. Milites noctu Paulum Antipatridem duxerunt, postridie verò equites eum Cæsaream ad Felicem perduxerunt, cùm cæteri in castra reuertissent. Reddunt etiam illi Epistolam, quam cùm perlegisset, Paulum cuius esset prouinciæ rogauit. Cumque Cilicem eum esse cognouisset, eum se auditurum esse dixit, cùm accusatores in eum venissent. Interim in Herodis prætorio custodiri

cum iussit. Quinto autem die Ananias pontifex cum quibusdam maioribus natu & Tertullo quodam oratore Cæsaream venit, omnesque Felicem adierunt: citatoque Paulo, eũ Tertullus accusare cœpit his verbis, Maximas tibi gratias agimus optime Felix, quòd & benignitate ac virtute tua in pace omni compresso tumultu belloque viuimus, & pro incredibili tua sapientia multa quæ superiores prætores quibus successisti, neglexerant, correctione adhibita fœliciter geruntur. Sed ne te longa oratiõe traham, à te peto maiorem in modum, vt nos breuiter dicentes benignè attenteque audias. Non ignotam tibi esse arbitror sectã Nazareorũ, qui nouis quibusdam religionibus institutisq; omnium hominũ mentes contra leges imbuunt & inficiunt. Eius principem cùm pestiferum istum inuenissemus, qui & omnibus Iudæis in vniuerso orbe seditionis auctor esset, & templum violare ac polluere voluisset, cõprehensum ex lege nostra iudicare decreuimus. Sed tribunus Lysias, vi magna eũ eripuit, iussitque eius accusatores ad te venire: ex quo tu facilè poteris ea crimina cognoscere, quorum causa eũ in iudiciũ adducimus. Iudæi tum vera esse q̃ Tertullus

dicerct

diceret, asseuerarũt. Paulus verò cùm Felix potestatem dicendi fecisset, ita respondit, Scio ego te optime Felix iampridem iudicẽ datũ esse Iudæis, quæ me causa impellit, vt bono animo magnaque spe fretus, nunc pro me ipse respondeam. Intelligere enim potuisti, dies esse non plus quindecim cùm Hierosolymam in templum religionis causa adij. Isti autem nec ibi me cum aliquo disputantem aut seditionem mouentem, nec in vrbe ipsa, nec in synagogis inuenerũt. nec verò ea, quæ mihi obijciunt probare possunt. Hoc aũt fateor me in disciplina, quam sectam vocant, sic patrium Deum meum colere, vt & ea omnia quæ in lege ac prophetis scripta sunt, vera esse credam, & eam quam etiam illi expectant, bonorũ ac malorum resurrectionem fore confidam, in quo ipse etiam studeo ita me gerere, vt nemini quod sciam materiam occasionemque peccandi præbeam, ab eaque suspicione Deo teste sum liberrimus. Multis autem annis pòst Hierosolymam veni vt gentibus pro facultatibus subuenirem, Deoque offerrem quæ vouissem, quæ in templo facientem me cùm offendissent Iudæi non tumultũ turbamque concitantem, vt isti volunt, comprehenderunt clamãtes voce

maxima, Tolle inimicum nostrum. In ipsi quidam erant ex Asia Iudæi, quos adesse hic oportuit, & accusare si quid haberent, quod criminosum in me putarent. Dicant verò nunc hi ipsi quo in flagitio me deprehenderint, nisi quòd hac oratione vsus sum, cùm in iudicium ob resurrectionem mortuorum adductum me esse clamarē. Hæc cùm ex vtraque parte dicta essent, Iudæorum querimoniam in illud tempus reiecit, cùm Lysias tribunus venisset. Paulum autē interim Centurioni custodiendum tradidit, vt & in pace eum esse vellet & neminem de suis ei ministrare quæ opus essent prohiberet. Interiectis aliquot diebus Felix cum Drusilla vxore sua quæ Iudæa erat, veniens, Paulū accersiuit, audiuitque eum de Christi fide & religione disserentem. Cumque protracto, vt fit, sermone, de iustitia, de castimonia iudicioq; futuro diceret tremore correptus Felix, Paulum dimisit, eique dixit se eum euocaturum, cum opus esset, eumq; sæpe etiam posteà accersiuit, quod se ab illo pecuniā accepturum esse speraret. Biennio autem pòst, Felici Porcius Festus successit, eique vinctū Paulum reliquit, vt à Iudæis gratiam iniret. Festus tertio quàm in prouinciam venisset die Hierosolymam, Cæsa-

rea profectus est: quod cùm primùm pontifices ac primi Iudæorum resciuissent, illum adierunt, rogaruntque vt Paulum in quem infesto animo venissent, Hierosolymam perduci iuberet: idque fecerunt, vt in via ex insidijs eum opprimerent ac necarent. Festus autem Paulum Cæsariæ custodiri dixit, quam ad vrbem cùm propediem rediturus esset, si qui ex ijs vnà proficisci vellent, venirent & accusarent, si quod in homine crimen esse existimarent. Ipse Hierosolymæ ampliùs dies octo aut decem commoratus, Cæsaream vt venit, postridie pro tribunali sedens Paulum adduci iussit, Iudæi qui Hierosolyma venerant, eum cùm productus esset, circunsteterunt, multaque & grauia ei crimina obijcere cœperunt, quæ probare non poterant, cùm Paulus verba tantum, se legem Iudæorum, aut templum violasse, aut quidquam contra Cæsaris maiestatem fecisse pernegaret. Tum Festus qui Iudæis gratificari vellet, cùm à Paulo quæsiuisset, num Hierosolymam ire, & illic de ijs ipsis criminibus apud ipsum iudicare vellet. Paulus se ad Cæsaris tribunal, vbi iudicandus esset stare dixit. Iudæis se nullo loco iniuriam intulisse, quod ipse melius sciret. Si quid eos

læsis-

læsisset, aut crimen capitis admisisset, se quò minus morte mulctetur, minimè recusare. Sin nihil esset eorũ, quæ in ipsum conferrent, neminem esse qui eũ illorum libidini posset dedere. Itaq; ad Cæsarem, inquit, prouoco. Tum Festus de concilij sententia. Ad Cæsarem, inquit prouocasti, ad Cęsarem ibis. Aliquot diebus post, Agrippa rex & Bernice Cæsaream Festi salutandi causa venerunt, qua in vrbe cùm multos dies commorarentur, cum eis de Paulo sermonẽ Festus instituit, eaq; omnia eis exposuit, quæ paulò antè gesta & dicta esse dixi. Quæ cùm Festus omnia commemorasset, Agrippa hominem se velle audire dixit, quod futurũ postridie ille promisit. Postero die Agrippa & Bernice cum tribunis & primis viris ciuitatis cũuenerunt, quos vt vidit Festus, produci Paulum iussit. Eo producto Festus dixit, Eum hominẽ quem Agrippa & cæteri cernerent, à Iudæis eiusmodi criminibus circũuentũ esse, quæ si vera essent, ipse continuò summo supplicio afficiendus esset, quemadmodum etiam Iudæi ipsi cùm ipse Hierosolymæ esset, contenderant. Se verò nullum crimen capitis in eo comperisse. Quoniam autem Romam eũ ad Cæsarem, ad quem prouocauisset mit-

tendum

tendum censeret, nihilque certũ haberet quod de illo Domino scriberet, se iussisse eum ad illos & maximè ad Agrippam produci, vt cùm eum pro se dicentẽ audiuisset, ipse haberet quod scriberet: Cùm Agrippa Paulo porestatem dicendi factã esse dixisset: tum Paulus beatum se primùm dixit, quod apud eum esset verba facturus, qui omnẽ Iudæorum disciplinã, omniaq; instituta, omnesque consuetudines teneret: deinde ea omnia exposuit quæ ab illo commemorata esse antè dixi de Iudæorum inuidia, initio longè petito ab eo tẽpore, cùm primùm à Christo è cælo vocatus est, eoq; superiore, cùm legi Mosaicæ parendum esse censeret. Hæc cùm Paulus diceret, Festus magna voce insanire Paulum dixit, eumq; ad insaniã adigere multas literas quibus esset præditus Paulus insanire se negauit, sed verba veritatis prudentiæque plena dixit fundere, Scire enim hæc omnia regem apud quem verba faceret. Tum Agrippam rogauit, num prophetis fidem haberet, Scire etiam se dixit, eum fidem habere: cùm ille. Paucis, inquit, hortaris me, vt sim Chtistianus; & Paulus, Oro, inquit, Deũ, & paucis & pluribus, vt non tu modò verum etiã hi omnes qui audiunt tales euadant,

dant, qualis sum ego, exceptis his vinculis. Surrexerunt, tum rex, prætor, Bernice, & qui cum eis consederant, cumque secessissent, hæc inter se de Paulo iactabant, cũ nihil morte aut vinculis dignum fecisse, ac præterea Agrippa Festo eum dimitti potuisse dixit, nisi ad Cæsarem prouocasset. Cum autem nauigationi dies constitutus esset, vt Romam ad Cæsarem iret Paulus, cuidam Centurioni Iulio nomine, cohortis Augustæ, vnà cum aliquot alijs vinctis, traditus est. Conscensa naue Adrumentina, cũm essent omnes in Asiã nauigaturi, soluerũt. Postero die Sidonẽ applicuerunt. Iulius qui Paulum humane haberet. eum amicos adire permisit ab eisque curari. Hinc soluentes, Cyprum, propterea quòd aduersis vẽtis vsi essent, tenere non potuerunt. Itaque ab ea repulsi. mare Ciliciæ, & Pamphiliæ præteruecti, Lystram Lyciæ oppidũ deuenerunt vbi cùm Centurio nauem Alexandrinam offendisset, quæ in Italiam nauigaret, in eam omnes imposuit. Cumque satis multis diebus tarda nauigatione vix ad Guidum, quod ventus non sineret, peruenissent, Cretam per Salomonem pernauigarunt, quam cùm vix tenuissent, venerunt in quẽdam locũ. qui Boniportus dicitur, cui

cui finitima erat Thalassa vrbs. Cùm verò multum iamtempus peractum, nec tuta esset iam nauigatio, propterea quòd ieiunij iam tempus præterijsset, omnes qui aderant Paulus admonebat, videre se nauigationem futuram cum magno periculo non sosùm oneris, & nauis, sed etiam vitæ omnium. Centurio porro maiorem fidē gubernatori & nauclero, quàm Pauli verbis habebat. Et portus ille minimè ad hyemandum aptus erat. Quod cùm multi animaduerterent, auctores fuerunt vt illinc naues subducerentur, vt Phœnicem Cretæ portum, qui Africum & corū spectat, hyemandi causa possent appellere: Sed Austro flāte, cùm ex animi sententia nauigationem successisse sibi existimarent, cùm Asso soluentes, Cretam applicarent, ventus Typhonicus qui Euro aquilo vocatur, non ira multò post nauem agitauit & impulit, quæ cum correpta, nō posset impetum vimque venti sustinere ei omnes cùm cessissent, huc atque illuc agitabantur, in paruamque insulam quæ Clauda vocatur, tēpestate delati, vix scapham tenere potuerunt, qua conscensa, subsidio vsi sunt, deligata naue veriti ne in Syrtim inciderent, soluta naue ita agitabantur. Cumque vi magna tempestatis agita-

agitarentur, postero die iacturā fecerūt, sequenti suis manibus nauis suppellectilem proiecerunt. Cūque nec sol nec astra multis diebus se eis ostenderent, tempestatisque vis magna impenderet, sublata eis erat in posterum spes omnis salutis. Tum Paulus in mediū omniū procedens, Si me, inquit audiuissetis, à Creta minimè soluissetis, omniaque hæc quæ amisistis haberetis Sed vos nunc hortor & moneo, vt bono animo sitis, Neque enim cuiusquam vestrum vita amittetur, sed nauis tantummodo, Visus est enim mihi superiore nocte Angelus Dei, cuius sum, quemque colo, dicere, ne timerem, Cæsari me sisti oportere, Deumq; mihi omnes qui vnà mecum nauigarent dedisse, itaq; bono animo esse. Diuina enim benignitate fretus ita fore credo, vt mihi prædictū est, nos in quandā insulā peruenturi sumus. Vt autem quarta decima nox fuit cùm omnes intempesta nocte in mari Adriatico huc atque illuc iactarentur, suspicabantur nautæ aliquem sibi locum ostendi, depressoque bolide passus viginti abesse comperierunt, paruoque interuallo progressi, iacto rursus bolide, quindecim passus inuenerūt. Cumq; vererētur, ne in loca salebrosa inciderent, iactis ex puppi

anco-

ancoris quatuor, optabant vt lucesceret. Ijdem cùm ex naui effugere constituerent demersa in mare scapha quasi ancoras à prora expansuri essent, tum Paulus Centurionem ac milites commonefecit, nisi illi in naui manerēnt, eos saluos esse non posse. Itaque milites statim schaphę funibus diruptis, eam in mare demergi siuerunt. Dum verò dies expectatur, hortabatur oēs Paulus, vt cibum caperent, quòd ad eorum salutem hoc pertineret. Nēminemque dicebat, crinem capitis amissurū. Quæ cùm dixisset, & ipse, & cæteri iam meliore spe freti, cibum vnà ceperunt. Erant autem in ea naui ducēti septuaginta sex. Capto cibo, triticum in mari abiecerunt, itaque nauem exonerarunt. Cùm verò illuxisset, nec terram cognoscerent animaduertūt sinum quēdam, qui littus habebat, in quem constituebant, si possēt nauem appellere. Itaque sublatis ancoris mari se committebāt laxatisque gubernaculorum funibus, passisque vēto velis ad littus contendebant. Sed cùm in locum qui vtraque ex parte mari cingitur incidissēt, nauis ita impegit, vt prora fixa immobilis staret: puppis verò vrdarum fluctuumque vi agitaretur. Quod cùm milites animaduertēnt, hoc consilij ceperunt, vt

vinctos

vinctos trucidarent, ne quis nando euaderet. Sed Centurio, qui Paulum seruare vellet, eorum tale consilium impediuit. Iussitque eos qui nandi periti erant, primos ad terram egredi, cæteros partim in tabulatis, partim in aliquo eorum quæ è naui portari poterant. Ita factum est, vt omnes ad terram salui exierint. Seruati tum denique cognouerunt Meliten eam insulam nuncupari, Barbari verò magnã omnibus humanitatem ostẽderunt. Omnes enim excitato igne propter imbrem q impẽdebat, & frigus, adhibuerũt. Cum verò Paulus sarmentorum magnam vim collegisset in ignem coniecisset, vipera calore egrediens manum eius arripuit, quam vt Barbari è manu illius pẽdentem viderunt, inter se dicebant, planè illum cæde se contaminasse, qui cùm è mari seruatus esset, eum tamen diuina iustitia non sineret viuere. At ille quidẽ excussa in ignẽ bestia, nihil mali sensit omnino, Barbari autem expectabant dum tumor eum corriperet, aut repente mortuus caderet. Quòd cùm illi diu frustra expectassent, mutata sententia, eum DEVM esse dixerunt. Erat tum Publius quidam primus eius insulæ. Is Paulũ vnà cum socijs in agro suo triduo perhumanè habuit,

buit, quo quidem tempore Publij pater è febre ac dysenteria laborans decumbebat, ad quem cùm Paulus accessisset, eum precibus manuũque impositione curauit. Hinc cæteri qui ægrotabãt in insula, cùm ad eum adijssent, curati sunt. Itaq; magnos ei ac socijs honores officiaque detulerunt, quamdiu in insula cõmorati sunt, & cùm soluerent, ea quę ad victũ pertinebãt, prębuerunt. Post trimestre, in nauem conscenderunt Alexandrinã quæ in insula hyemauerat, soluẽtesque Syracusas tenuerunt, qua in vrbe cum triduum commorati essent, Rhegiũ, inde Puteolos biduo venerunt, vbi cùm nostræ religionis homines inuenissent, eorum rogatu apud illos septẽ dies cõmorati sunt, ita Romã peruenetunt. Quod cùm Christiani qui Romæ erant, audirẽt obuiam eis vsque ad forum Appij & tres Tabernas prodierũt, quos cùm vidisset Paulus, gratias Deo egit, melioreque animo fuit. Romam cùm venissent, vinctos Centurio præfecto reliquos tradidit. Paulo verò permisit vt solus cum milite qui eum custodiebat, habitaret. Tertio cùm venissent die, primos Iudæorũ Paulus accersiuit, quibus exposuit ea omnia quæ ipsi Hierosolymæ accidissent, se cum patrijs legibus institutisq;

parc-

pareret & obtemperaret, Romanis deditum esse, qui cùm in ipsum inquisissent, nec pœna capitis dignum quicquam fecisse comperirent, vellentque dimittere, Iudæos intercessisse, ita coactum se, ad Cæsarem prouocare: non quòd gentem suam ipse vlla in re accusare posset. Eo se ob eã causam accessisse, vt ipsos videret & conueniret. Se enim catena eà quam cerneret vinctũ esse propter spẽ populi Israëlitici. Illi responderunt, nec literas se de eo ex Iudæa accepisse, nec quenquam Iudęorum, qui eò venisset, nunciasse, aut dixisse quicquã de ipso, quod religioni repugnaret: se autem petere vt ab illo audirent, quæ ipse sentiret, cùm satis compertum haberent, eam sectam quam sequeretur, vbiq; terrarum explodi & eici. Constituto autem ei die, cùm plures ad eum in diuersorium venissent, ipse eis regnum Dei exponebat, ad eaque quæ Christo acciderãt, probanda & persuadenda testimonia & à lege Mosaica & à prophetis à prima luce ad vesperum, depromebat. Atq; eius orationi alij assentiebantur, alij nullã fidem habebãt. Cumq; inter se dissentirẽt, discesserunt, cùm Paulus Esaiæ verba eis conuenire dixisset, quæ sequuntur: Loquere cum populo isto, audietis, nec intelli-

telligetis, videbitis, & non videbitis. Coe enim istius populi tenebris offusum est, & auribus tardè audierunt, suosq; oculos obstruxerunt, nequando oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & cõuertantur, eisque medicinam afferã. Scitote ergo Gentibus DEI seruatorem missum esse, quæ audient. Quæ cùm Paulus perorasset, Iudæi cum magna controuersia & disputatione discesserunt. Paulus autem biennium totum in suo diuersorio commoratus est, quo quidem tempore omnes qui eò ad ipsum veniebant, recipiebat, libereque ea omnia tradebat, & docebat, quæ ad Christum eiusq; fidem ac disciplinam pertinebãt. Quod etsi Lucas de biennio illo tãtum dixit, quod duos annos cõplectitur, qui tertius & quartus imperij Neronis numerãtur, tamẽ decennio etiam quod posteà vixit, idem fecisse existimandus est. Vbi autem decennium illud consumpserit, aut vixerit, si quis requirat, mihi quidem Romæ videtur magna ex parte fuisse, quantum quidem ex eis epistolis intelligi licet. Nam & eam quam ad Ephesios scripsit, & eam quam ad Philippenses, & eam quam ad Colossenses, & posterioremquam ad Timotheũ, & eam quam ad Philemonẽ, ex

vrbe misit. Nam Epistola ad Galatas, non nullorum sententia, Roma, aliorũ Ephesoo missa esse dicitur. Eas autem nec illo biennio, nec eodem illo decem anno missas esse, aut scriptas, & res ipsa declarat, & epistolarum ipsarum sententia. In ea enim quam ad Timotheum posteriorẽ misit mentionem honorificam Onesiphori cuiusdam facit, quem cùm venisset Romam, ipsum magno studio cùm quæsiuisset, tum inuenisse dicit, cùm etiã vinctus esset, Et in extrema eadem Timotheũ rogat, vt eidem eiusq; familiæ salutem dicat. Præterea à eadem extrema & tempus mortis suæ imminere scribit, & in priore defensione sua se desertũ ab omnibus. At qui Lucas nihil de priore illa causæ dictione scribit, sed eum in libera custodia ita fuisse dicit, vt eos omnes qui ad ipsum adirent, docere minimè prohiberetur. Ex quo intelligitur, eum ex illa custodia toto illo biennio minimè eductum fuisse. Iam verò cùm ex priore illa causæ dictione cuius mentionem, vt dixi, facit, posteriorẽ intelligamus, actum cum eandẽ epistolam scripsit & in vinculis ipse esset, & mortis eius tẽpus impenderet, vt ipse ait, profecto multos annos post illud biennium Romæ fuit. Huc accedit, quod iu-

bet in eadem epistola Timotheum ad se maturè venire, & in epistolis ad Philippenses, ad Collossenses, & ad Philemonem, eum facit vna secum scribere. Eodem pertinet, quòd Demã in Epistola ad Philemonem adiutorẽ suum appellat & in posteriore ad Timotheum se ab eo desertum esse scribit. Aristarchum etiam in epistola ad Collossenses vna secum captiuum esse dicit, in ea autem quæ est ad Philemonem, adiutorem suum appellat, cùm Epaphram captiuitatis socium solùm nominasset. Eum autem non consumpsisse Romæ totum illud decennij tempus, hinc intelligitur, quòd in posteriore ad Timotheum epistola extrema eum iubet afferre secum penulam, quam Troade apud Carpum reliquisset, & Trophimum se Miletiæ ægrum reliquisse scribit, quod non factum esse, cùm vel in Græcia & Asia esset, antequam vinctus Romam duceretur, vel cùm duceretur, hinc sciri potest, quia & Timotheus ipse Romam iam venerat, & tum iam bis causam ipse dixerat, & finem vitæ suæ appropinquare scribit. Et certè amentia est existimare Paulum scribere Trophimum à se relictum ægrum Mileti illis temporibus. Epistola etiam ad Hebræos eum non semper

Romæ fuisse declarat. In ea enim extrē-
ma scribit eis Christianos Italos salutem
dicere, ex quo ex Italia missa esse intelli-
gitur. Quinetiam in prouinciam Narbo-
nensem eum venisse reperio, & in Hispa-
niam, cum Paulo viro sanctissimo, quem
Narbone pontificē præfecerit. Atq; haud
scio an illa ipsa sit profectio, quam ad Ro
manos se in Hispaniam susceptum esse
scribit. Sunt enim multi, qui eum in His-
paniam profectum asserunt. Quæ autem
de laboribus, periculis, ac supplicijs quæ
pro Christo pertulit, scripsi, ea omnia ex
libro Lucæ, qui acta Apostolorū inscribi-
tur, exprompsi. Quæ præterea ipse de se
scribit, ea quoniam vera sunt iam expli-
cabo. In posteriore quidē ad Corinthios
extrema ferè, ter virgis cæsum esse scribit,
cùm semel tantum eum Lucas narret ver-
beratum esse vna cum Sila. Nam à Cen-
turione verberatus non est, cùm se ciuem
Romanū esse dixisset. Ter etiā naufragiū
se fecisse in eadē epistola scribit, & nocte
ac die in profundo maris fuisse: quorum
posterius si à Luca commemoratum est,
certè non solùm noctē & diē vnū, verum
multos in maris fundo fuit. Nam nec so-
lē, nec sidera ipsa multis diebus nauigan-
ti ei cum cæteris visa esse commemorat.
Neque

Neq3 enim hoc quod Paulus scribit, se nocte & die in profundo maris fuisse, ita intelligendum est, quasi ipse è naui cadēs in mare præceps demersus sit, hoc enim non prætermisisset Lucas. Quod autē ad naufragium attinet, amissionem nauis Paulus socijs nauigantibus prædixit, naufragij autem alterius nullam Lucas mentionem facit. Atque hic quidem locus me admonet, vt de tēpore ac loco quo hac missa epistola est, aliquid dicam. Alij ex Macedonia Philippis, alij Troade missam esse scribunt. Quod si verum est, id constare non potest, si ad illud tempus referatur, cùm Paulus Romam nondum vinctus venerat. Illud enim quod modò ex ea epistola de naufragio protuli, tum accidit, cùm Paulus vnà cum socijs mari in Melitem insulā, deinde Syracusas, Rhegiū, ac tum Puteolos, postremò Romam peruenit. Ita si Troade missa est, aut è Macedonia, eò se retulerit, postea quam Romam vinctus venisset, necesse est Quod satis argumenti est eum post biennium illud, de quo Lucas scribit non semper vsque ad extremum vitæ diem Romæ fuisse. Quòd si quis contra proferat, id quod ipse Paulo infrà scribit, raptum se ante quatuordecim annos in tertium cęlū huic ego re-

ſpondeo, primùm nõ eſſe tam perſpicuũ, quando illud euenerit, quàm hoc quod de naufragio commemorat. Deinde ab eo qui hoc opponat, petã. vt illud ipſum quod de naufragio Paulus ſcribit, explicet Tum enim tam difficilem hanc quæſtionẽ, cognoſcet, quàm facile nobis oppoſuit. Præterea ſi illum, vt ita dicam, raptum euenisſe dicamus illo triduo, quo Paulus Damaſci in via recta in ædibus Iudæ oraſſe dicitur, certè ſubducta & habita ratione totius temporis, ad eum diẽ quo alterã ad Corinthios epiſtolã miſit, annos amplius quatuordecim interceſſiſſe intelligimus. Sed ad alia veniamus. In eadẽ epiſtola pericula multa enumerat, quibus ſe obiecerit, quorum mentio à Luca nulla facta ſit. In ijs ſunt fluminum & latronum pericula. In epiſtola etiam ad Galatas ſe in Arabiã veniſſe ſcribit. Deinde cùm redijſſet Damaſcum Hieroſolymam Petri vidẽdi cauſa, apud quem dies quindecim commoratus ſit. Deinde poſt annos quatuordecim iterum Hieroſolymam vnà cum Barnaba & Tito, vt de euangelij docẽdi ratione cum Apoſtolis cõmunicaret. Scribit etiam ſe Petro, quem Cephã vocat, cùm Antiochiam veniſſet, reſtitiſſe, quòd ſe non rectè in euangelij veri-

veritate gereret. in ea etiam quam ad Corinthios priorem misit, se cum bestijs pugnasse, id est feris obiectum esse scribit: nisi fortè bestiarum nomine homines fera crudelitate præditos intelligamus, sicuti nomine leonis Neronem in posteriore ad Timotheū intellexisse dicitur. Nunc de illius morte aliquid dicendum est. Eodem non solùm die, sed etiam anno quo est Petrus Apostolus in crucem actus, Romæ Neronis iussu securi percussus est: quo autem ordine, quaque de causa exponēdum videtur. Romæ cum in disciplina & religione nostra propaganda omnem operam & studium dicendo consumeret, plures que indies in fidem ditionemque Christi subigeret, fortè Patroclus adolescens qui Neroni pocula ministraret, quēque ille charum haberet, cùm Pauli audiendi summa cupiditate duceretur, nec ad eum propiùs accedere propter frequentiam posset, ad locum superiorē, quò eum faciliùs & audire & videre posset, ascenderat. Is cum somno oppressus dormiret cecidisse, eoq; casu interijsse dicitur. Quod Deo patefaciēte, Paulus statim cognouit. Itaq; eū introferri ad se iussit excitauitq; ab inferis, cùm omnes hortatus esse, vt in commune id ad Deo precarentur. Exci-

tatum ad Neronem ire iussit vna cum alijs Cæsareanis, vt cùm excitatum cerneret, quem mortuum non solùm sciret, sed acerbè tulisset, ipse ad Dei cultum deduceretur. Alij verò priores ad Cæsarem adeunt, eiq; Patroclum reuixisse nunciãt. Cæsar continuò eũ accersiri iussit, quẽ vt viuum, saluũ & incolumen vidit, miratus est primũ, deinde ab eo quæsiuit, num viueret. Cùmq; etiam respondisset, quærere etiam institit, cuius benignitate & opera viueret, qui mortuus fuisset, ille se IESV Christi Domini sui regis sæculorũ omnium beneficio, ac munere viuere respõdit. Cæsar cùm Christum omnium sæculorũ regẽ dici audisset, conturbatus est, eumq; illius animi terrorem auxit, id quod deinceps Patroclus addidit, fore, vt Christus omnia orbis imperia deleret, eiusque voluntati quidquid hæc vniuersitas complectteretur, obtẽperaret, quod regũ omnium esset & maximus & potentissimus. Tum colaphũ ei infregisse dicitur, cùm hac oratione. Ei ergo regi nomen dedisti. Quòd cùm annuisset, nonnulli q; aderãt ex suis eum grauiter obiurgasse dicuntur, quod adolescentẽ qui tam prudẽter respondisset, male mulctasset. Itaq; se etiam regi illi parere dixerunt. Nero furore incensus

eos omnes in vincula conijci quam primum iussit, omnesq; cõquiri atque interfici diuersis supplicijs, qui se illius regis imperio obedire dicerent. Prodocuntur multi cum vinculis & ad Neronem adducuntur, in his Paulus, in quem ita cæteri vincti conijciebant oculos, vt in ducem, vt hoc etiam Nero facile intelligere posset. Itaq; ad eum vnum orationem aduertit, quo ore in imperium Romanum clàm venire ausus esset, vt inde abstractum & abductum populum Christo quem regem suum prædicaret, adiungeret. Paulus non solùm ex illo quasi orbis angulo, sed ex omnibus imperijs se Christo homines colligere & comparare dixit. Sibi enim ab illo negotium datum esse vt neminem contemneret aut abijceret, qui in ipsius fide, & imperio esse vellet. Quod seipse & in illum credere, & eius dicto audiens esse constitueret, id sibi licitum esse intelligeret: quod si faceret vitam eum sempiternam esse consecuturum. Eundemque venturum esse dixit, vt suum cuique pro dignitate reddat, tumque hęc omnia igne deflagratura. Nero cùm mundi deflagrationem audisset, iracundia incitatus, furiaque quadam agitatus, omnes qui huic tali regi parerent, quam primùm viuos

exuri iussisse dicitur. Sed Paulus quoniam ciuem se Romanum esse prædicauerat, Longino, Megysto & Aresto traditus est, qui eum quam primum extra vrbem palàm & publicè securi ferirent. Cumque nuncius eius mortis & supplicij seriùs quàm optaret, veniret, duos ex militibus suis, Feregam & Partemum misit, qui viderent, an securi percussus esset. Illi venientes, eum in media ferè vrbe ad populum de magnis CHRISTI virtutibus & operibus disserentem offendunt: quos vt vidit, Venite, inquit, & vos filij, credite in Deum vnum & filium eius vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum seruatorem omnium, vt viuant, animi vestri. Milites se à Nerone missos dixerunt, qui viderent, an eo mortis genere quod præscripsisset, affectus esset. Quòd si ab inferis cùm morte mulctatus fuisset excitaretur, ita denique se credituros. Ad hæc ille respondens, eos admonuit, si ad sepulchrum ipsius venirent, fore, vt duos viros, Titum & Lucam orantes inuenirent, à quibus hoc ipsum comperire possent. Vix dicendi finem fecerat, cùm alij duo à Nerone missi interuenientes, arreptum comprehensumque eum, extra vrbem in viã Ostiensem pertrahũt, & iuxta

gladium

gladium crucem parare iubent. Quod vt vidit Paulus ad ortum se conuertisse, passisque in cælum manibus, cum lachrymis diu orasse dicitur. Finem orandi cum fecisset, Christianis omnibus qui eum secuti fuerāt, salutatis, eisque pace data, genua humi defixit, totumq; se signo crucis muniens, lictori ceruicem & iugulum præbuit. Ex ceruice cùm securi percussus esset, pro sanguine lac, quasi integritatis & innocentiæ signum fluxisse dicitur. Sepultus est autē eadem via, vbi posteà templum ei ædificatum & dicatum est. Quatuordecim quæ extant, scripsit epistolas: ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnā ad Colloſsenses vnam, ad Tessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum vnā, ad Philemonē vnam, ad Hebręos vnam. Eum ego ordinem ijs enumerandis secutus sum, non quem ille mittendis tenuit, sed quem maiores nostri ecclesiæ instituto eis describendis & attexendis iis libris, qui noui Testamenti nomine appelantur, adhibuerunt. Plenæ sunt omnes institutionis disciplinæque Christianæ, refertęq; omnibus quæ ad bene beateq; viuendum pertinent præceptis & sententijs: Vehementi & maximè

incitato dicendi genere vsus est, quod crebræ illius interrogationes vel docendi causa, vel refellendi, vel etiam obiurgandi adhibitæ, indicant. Ordinē eum, quem natura & ars proponunt, secutus est. Primum enim si quid est quod obsit, tollit ac reprehendit, deinde quæ tenenda sunt docet, & ad extremum epistolâ cohortatione concludit. Obscuræ sunt in eo plerq; circūscriptiōes, quod de nōnullis, Petrus in extrema altera minimè tacuit. Hinc pleriq3, vsque à primis disciplinę nostrę temporibus cùm arbitratu suo difficilia loca interpretarentur, errare cœperunt, & ab Ecclesia discedere. Quod etiam hac memoria nostra in plerisque animaduertimus. Duas præterea quæ non extant, se scripsisse confirmat. ad Corinthios vnam, alteram ad Laodicenses.

VITA BEATI ANDREAE APOSTOLI. IOACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriacę no auctore.

ANDREAS Simonis Petri frater, Iona, siue Ioanne patre in vico Beth-

Bethsaida prouinciæ Galilææ natus est. Is primum, vt cæteri Apostoli, in Christi disciplinam se tradidit, deinde eius benignitate ex communi discipulorum numero ad apostolatus ascendit dignitatem: faciamus enim hoc verbum tritum, vt alia quæ in easdem syllabas exeunt, in quas consulatus. Quod quemadmodum contigerit, non alienum erit ex literis sacris exponere. Bis quidem Andream & Petrum eius fratrem vocatos esse inuenio: semel cùm Ioannes eis qui Baptista literamus enim vsu, hoc etiam vocabulum) vocatus est ex eo quòd CHRIstum potissimùm baptizauerit absente. Petro, ambulantem Christum videns, discipulis duobus audientibus, in his Andreas eum esse agnum dixit: iterum cùm ad mare Galilææ ambulans. Petrum & Andream fratrem eius vocauit. Sed melius est hæc duo eo ordine quo gesta sunt exponere. Ioannes quidē is de quo paulò antè dixi, cum Iesum ambulantem cerneret, hoc de eò duobus discipulis audientibus & spectantibus asseuerauit, eum esse Dei agnum. Quod cùm duo illi, in his, vt dixi, Andreas, audiuissent, Christū secuti sunt. Christus qui eos se sequi cognosceret, conuersus eos rogauit, quidnam quærerent. A

quo cùm illi quęsiuissent, vbi habitaret il
leque ita respondisset, vt diceret, venirent,
ac viderent, ipsi venerunt ac viderunt:
eoque die. cùm iam tum hora ferè decima
esset, apud eum commorati sunt. Andreas
autem qui vnus eorum duorum, vt dixi,
erat, cùm huius tantæ charitatis & mu-
neris Simonem fratrem socium esse vel-
let, cum primum diuini consilij instinctu,
inuenit eiq; se Christum inuenisse dixit,
eumq; ad Iesum adduxit: quem cùm IE-
SVS vidisset, eum & Simonem vocari, &
Ionæ filium esse dixit, post verò Cepham,
id est Petrum eundem vocatum iri. Atque
ea quidem quæ de priore: vt ita dicam,
vocatione vtriusq; à Ioane exposita sunt,
hactenus. Altera autem à Matthæo &
Marco exposita est his verbis, Iesus cùm
ad Mare Galilææ ambularet, duos fra-
tres vidit, Simonem qui vocatur Petrus,
& Andream. qui retia in mare iaciebant,
eisque iussit, vt se sequerentur. Quod si
facerent, fore vt ab ipso piscatores homi-
num fierent. Quod illi ita sibi faciun-
dum censuerunt, vt statim eum relictis
retibus sequerentur. Lucas verò aliquid
aliud addit, ait enim Christum cùm ad
stagnum Genesaret staret, duas naues ad
stagnum stantes conspexisse, tum cùm
piscatores

piſcatores retia lauarent, eumque in alteteram quæ eſſet Simonis conſcendiſſe, ab eoque contendiſſe, vt eam paulùm à terra reduceret. In ea verò Ieſum ſedentem docuiſſe turbas. Cùm autem finem dicendi feciſſet, Simoni imperaſſe, vt in altum duceret, & ad capiendos piſces retia laxaret, Petrum vero dixiſſe, cùm præceptorem eum appellaſſet, ſe etſi vnà cum ſocijs totam noctem conſumſiſſet, nihilque cepiſſent, tamen eius iuſſu ac nomine rete laxaturum: quod cùm feciſſet, tantam vim captam eſſe piſciũ, vt rete rumperetur. Quæ quidem res (vt alia præteream quæ alio loco commodiùs exponẽntur) Simoni ſocijsque eius omnibus tantæ fuerat admirationi, vt relictis omnibus eum ſecuti fuerint. In ijs autem cum fuerat Andreas, Matthei Marcique ſententia, non eſt id quidem dubium, quin Lucas eundem ſociorum Petri nomine & in ijs qui cum eo erant, intelligat. Atque hæc quidem ſunt, quæ de Andrea ab Euangeliſtis tradita accepimus. Nihil enim de eo in libro qui Acta Apoſtolorum inſcriptus eſt, traditur, niſi quòd vna cum cæteris Apoſtolis cum CHRISTVS ijs ſpectantibus in cælum conſcendiſſet, Hieroſolymam reuer-

reuerterit. Nec verò dubiũ est, quin idem Euangelium, Christi iussu mundo diuulgauerit atque patefecerit. Quod vbinam perfecerit, quoque modo, & quo mortis supplicijque genere in cælum ad Christũ migrauerit, in animo est ea secutus quæ ab eius discipulis tradita sunt, exponere. Andreas quidem in prouinciarum diuisione ac partitione, Achaiam obtinuit, sed in vrbe eius prouincię clarissima quæ Patra dicitur, ferè exhortationis legationisq; munere functus est. Is cùm in illa prouincia, ea quæ Christianæ religionis sunt, traderet ac doceret, angeli monitu ac iussu Myrmidonem vrbem venit, vt Matthæum Apostolum quem effossis oculis incolæ in vincula coniectum paucis interiectis diebus interficere cogitabant, liberaret. Cũq; ad carcerem diuino nutu recta obsistente nemine peruenisset, viso beati viri squalore, animaduersisque oculis, quorum munere priuatus erat, ingemiscens, orauit Christum vt ipse qui cùm morbos omnes curasset, tum cæcis aspectum restituisset, Matthæo seruo suo oculorum munus redderet, vt verbum suum annunciaret. Vix ille perorauerat, cùm & carcer terræ motu cõmoueri, magnoque fulgore collucere illustrariq; cœpit:

& Ma-

& Matthæo aspectus restitutus est, & illius ac cæterorum qui in eodem carcere erant, vincula soluta sunt. Quæ omnia tantam admirationem omnibus, qui tanto beneficio affectos se viderunt, excitauit, vt magnum Deum esse prædicarent, quem serui sui nunciarent. Tum verò educti omnes è carcere, ad sua quisque se recepit: Matthæus alio commigrasse, Andreas in vrbe aliquandiu commoratus esse dicitur, prædicandi verbi diuini gratia. Quod cùm facere constituisset, incolæ ex ijs qui vincti fuerant, re, quæ ab eo acta erat, cognita, comprehensum eum ac vinctum per vrbem trahere cœperunt. Iamq3 euulsis crinibus cruor è capite defluebat, cùm ipse Christum rogare cœpit vt illorum mentē animumq3 lumine sancto illustraret, vt & ipsum cognoscerent, & ab illo errore peccatoque quod eis ne noxæ esset peteret resipiscerent. Metus omnium statim animos occupauit tantus, vt dimisso Apostolo se in illum magnum scelus, imprudentes admisisse faterentur. Itaque rogare eum se, vt & hanc veniam sibi daret & viam salutis ostenderet. Ille erectis (se enim ad eius pedes abiecerant) Christi vitam, mira opera, denique pœnam crucis quam ille salutis

omnium

omnium causa subijsset, exposuit. Quod illi ita libenter cupideque audierunt, vt quàm primum salutari aqua expiarentur. Cùm verò eos satis in Christi fide ac religione confirmatos cerneret, in Achaiam Patras reuersus est. In hac vrbe cum oratione sua multos iam ad CHRISTI fidem traduxisset, Aegeas proconsul (proconsulem enim eum fuisse inuenio) hacre comperta, in eam eo consilio venit, vt eos qui CHRISTVM Deum esse credebant, idolis immolare, diuinosque honores tribuere cogeret. Andreas qui Aegeæ consilio factoque quam primum obsistēdum esse intelligeret, eum adijt, hisque verbis est allocutus. Eum oportere, qui hominum iudex esset, iudicem suum qui in cœlis versaretur, cognoscere, cognitum colere, & colendo eum qui verus esset Deus, animum à falsis dijs reuocare. Quæ ille verba tam impotenti animo accepit, vt ab eo quæreret, essétne ipse Andreas is, qui & deorum templa euerteret, & hominibus superstitiosam sectam, quam nuper Romani principes explodi eijciqué iussissent, suaderet. Andreas Romanos principes planè cognosse negauit id quod verum esset, Dei filium cùm salutis hominum causa in mundum è cęlo venisset,

nisset, docuisse idola, quibus diuinitatem tribuerunt, non solùm Deos nõ esse, sed dæmonia deterrima generi hominũ inimica, quæ nihil homines docerent, nisi id quo Deus offendatur, offensus, auertatur, auersus, eos non audiat, ob eamque causam ita præcipites illi in omne peccati genus diaboli quasi imperio in omni vita ruant, vt in eis cùm migrant nihil præter malè facta remaneant. Hæc ille anilia deliramenta esse præsertim cùm Iudæi Iesum quem ille prædicaret, eadem docentem, in crucem egissent. Itaque aut hæc docere atq; eum prædicare desineret, aut se cruci suffigendum quam primum intelligeret. Ille in semel suscepto consilio permanens, hoc de supplicij genere respondit, Se si crucis patibulũ extimesceret, crucis honorem & gloriam non prædicaturum fuisse. Tum sententia in eum lata esse dicitur, Andreã nouam sectam quæ deorum religionẽ tolleret inuehentem & docentem, in crucem agendum esse. Cùm autem ad locum in quo crux fixa erat, supplicij causa duceretur, concursus factus est voce magna clamantium, innocentem eum sine causa atque adeo iniuria damnati. Ille verò cùm crucem eminus intueretur, eam salutauit,

hor-

hortatusq; est, vt discipulum eius, qui ei suffixus fuisset, exciperet, eam dedicatam atque consecratam esse Christi corpori, eiusque membris quasi margaritis ornatam; diu eam defatigari ipsum expectando, quemadmodum Christum magistrum expectasset: lætam se ad illam venire, cuius desiderio iam diu teneretur. Itaq; orare, vt se exciperet ac magistro redderet: vt per illam ipsum Christus reciperet, qui per eam ipsum redimisset. Cumq; vĕtum esset ad crucem, primùm Christum orauit, deinde populum hortatus est, vt in ea fide ac religione quam tradidisset, permaneret. In cruce verò biduum vixit, cùm intereà nullum finem docendi populi fecit. Qua illius doctrina & maxima constantia adductus populus, ad proconsulem adijt, maximaque voce ab eo contendit, vt sibi hominem qui iustè, piè, sanctè vixisset, redderet, neque hominem DEO charum, ac clementem interficeret. Quòd si in proposito permaneret, se effracturum ipsius fores, minitari, eumque interfecturum. Aegeas proconsul populi tumultuantis furori cedendum ratus egreditur, atque vnà cum eo ad crucem vt Andream eriperet ac solueret, proficiscitur. Quem vt vidit Andreas, eũ rogauit, quã-

obrem

obrem veniret, num in animum induxisset, eis assentiri quæ doceret. Cumque populus eum eo consilio venire diceret, vt illum liberaret, ille Christum orare cœpit, ne se ab ipso separari, ac de cruce deponi sineret, se enim vim crucis quam semper optasset, sentire, tempus esse vt terræ corpus ipsis committeret, ac spiritum quem illi commendaret, acciperet. Itaque in cruce pridie Calendas Decembris spiritum edidit. Eius autem corpus Maximila quædam Deo chara cum aromatibus præclarissimo, tantoque & apostolo & viro dignissimo loco sepeliuit. Eius sacrosanctas reliquias, Lucæ ac Timothei Hieronymus in libro quem in Vigilantium sanctorũ eorumq3 reliquiarum hostem scripsit, à Constantino Imperatore Constantinopolim translatas maxima populi frequentia asserit. Gregorius verò Turonensis sanctus pontifex, scribit in Achaiæ oppido in quo Andreas Christi nomine mortem, vt dixi, perpessus est, die illius festo etiam memoria sua manna farinæ specie, cum odore miræ suauitatis ex illius tumulo manare solitum, ex eoq3 oppidanos ita anni insequentis tum vbertatem, tum caritatem & sterilitatem intelligere, vt si magna co-

pia

pia redundet, vbertatem, sin exigua, sterilitatem significari sciant: oleumq; scribit quod interdum vsque ad medium templū fluxerit, profuisse tum ægris, siue in potione adhiberetur, siue eo plagæ vel membra morbis affecta inūgerētur. Idem miraculum exponit, quod prætermittendum non censui. Valet enim ad Christi, & Apostoli eius laudem & gloriam Clodomere Francorum rege interfecto, cùm exercitus collectis viribus Burgundiam vastaret, templum quoddam in quo beati Andreæ & Saturnini reliquiæ conditę erant, ita iam incensum erat, vt tigna exusta caderent. Loci autem incolæ non tam rerum suarum quam harum reliquiarum amissione permouebantur vt miseros se esse clamarent, quibus tantorum sanctorum præsidio carendum esset, quod si contingeret, nullam iam sibi salutis spem reliquam fore iudicabant. His ita conquerentibus & acerbè ferentibus, Turo quidam præsto fuisse dicitur, qui cum horum lachrymis ductus, tum sanctorū virtutem sentiens, non minus fide, quam armis protectus se in medias flammas immisit, arreptasque à sancto altari reliquias saluus & incolumis foras extulit. Sed continuò ita constrictus hæsit, vt se antè

mouere

mouere non posset. Itaq; se indignum ratus qui reliquias ferret, puellam quæ sacra præda se non contaminasset, delegit, eiusque ceruici reliquias alligauit.

D. IACOBI APOSTOLI, IOANNIS APOSTOLI FRATRIS VITA, IOAchimo Perionio Benedictino Cormœriacenso auctore.

IACOBVS Zebedæi filius, Ioannis autem Apostoli & Euangelistæ frater, à CHRISTO hoc ordine, vt Matthæus scribit, discipulus delectus est. Cum Petrus & Andreas eius frater in naui essent, retiaque in aquam capiendis piscibus demitterent, Christus illis in disciplinam vocatis, longius progressus, Iacobum de quo dicimus, & Ioannem in naui animaduertit vnà cum Zebedæo patre retia reficientes, quos cum moneret, vt se sequerentur, illi sine mora relicto patre abiectisq; retibus eum secuti sunt, quod de disciplinæ ratione intelligendum est: Neq; enim Christus quenquã ex discipu-

discipulis apostolum separatim delegit, sed cùm magnum iam discipulorum numerum partim nouis inauditisq; operibus, partim vitæ quam integerrimā ageret, opinione sibi adiunxisset, ex tanto numero duodecim modò selegit quos apostolorum appellauit nomine, quod in monte factum esse Lucas commemorat. Iacobus autē hic cuius vitam scribimus, quantum apud Christum gratia & amicitia valeret, hinc intelligi potest, quòd ille quandiu hic vixit, in ijs habuit semper, quos remotis cæteris quasi arbitris, ad res præcipuè charitatis iudices adhibuit. Nam in montem, in quo tum eius facies summo splendore illustrata est, tum vestes simili candore nituerant vnà cùm alijs duobus Petro & Ioanne, tantæ gloriæ suæ testem futurum duxit, & priditè quàm salutis hominum causa interficeretur, cum duobus eisdem adiunctis secreuit à cæteris. Eum quidem ab Herode securi percussum esse Lucas in Actis Apostolorum commemorat, sed quoniam ad alia properans rei ordinem prætermisit, non erit alienū pauca de eius & doctrina & morte dicere. Ei Samatia & Iudæa prouinciæ obtigerunt, quas cùm docendę veritatis causa peragraret, atque

in publicis conuenientibus palàm ac liberè Christum Dei filium esse profiteretur, Hermogenes quidam magus discipulum quendam ex suis Philetum nomine ad illum misisse dicitur eo consilio, vt eũ refelleret. Quo cum ille adhibitis aliquot Pharisæis venisset, conaretur q̃ue docere Iesum CHRISTVM, cuius se Apostolum commemoraret, non esse, vt ipse prædicabat, Dei filium, Iacobus ei facilè restitit, eumq̃ue ita scripturis refellit, vt ad Hermogenem rediens hæc magna claraq̃ue voce victus à veritate dixerit. Iacobum, inquit Hermogenes, eum qui se Iesu Christi & seruum & Apostolum esse confirmat, scito abs te vinci superariq̃ue non posse. Nam & cacodæmones eius appellato nomine ex hominum corporibus cijci ac expelli, & cæcis pristinum oculorum aspectum restitui, & eos qui elephantia infecti erant, purgari vidimus. Quinetiam mortuum ab inferis eum excitasse nonnulli qui maxima mecum necessitudine coniuncti sunt, asseuerant. Quid multa? Scripta diuina omnia memoria tenet, quibus docet non alium esse Dei filium, nisi Iesum quem Iudæi in crucem egerint. Itaque si consilium quod tibi det magistro discipulus, sequare, veniensq̃ ad eum

veniam petas, melius certè tibi rationi-
busque tuis consules. Si enim hoc negle-
xeris, artem istam tuam scito nihil tibi
deinceps prodesse posse. Nam quod ad me
attinet, hoc tibi velim persuadeas, me ad
illum reuerti decreuisse, petereque ab illo
maiorem in modum, me vt in disciplinâ
recipiat. Hæc cùm Hermogenes accepis-
set, ira percitus Philetum ita arte sua fi-
xit, vt penitus se loco mouere non posset,
tumque per ridiculum, iam inquit, vide-
bimus an Iacobus tuus veniens, te possit
soluere. Philetus qui his verbis apostoli
malè acceptum irrisumque cerneret, misit
ad illum continuò puerum suum, qui ei
hæc omnia exponeret. Apostolus factus
certior, ei sudarium suum ad Philetum
perferendum dedit, vt cùm illud accepis-
set, hæc diceret, Dominus Iesus Christus
erigit elisos, compeditosque soluit. Puer
ilico præceptis apostoli paret, magnisque
itineribus ad herum contendit. Phile-
tus sudario accepto, cùm verba illa pro-
nunciasset, statim vincula quibus vin-
ctus erat, soluta sunt. Quod cùm non si-
ne summa admiratione animaduerte-
ret, contempta irrisaque arte Hermoge-
nis, ad Iacobum confugit. Hermogenes
hinc furijs quibusdam agitatus ad insi-
nian

niam adigitur, nec quid faciat, habet, ab arte tamen sua præsidium petit, appellat cacodæmones, eisque imperat, vt se ad Iacobũ Philetũq3 conferant, eosq3 ad se, vt de illis ipse supplicium sumere pertrahant, sic enim fore, vt Phileti supplicio cæteri discipuli à simili audacia deterreantur, Parent illi quidem, sed vt primum ad eum locum in quo Iacobus orabat, peruenerunt, vociferari ac rogare cœperunt, vt misericordia ipse commoueretur, se enim iam ante incendij tempus ardere. Ille quamobrem venerint rogat. Causam quam paulò antè exposui, ab eis discit, eosque Iesu nomine vt Dei angelus soluat, clara voce vt omnes intelligerent, Deum precatur, eisque imperat, vt ad se Hermogenem saluum & incolumen perducant. Abeunt illi Hermogenemque ligatum vinctis à tergo manibus dicunt ad Iacobum, ita tamen, vt hoc illi in itinere obijcerent, quòd ipsos eò misisset, vbi incendio conflagrassent. Perductum Icaobus stultissimum eum hominum appellat, quòd cum generis hominum hostem haberet, nec consideraret, se ab illo contendisse, vt angelos suos ad ipsius perniciem exitiumque mitteret, quos ipse ne in illum im-

petum facerēt vetaret. Clamare etiā tum cacodæmones, rogareq; Iacobum, vt Hermogenem sibi dederet, de quo ita consulerent, vt & illius iniurias, & sua incendia vlciscerentur. Iacobus eos rogat, cur Philetum qui aderat, non arriperent: eumque illi negarent vel formicam, quæ in ipsius cubiculo esset, se posse contingere. ipse Philetum docuit, disciplinæ religionisque nostræ esse, bene mereri de ijs qui malè de nobis meriti sint: Itaque eum iubet Hermogenem soluere, quipsum vinxisset: & qui vinctum à dæmone ad ipsum pertrahere conatus esset, liberum solutumque eum dimittere, Solutus Hermogenes primùm abiectus, stare cœpit: deinde cùm ei Iacobus potestatem abeundi quo vellet, fecisset, quod negaret disciplinę nostrę esse quenquam ad eam inuitum traducere, se ille dęmonum furorem nosse dicit, ob eamque causam minimè dubitare quin arreptum se illi diuersis supplicijs necarent, Apostolus eius vicem dolēs, illi scipionē, quo ipse in itinere vti solitus esset, tradidit, cumque bono esse animo illo comite iussit. Magna vis illo in bacillo inesse visa est. Vt enim domum Hermogenes venit, illudque & suis & discipulorum suorum cer-

uicibus

uicibus apposuit, repente, totus mutatus est, conquisitos etiam tunc libros qui de magia scripti erant innumerabiles ad Iacobum pertulit, eosque æquo animo exuri passus est. Hinc se ad Apostoli pedes abijcere cœpit, petens ab eo maiorem in modum, vt pœnitentem reciperet, quem inuidentem & obtrectantem adhuc tulisset, Iacobus qui ignoraret, quo id animo consilioque faceret, respondet. Si verè & ex animo ipsum actæ ad illud tempus vitæ pœniteret, veram eum misericordiam à Deo veniamque esse consecuturum. Ad quæ ille: Tam, inquit, verā Deo pœnitētiam offero, vt & oēs codices meos, qui malis artibus referti erant, vt scis, abiecerim, & omnibus inimici artibus nuncium remiserim, Quod cùm Apostolus ab eo accepisset, imperauit illi, vt id iam verum esse doceret ac profiteretur, quod falsum esse asseuerasset, simulacrū quod veneraretur, & à quo oracula se accipere putaret. in partes diuideret ac comminueret, pecunias quas malis artibus quæsiuisset, in res bonas profunderet: vt quemadmodum Diaboli filius eum imitando fuisset, Dei iam filius efficeretur, qui quotidie in ingratos beneficia conferret, & in obtrectatores clementē se

præberet. Si enim tu, inquit, cùm in Deum impiè tam multa feceris, ipse contrà multis te bonis affecit, quantò in te futurus est benignior, si & magus esse desieris, & benefactis ei gratus studueris esse? Hæc atque talia cùm Iacobus dixisset, ita Hermogenes eius præceptis paruit, vt perfecta absolutaque virtus quæ deinceps in eo fuit, ad mira inusitataque opera peruenirent. At Iudæi cùm non Hermogenem modò, quem inuictum putarent, verumetiam eius discipulos & amicos omneis in Christi fidem Iacobi oratione traduci recipique animaduerterent, Lysiæ ac Theocrito centurionibus qui tum illis locis præfuisse dicuntur, pecunia largitionibusque persuaserunt, vt eum in custodiam traderent. Orta autem seditione, vt fit, in populo, eum educi, è custodia, audiriique quemadmodum lex iubebat, placuit. Eductum Pharisæi rogant, cur Iesum Christum hominem, quem inter latrones in crucem sublatum esse constaret, publicè laudibus ornaret. Ipse cùm eos Abrahæ filios appellauisset altè petito exordio, hoc Abrahæ à Deo promissum esse dixit, fore vt nationes omnes illius seminis, id est, posterorum hæreditatem adirent, semetque illius non in Ismahele

qui

qui vnà cum Agara matre eiectus fuisset, sed in Isaaco intelligi, cùm hoc Deus ipse declarauerit his verbis, in Isaac vocabitur tibi semen. Abrahamum verò amicũ Dei appellatum esse antè quàm præceptum de circuncidendo præputio à Deo accepisset, antè quàm sabbatum coleret, antequam legem vllam diuinitùs latã cognosceret: eumq; amicitia cum Deo coniunctum fuisse, nõ quod præputij sui carnem ipse circuncidisset, sed quod DEO credidisset, cùm prædixisset, ad omnes gẽtes eius seminis venturam esse hæreditatem. Quòd si Abraham, inquit, gratiam à Deo inijt, cum ei fidem hoc pollicenti ac prædicenti habuit, certè perspicuũ est, eum qui illi non credat, inimicitias cum eo exercere. Cumque Iudæi quærerent, quisnam esset tam amens, qui Deo non crederet: eum respondit, qui non crederet seminis Abrahæ hæreditatem ad omnes gentes peruenturam esse, qui Mosi, Esaiæ, Hieremiæ, Danieli, Dauidi, cæterisque prophetis, qui de CHRISTI aduentu, morte, resurrectione, ascensu in cælum certissima clarissimaque testimonia dixissent, fidem non haberet. Atque hæc omnia Iacobus ex prophetis memoriter cum maxima eorum qui aderant

admiratione pronunciauit: multaque prætereà exposuit, quæ à Christo facta essent & tolerata, vt prophetæ prædixerãt. Quibus commemoratis omnibus, fieri posse negauit, quin Iudæi qui hæc minus crederent, perpetui ignis supplicio afficiendi essent, ac debitas pœnas daturi, cùm præsertim ij qui essent ex Gentibus in prophetarum scripturis sententijsque acquiescerent. Itaque omnes qui circunstabant, hortatus est, atque monuit, vt hæc ipsa tam grauia tamque indigna scelera lachrymis obliterarent atque delerent, vt nostram, inquit, pœnitentiam Deus pro eximia sua misericordia & benignitate gratam acceptamque habeat, ne ea nobis eueniant, quæ contemptoribus euenerunt, de quibus Dauid ita scriberet, Aperta est terra & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationẽ Abiron. Quæ cùm dixisset, aliaque permulta in eandem sententiam, omnes ad vnum clamare cœperunt, se peccasse, iniustè se egisse: Itaque orare, vt ipse quid agerent, præscriberet. Ille eos bono esse animo iubet, admonetque vt tantùm credant vitalique aqua expientur: Erat tum Hierosolymis Abiatharus pontifex, qui cùm tam magnam multitudinem ad CHRIsti

sti religionem fidemque traduci molestè acerbeque ferret, pecunia. Apostolum in tantam inuidiam odiumque apud Pharisæos adduxit, vt Iosias scribarum vnus eum iniecto in collum fune ad Herodem statim perduxerit, perductum Herodes securi feriri iussit, quemadmodum ex eo libro Lucæ, qui acta Apostolorum inscriptus est, intelligi potest, quo in libro ille missos esse milites scribit ab Herode, qui Iacobum comprehenderent: quod factum esse tum cùm primùm Iudæi ob Hermogenem infesto in eum animo esse cœperunt, intelligere debemus. Sed ad propositum reuertamur. Cùm Iacobus Herodis iussu ad locum in quo securi eum feriri oporteret, duceretur, paralyticum in via, vt Clemens Alexandrinus teste Eusebio in historia Ecclesiastica, tradit, vidisse dicitur, orantem vt se curaret. Quòd cùm ipse Christi nomine fecisset, Iosias scriba ille, quem eius ceruicibus funem iniecisse paulò antè dixi, eo extracto, se ad illius pedes misit, magnis precibus petens, vt & sibi ignosceret, & se sacro lauacro expiaret. Iacobus qui hæc illum diuino afflatu ductum dicere intelligeret, rogare eum cœpit Iesumne CHRISTVM, quem Iudæi in crucem egissent, verum DEI

filium esse crederet: quod cùm ille se credere profitereretur, Abiatharus pontifex eum statim comprehendi iussit, eodemque mortis genere quo apostolum, mulctatum iri dixit, nisi quamprimùm & à Iacobo se disiungeret ac secerneret, & nomini Christi malediceret. Sed cùm, vt nostri loquuntur, maledictum illius nomen, CHRISTI autem benedictum voce magna diceret; Abiatharus os eius pugnis cædi, eumque cum Iacobo securi iussit. Cùm autem ventum esset ad locum supplicij, lictorem Iacobus rogasse dicitur, vt antè quàm feriret, aquam iuberet afferri. Allata aqua quæsiuit à Iosia Apostolus, num in CHRISTVM DEI filium crederet: qui cùm se credere diceret, expiatus est ab ab apostolo aqua salutari, osculoque dato, cruce frons illius consignata est. Quibus ritè perfectis, vterque eadem hora eodemque loco morte mulctatus migrauit ad CHRISTVM VIII Calendas Aprilis. (.·.)

B. IOAN.

B. IOANNIS APOSTOLI VITA, IOACHIMO Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.

IOANNES Iacobi Apostoli, quem Herodes gladio interficiendum curauit, frater Zebedæo patre natus est. Is à Christo vnà cum Iacobo fratre, cùm in mare Galilææ piscatores retia reficerent, vocatus statim relicto patre rebusque omnibus, se in illius disciplinam, quemadmodum Matthæus & Marcus exponunt, tradidit. Inde ex communi discipulorum numero ad apostolici ordinis dignitatem & honorem Christi benignitate ascendit. Eundem CHRIstus præcipuo quodam amore prosecutus est semper, quod ex illius libro qui Euangelium inscriptus est, intelligi potest. Semper enim cùm de se sermonem infert, proprio prætermisso nomine, discipulum se esse dicit eum, quem Christus charũ haberet, quasi ex illa re aduentitia omnes quis esset, intellecturos arbitraretur. Quod si nefas est quenquam ab illo falsò iactatum esse existimare, nos & verum id esse credere, & qua de causa omnium charissimus CHRISTO fuerit, exquirere debemus.

Eum quidem ipse Christus cùm remotis arbitris & in monte mutata forma instar solis fulsit eius facies, & in horto oleis consito pridie quàm mortem perferret, patrem orauit, semper adhibuit, sed quoniam & Petrũ & Iacobũ eius fratrẽ illius gloriæ suæ atq; consilij participes esse voluit, non ex eo singularẽ præcipuãq; illius in eũ charitatẽ intelligere aut colligere possumus, Alia igitur quærenda sunt summi huius amoris argumenta. Duo quidem potissimum mihi diligenter considerantì occurrunt. Vnum quod in extrema illa cœna, ad quam duodecim apostolos adhibuit. cùm perturbato more hominum animo eis ipse prædixisset fore, vt vnus ex eis ipsum proderet, omnesque maximo, vt par erat, dolore affecti, quem hoc verbo intelligeret, hæsitarent. Petrus qui omnia solitus esset audaciùs gerere, non à CHRISTO, sed à Ioanne quisnam esset quem suo sermone Christus significaret, quæsiuit, quòd scilicet tantum sibi de CHRISTI in Ioannem amore persuaderet, vt facilè ei rem totam enunciaturum putaret. Quæ eum non fefellit opinio. Nam cùm Ioannes caput in Christi sinu, quod maximæ familiaritatis amorisque singularis argumentum est & certissimum

tissimum & clarissimum, reposuisset, rogatus quisnam esset quem diceret, eũ esse respondit, cui intinctum panem iam porrecturus esset. Hinc omnes disciplinæ nostræ auctores homines q̃ue clarissimi ex Christi pectore eum hausisse tradunt mysteria maxima, quæ initio euangelij sui de Verbo (terendum est enim vsu hoc vocabulum) id est, de Dei filio exposuit, & enunciauit. Sed non video cur non etiam in exilio hæc, multaq̃ue plura alia ei patefieri ostendiq̃ potuerint. Atq; hoc quidẽ vnum argumentum est: Alterum est eiusmodi. Cùm Christus salutis omnium nostrũ causa cruci suffixus, Mariam matrem Ioannemq̃ue discipulum quem diligeret, ad crucem stantes animaduertisset, matri primùm, vt ipse Ioannes auctor est, Ioannem eius esse filium, deinde Ioanni Mariam eius matrem esse dixit. Quæ Christi commendatio apud Ioannem discipulum tantum valuit, vt quãdiu illa talis mater vixit, eam quibuscunq; potuit officijs sit prosecutus. Quod si Christus in hoc mundo moriens nihil matre, quàm Ioanni de quo dicimus, matrem attribuit, chariùs habuit; profectò vel ex hoc vno, quàm eũ charũ habuerit, intelligere possumus. Nec mirũ videri debet, si mattẽ Ioanni moriẽs

cōmendauit, cùm virgo vterque permāserit. Hinc etiam plerique præcipui amoris causam ducunt, quòd & virgo tum esset, cū à Christo vocatus accersitusq; est, & in suscepto castimoniæ seruādæ cōsilio propositoq; permāserit. Quēadmodū aūt singulari quodam ac præcipuo amore Christus in eum fuit, sic in Christum præ cæteris amauit. Quod hinc intelligi potest, qui cum Christus tertio quàm in crucem actus esset die excitatus ab inferis, sepulchrū in quo humatus fuerat, prima luce vacuū reddidisset, quædāque mulieres, in ijs Maria Magdalenæ, sepulchrū sine Christi corpore reperissent, Maria Magdalenæ ad Simonē Petrum venit, & ad hūc Ioannem, eisque dixit sublatū esse è monumēto Dominum, nec scire se vbi collocatus esset. Quòd cùm illi audiuissent sine mora ad sepulchrum sibi eundū esse censuerūt, Currentes autē pre desiderio magistri, nō simul eodemq; momento tēporis peruenerunt, sed Ioannes anteuertit, priorque ad sepulchrum ingressus est. Nō est aūt id quidem dubium, quin hi duo Christum charissimum habuerint. Quòd si Ioannes hoc suo officio Petro in CHRisti amore non cōcessit, sed eū superauit, certe omnes facilè vicit. Hunc Christus vnà cum Petro

tro misit, qui significarent ei quem vellet, apud illum se vnà cum discipulis agnum paschalem esse comesturum. Mira erat in eodem agnoscendi Christi solertia & ratio. Nam cùm Christus ab inferis excitatus, Petro, Ioanni, Thomæ, alijsque discipulis piscantib. se in litore maris ostendisset, quæsisset ne ab eis ipsum ignorãtibus num quid cepissent, illique se quidquam cepisse pernegassent, atque ille auctor eis fuisset, vt rete ad nauigij dextrã mitterent, missoque reti tãtam vim pisciũ cepissent, vt trahi præ multitudine non posset, eis etiam tum tanto edito miraculo ignotus fuisset, nisi Ioannes Petro Dominum esse dixisset. Itaq; Petrus cùm ille Dominum esse dixisset, eius orationi fidẽ habuit, cæterique qui aderant, qui omnes à Christo in conuiuium adhibiti sunt. Eodemque die nec ita multò pòst, cùm Christus Petro vt se sequeretur, imperaret. Petrusque qui Ioannem sequentem cerneret à Christo quid Ioannem facere vellet, quæsiuisset, Christus ei respondit: Si eum manere in vita vellet, quoad ipse veniret quid ad eũ. Ex quo factum est, vt discipuli hoc ita acceperint, vt existimarẽt Ioannẽ non esse moriturũ, quanquam hoc Christi verba, quemadmodum ipse Ioannes

ait.

ait, non significarent. Idem accepto spiritu sancto, vna cum Petro hora nona orandi causa Hierosolymitanũ templum ingredi cœperat, cùm Aeneas quidã, qui paralyticus & claudus ex vtero matris natus erat, ferebatur, vt ad portam Speciosam quemadmodum quotidie solitus erat, collocatus ab introeuntibus in templum aliquid acciperet. Is cùm Petrum & Ioannem tum vidisset, rogare eos cœpit, vt sibi aliquid erogarẽt. Illi vt se intuerentur, cùm dixissent, continuo paruit, quod se aliquid ab eis accepturum esse speraret. Perrus autem se argento & auro carere quidem dixit, sed quod haberet, id se illi dare, id est sanitatem. Itaq; cùm primùm ei imperauit: vt Iesu Christi Nazareni nomine surgeret & incederet, saluus & incolumis surgere & ingredi cœpit: intransq; cum illis in templum, Deo cum laudibus gratias egit. Hoc autem miraculum non solum ad Petrum, verumetiam ad Ioannem pertinere, hinc sciri potest, quod cum Aeneas Apostolos in templo teneret, concursusq; eo magnus populi admirantis factus esset. Petrus omnes hortatus est, ne sic ipsos intuerentur, quasi illum sua ipsorum vi & auctoritate curassent. Hoc totum esse tribuendum fidei Iesu quem illi

quidem

quidem tradidissent, & auctorem vitę interfecissent. Deus autem ab inferis excitasset, euius rei ipsi testes essent. Sibi quidem exploratum esse, id factum ab eis esse imprudentia. Itaque se illos monere, si illius sceleris eos pœniteret, & conuerterentur, fore, vt eorum peccata obliterarentur. Hæc & similia eorum cùm ad populum loquerentur (Lucas enim sermonē vtrique attribuit) sacerdotes magistratusque templi & Saducęi interuenerunt, qui quod ægrè ferrent ab eis Iesu vi ac nomine resurrectionem mortuorū doceri atq; tradi, comprehensos eos in custodiam in crastinum tradiderunt. Eorum autem illa oratio tantum in animis populi valuit, vt quinq; milia hominum ad Christi fidē religionēque deduxerint. Postridie scribæ & seniores itēq; Annas pontifex, & Caiphas, cæterique sacerdotes conuenerunt, vt quid in eos statuendum esset viderent, Perductosque illos, cuius vi ac nomine hoc fecissent rogauerunt, Christi nomine Petrus respondit, quem illi cruci suffixissent: DEVS autem à mortuis excitasset, per eum eiusq; benignitate hominem sanum esse quem cernerent. Eum esse lapidem qui ab illis ædificantibus improbatus à Deo in capite anguli collocatus esset,

set, nec in alio salutem consistere neque enim nomen aliud in terra hominibus datum esse, quo seruari nos oporteat. Illi cùm vtriusq3 constantiam animaduertterent, quos imperitos & ignaros scirent, admirabantur, nec contradicere ac repugnare poterant, cùm hominē quem curassent, cernerēt, Secedere tamen eos paulisper extra concilium iusserunt, quid agendū esset, iter se deliberare possent. Nec verò quidquam statuere potuerunt, cùm res ita illustris & clara esset, nisi cum minis vetare eis, ne iā Christi nomine quidquam loquerentur aut docerent. Quod cùm eis imperatum prescriptumque esset, hoc tantū respondisse dicuntur, Si æquum esset apud Deum eos potius audire quam Deū, ipsi viderent ac iudicarent. Se enim non posse non loqui quæ vidissent & audissent. Paulus in epistola ad Galatas scribit septimodecimo quàm à Christo vocatus esset, anno, se iterum Hierosolymā vna cum Barnaba & Titu propter euangelij causam rationemque venisse, qua in vrbe cùm Iacobus, Petrus, & Ioannes hic, quos dicit habitos esse columnia, munus quod ipsi a Christo concessum esset, cognouissent, dextras ipsi ac Barnabæ societatis, ab illis datas esse, vt ipsi ad Gentes,

illi

illi autem ad Iudæos nostræ religioni instituendos informandosque proficiscerentur. Philippi, qui ex septem diaconis vnus fuit, oratione atque doctrina Samaritani magna ex parte Christianã religionẽ acceperãt, cum apostoli recomperta & cognita Petrum & Ioannem eo miserunt, vt eorum manuũ impositione Samaritanis Spiritus daretur. Illi ergo cum venissent orassentq; vt illi Spiritum acciperent, impositis manibus, Spiritus S. in eos descendit Hoc cũm Simon, qui magus dicitur, quemq; Philippus quem modo dixi, conuersum aqua salutari expiauerat, animaduertisset, ab apostolis contendit maiorẽ in modũ, vt pecunia ad hãc ipsam vim dignitatemque peruenirет. Quod illi ita infensis animis acceperunt, vt Petrus pecuniam illi malè euenire vertiq; optauerit, q; Dei munus pecunia quæri haberiq; existimaret. Eum tamen admonuit, vt illius sceleris ipsum pœniteret, rogaretque Deum, vt flagitio suo ignosceret. Ille contra ab eis petiuit, vt ipsi pro se Deum precarentur: ne quid eorũ quæ dixissent, ipsi eueniret. In partitione autem prouinciarum Ioanni Asia obtigit quemadmodum etiam Eusebius principio tertij libri historiæ Ecclesiasticæ commemorat.

Quod

Quod multò post Christi ascensum factũ esse primum hinc sciri potest, quia Ioannis mentionem nullam facit. Lucas in libro qui Acta Apostolorum inscribitur, cùm totam Asiam Paulum peragrasse scribit. Deinde quod Paulus Timotheum pōtificē Ephesinum creauit, quemadmodum ex priore ad eum epistola intelligi potest. Hoc autem cum accidit, quot anni intercessissent à Christi ascensu, cognoscere poterit, qui acta Apostolorum cum Chronicis Eusebij conferet. Præterea si Timotheus Paulo superfuit, sicuti supfuit, non loco suo eum Ioannes mouit. Ita eo viuo Ephesinam Ioannes Ecclesiam nō gubernauit, Atqui omnes qui eum Asiæ Christianam religionem disciplinamque tradidisse, aut potiùs prouinciā totam in ea confirmasse scribunt, eum Ephesi sedisse & mansisse volunt. Fieri tamen potest, vt viuo Timotheo & ante & post mortem Pauli Asiam illustrauerit: Timotheo aūt mortuo pontifex Ephesinus creatus sit, & quasi in demortui locū suffectus. Quo autem tempore primum in Asiam docendæ amplificandæque Christianæ fidei religionisq; causa profectus sit, etsi cōperire non possumus, hoc tamē perspicuum est, eum totā illam obiuisse prouinciā, quod quidem

quidem mihi fecisse ante Mariæ virginis matris Christi mortem non videtur, idq; mihi daturos spero omnes, qui quantæ curæ ei illa fuerit considrrauerint, præsertim cùm à Christo sibi commẽdata fuisse meminisset. Mariæ autem mortem quindecimo anno post Christi ascensum accidisse Eusebius in Chronicis auctor est. Sed de his hactenus. Ioannes quidẽ cùm Ephesi atque adeò in tota Asia verbũ Dei prædicaret, Domitiano Vespasiani filio imperatore, ab illo quartodecimo imperij anno, qui extremus fuit, vt etiam Hieronymus tradit, Epheso Romã accersitus, & ad portam Latinam in conspectu Senatus in dolium feruentis olei plenum missus esse dicitur, ex quo saluus & incolumis sine vllo doloris sensu magna omnium admiratione exierit. Hoc ita esse Ecclesia declarat. quæ eo ipso die, id est, pridie Nonas Maij quotannis sacrum solemne eius rei, & honoris illius causa agit. Quinetiã, eo ipso loco, ei templum miro opere ædificatum consecratumque esse dicitur: Domitianus, quem Ioannis ratione tã inusitatę rei miraculo adductum, credere, eumque in primis colere & habere oportebat, non modo ei honorem vllum non habuit, verumetiã in proposito traden-

tradendæ disciplinæ nostræ permanentē, contra imperium suum, in insulam Parmos deportandum curauit. In ea Insula eo die quem Dominicum nunc etiam dicimus, visio quædam ei oblata est, qua illi multa magnaq; mysteria patefacta sunt, vt ea cùm scripsisset, ad septē Asiæ Ecclesias, Ephesinā, Smyrnensem, Pergamenā, Thyatiranum, Sardensem, Philadelphianam, Laodicensemque iussu Dei miserit. Illic autem annum vnum & eo amplius fuit. Nam quartodecimo Domitiani anno eo in exilium missus est, & Ephesum Nerua imperatore qui Domitiano successit, quique biennium tantum vixit in imperio, rescissis Domitiani actis, magna cum gloria redijt. Cùm in vrbem introiret, fortè Drusiana quodam mortua efferebatur, vidua & nostræ disciplinæ particeps, & magnis virtutibus prædita, quæ eadem magno Ioannis desiderio tenebatur. Propinqui illius omnes vt eum aspexerunt, Drusianam se efferre clamauerūt, quæ & eius præceptis monitisque paruisset semper & ipsos aluisset, & desiderio ipsius tāto flagrasset, vt ferè quotidie se ita eius videndi cupidam esse diceret, vt si illi semel cum cōtingeret videre, æquo animo hinc euolaret. Eum venisse, & illum

eam

eam iam videre nō posse. Itaq; rogare se, vt ei subueniret. Ioannes illorum precibus ac lachrymis impulsus, & quòd Drusianam ipse vicissim charā habuisset, semper, ei vt surgeret, & domum ad instruendum conuiuium iret, imperauit, cùm hoc ei dixisset, Dominus Iesus te ab inferis excitet. Illa statim surgens domum, vt quod Apostolus iusserat faceret, properare ita cœpit, quasi non mortua, sed à somno expergefacta videretur. Craton erat philosophus illis temporibus in magno apud suos honore & precio. Is fortè cùm mundum cōtemnendum esse docere vellet, duos adolescentes fratres admodum locupletes, suo sermone impulerat, vt totum patrimonium primùm venderent, deinde ea pecunia quam magnam collegissent, gemmas aliquot quæ in precio essent, emerent, postremò certo quodā die palàm in foro in conspectu totius populi eas frangerent. Quod cum Ioannes illac prēteriens animaduertisset, accersiuit ad se Cratonem, eiusque illum deuitiarū contemptum & dispicientiam triplici ratione dānauit, primùm quòd cùm sermone hominum laudaretur, diuino tamen iudicio vituperaretur & improbaretur. deinde quòd eiusmodi contemptio cùm

eam

eam vim non habeat, vt vitia curaret animi, vana esset & inutilis, non secus atque medicina, quę adhibita, morbum minimè curaret, postremò, quòd tum demùm diuitiarum contemptus dignus laude gloriaque sempiterna esset, cùm quis venditis suis omnibus, pretiũ pauperibus largiretur, quemadmodum Iesus adolescenti cuidam dixisset, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Craton adhæc respōdit. Si verè Deus esset magister ipsius, & vellet, quemadmodum dixisset, vendi omnia & erogari pauperibus, faceret ipse Ioannes, vt gemmæ illæ quæ fractæ essent, ad pristinã formam integritatemq; redirent, vt quod ipse aucupandæ auræ popularis causa fecisset, illedíuinæ gloriæ tribueret. Ioannes tum collectis gemmarum fragmentis orauit, & tam integræ, quàm prius fuerant gemmæ extiterunt. Quo miraculo Craton & duo illi adolescentes obstupefacti, crediderunt, vẽditisq; gemmis precium egentibus erogarunt. Idem cùm totam Asiam religione nostra imbueret, à barbaris quos infideles vocamus seditione concitata, in templum Dianæ pertractus est, vt ei immolaret & sacrum faceret. Ipse autem hanc eis conditionem proposuit

posuit, vt si illi Christi templum Dianæ fide implorata tuerterent, ipse Dianæ sacrificaret: sin ipse appellato inuocatoque Christi nomine Dianę templum funditus tolleret, illi Christo crederent. Quæ cum maiori parti placuisset cōditio, egressiq; essent omnes è tēplo, vt primùm Ioannes orare cœpit, & templum corruit, & Dianæ simulachrum comminutum est. Aristodemus autem quidem pontifex erat tum sacerdotum, qui re cognita ita populum concitauit, vt vna pars cum altera prælio decertare constitueret. Quòd cùm moleste ferret Apostolus ad Aristodemū adiit, quæsiuitque ab eo qua tādem ratione ipsius animum ita infestū placare posset. Ille ita demum se & omnē animi iracundiâ ac ferociam depositurum, & Christo quem Deum prædicaret, crediturum pollicitus est, si venenum, quod daturus esset biberet, nec ei quidquam mali afferret. Accepit cōditionem Apostolus, quem vt vidit Aristodemus tanta fiducia prædi tum, quo facilius eum à suscepto consilio deterreret, duobus se daturum esse dixit, qui vt primum bibisēt, necarētur. Ne hoc quidē Ioannē deterruit. Aristodemus ad proconsulē veniens, duos petiuit, qui crimine capitis damnati erāt. Hi cùm pri-

mam venenum biberunt, spiritum ediderunt. Ioannes autē poculo accepto cùm signum crucis expressisset, magno fortique animo cum totum venenum hausisset, nihil mali sensit. Oēs mirari, Deumque laudibus efferre, Aristodemus autem nondum sibi satisfactū esse dixit, nec animo suo satisfieri posse, nisi eos ipsos qui mortui essent, ab inferis excitaret. Tum apostolus ei tunicam suam tradisse dicitur, quam cū Aristodemus accipiens, quereret, cur eā traderet, an eo pacto, ipsum facilius sibi assensurum putaret, ille quo facilius se victum fateretur, acceptam iussit mortuis adhibere, ac dicere se ab Apostolo Christi missum, vt reuiuiscerent. Quæ cùm dixisset, statim surrexerunt. Proconsul & Aristodemus vnà cùm suis omnibus tam inusitatæ rei miraculo impulsi, sacris disciplinę religionisq; nostræ initiati sunt. Non erit alienum hoc loco aliquid commemorabile quod Eusebius ex Clementis Alexandrini libro quodam prolatum, de Ioanne scribit, exponere. Ioannes cum ex Insula Patmos reuocatus esset, rogari solitus erat, vt finitimas etiam ecclesias illustraret. In eo munere cūm esset, ad quandam vrbem venit in qua omnib. peractis solemnib. insti

tutis

tutis, cum adolescētem quēdam bene affecto corpore formaq; elegāti, sed nimis acri ingenio præditū conspicatus esset, eū pontifici eius loci, qui paulò antè institutus fuerat, summo studio cōmendauit, cuius se rei testē & Deū & Ecclesiā habere dixit. Ille omnē se curā diligentiamq; adhibiturū esse promisit, Eadē cum Apostolus sæpe dixisset, Ephesum reuertitur. Pontifex ille adolescētem sibi à tanto apostolo cōmendatū domi suæ educauit, erudiuit, ad extremū etiā salutari aqua exp auit. Tum verò paulò indulgentius & lenius habere adolescētē & tractare cœpit. Quod ille vt intellexit, cum æqualib. versari liberius cœpit, quorum consuetudine corruptus, voluptatisq; illecebris delinitus, nihil priùs habuit, quàm vt virtutes fugeret ac odisset, vitia sequeretur & amaret. Primum quidē eum conuiuiorum epulis, apparatuq; alliciunt, deinde nocturnorū furtorum socium ascisciunt, pòst etiam ad maiora flagitia pertrahunt. postremò eum ita illi instituunt & inficiūt, vt quasi equus freni impatiens, nullum esset facinus tantum, nullumque scelus, quod non & susciperet libenter, & perficeret libentius. Quinetiam se in eo genere certaminis præstitit, vt statim ei dis-

cipulo contigerit omnes magistros longè multumque superare. Quid multa? Eis auctor est, vt siue sicariorum, siue prædonum ex se manum instituerent, cuius ducem se ac antesignanũ fore profiteretur. Interea Ioannes rogatur vt ad illam ipsam vrbem veniret. Ad eam vt venit, compositis confectisque rebus omnibus, quarum causa accersitus erat, pontificem adit, ab eoque repetit pignus quod apud illum deposuisset. Ille qui pecuniam à se repeti quam non accepisset, existimaret, primùm mirari, deinde cum Ioannẽ eiusmodi putaret, qui nec fallere sciret, nec quærere vellet, quod non tradidisset, stupore quodã hærere. Ioannes, qui illũ hærentem animaduerteret, reposcere se dicit eum adolescentem, quem non ita pridem illi maximo studio commendasset. Senex tum lachrymis profusis, cum mortuũ esse dixit, quo aũt mortis genere, cũ rogaretur, Deo mortuũ esse respondit, sceleratum enim & facinorosum euasisse. Eum latronũ, & sicariorũ ducẽ cum illis montem quendam occupasse. Eo nuncio ita perturbatus Apostolus fuisse dicitur, vt lacerata veste, percussoque capite cum ingenti gemitu ei dixerit. O bonum animi tratris custodem. Statimque sibi equũ sterni, &

ni & ducem itineris dari iussit. Conscenso equo, ad montem properare cœpit. Eo cum peruenisset, prædones qui in insidijs erant, eum occupāt. Ille cum nec elabi ex eorum manibus, nec vsquam diuertere niteretur, magna tantum voce clamare cœpit, se de industria eo venisse tantum ad se ducem suum adducerent. Veniebat iam armatus ad certam vt sperabat prædam cum eminus agnito Ioanne, pudore prohibitus non est ausus accedere, sed quanta potuit celeritate, fugere cœpit, quem Apostolus subditis equo calcaribus, fugientem secutus, à tergo quærebat, quid fugeret conspectum patris filius, cur inermem senem armatus iuuenis, hinc bono animo eum esse iubet, spem ei magna reliquam etiam esse dicit: se præterea rationem illius redditurum, & mortem pro illo libenter subiturum, quemadmodum pro nobis eā Deus pertulisset. Itaque tātum insisteret, & crederet, se enim missum esse à Deo. Restitit ille tandem, vultuq3 demisso, primū arma abiecit, deinde ingentē vim lachrymarū profundere cœpit, postremo se ad pedes accedentis ad se apostoli misit: magno gemitu, suspirijs, lachrymis deniq3 veniam precatur, cum interea dextram, qua multos se interfe-

cisse reputabat, occuleret. Apostolus iurisiurandi sacramento veniam se à DEO impetraturum pollicetur, prouolutusque eius pedibus, dextrã quam ille cædis conscientia quæ eum angebat, & torquebat, occulebat, osculans quasi pœnitẽtia iam expiatus esset, ad ecclesiã eum reuocat, & reducit. Tum verò crebris ieiunijs, precibusque vnà cũ eo susceptis & seruatis, veniã quam ei pollicitus erat à Domino impetrare conatus est, admixtis interim crebris sermonibus consolandi causa, quibus eius efferatos mores leniebat: nec antè destitit, quàm eũ omnino pænitentia mutatum, & correctum, ecclesiæ præficeret. Hoc Ioãnes facto suo docuit, quantæ curæ sibi esset peccatoris salus. Vt aũt beneuoientiam peccatoribus quanuis penè, vt ita dicam, desperatis ac comploratis præbebat. sic eis, qui Christianam religionem fidemque pertinaciter oppugnabãt, ita resistebat & aduersabatur, vt rei nullius cũ eis societate coniungi vellet. Id quod Irenæus libri tertij tertio capite, vna in re tradidit, ex qua de cæteris coniecturam facere possumus. Scribit enim fuisse etiam tum, cum libros qui aduersus hæreses inscripti sunt, componeret, qui se à Policarpo Ioannis huius discipulo audiuisse di-

sedicerent, cum Ioannes ipse Ephesi ad balneas lauandi causa veniens Cerinthũ hæreticum animaduertisset, eum re infecta: quàm primùm discessisse, quòd vereri sediceret, ne balneæ, in quibus Cerinthus veritatis hostis esset concidere̅t. Idem eodem & libro & capite ecclesiam Ephesinam à Paulo fundatam esse tradit. Ioannemque in ea vrbe & ecclesia vsque ad Traiani tempora remansisse. Eundemq; scribit eiusdem libri capite primo, extremo Euangelium suum tum scripsisse, cùm Ephesi esset. Quanquam Dorotheus in ea est sententia, vt dicat Euãgelium ab eo in Patmo insula scriptum esse, & per Caium Ephesi ab illo editum. Quæ autem ei causa Euangelij scribendi post Matthæum, Marcum & Lucam fuerit, docet Hieronymus. Ait enim eum scripsisse, vel quòd iam ortæ essent hæreses Cerinthiorum, & maximè Ebionitarũ qui Iesum ante Mariam non fuisse assererent, ob eamque causam à diuinitate coactum fuisse capere exordium, vel quòd cùm trium quorum modo mentionem feci, Euãgelia euoluisset, probarit illa quidẽ, sed cum vnius tantum anni Christi res gestas, in quo etiam mortem perpessus esset, expositas ab illis offendisset, ea sibi quæ ille superioribus duo-

bus gessisset exponenda, commemoranda q̃ censuisset. Scripsit etiam tres epistolas, primam ad omnes Ecclesias, alteram ad quandam mulierem, quam dominam etiam vocat, & ad eius liberos, tertiam ad Caium. Eas Ecclesia vniuersa probauit. Ioanniq̃ue Apostolo attribuit. De vitæ quam longissimã sanctissimamq̃ traduxit, diuturnitate, id est, quandiu vixerit, varia traduntur. Dorotheus quidem eum annos centum & viginti expleuisse scribit Communis nunc opinio est, eum nouem, & nonaginta vixisse. Nã ex eo quod Hieronymus tradit, eum octauo & sexagesimo post Christi mortem anno excessisse è vita, longam eius ætatem fuisse intelligimus: quàm verò longa fuerit, planè non intelligimus, nisi quod minimum ad centesimum ferè peruenerit Neque enim eum Christus tũ, cum puer esset, delegit, sed maiorem viginti annis. De morte autẽ eius hoc ab ecclesia traditum accepimus, palàm enim ac publicè in templis ante mille annos, quantum ex librorum antiquitate intelligi licet, canitur Is ergò paulò antè diem festum paschæ octauo & sexagesimo à CHRISTI morte anno, vt Hieronymo placet, Christum vnà cum condiscipulis visus est videre, aut vidit

potius

potius inuitantem ipsum ad conuiuium suũ, cui iam condiscipuli adhibiti essent. Quem vt vidit & auditiuit, passis manibus primum ei gratias egit quòd ad se venisset, quem scuret maximo sui desiderio tenerit: deinde eum obnixe rogauit, vt se ad epulas & conuiuium suum transferret, vt esset cum condiscipulis suis, cum quibus ipsum inuisisset. Tum ei Christus pollicitus esse dicitur se ad diem festum paschæ, qui ad paucos dies futurus esset, esse venturum. Itaque ad eum se ipse compararet, terramque defodiendam curaret, in qua se ipse cõponeret, & inhumaret. Itaque Dorotheus ait Ephesi eum se ipsum Dei voluntati ac præcepto parentem sepelisse. Hieronymus autem eum ad vrbem sepultum esse scribit. Quo autem modo, congruenter ijs quæ de Ecclesia paulò ante dixi, exponam. Die igitur constituto prascriptoq; à Christo, omnes eos qui sacerdotum ordinem explebant, conuocasse atque in specum se abiecisse dicitur, ac ac præcepisse, quemadmodum Gregorio Turonensi põtifici, qui mille ferè ab hinc annis fuit, placet, vt se circunstãtes humo contegerent. Quod cum factum esset, tantum ibi lumen repente extitisse dicitur, vt nihil præ eo omnes qui aderant, cernere

possent. Eo autem subtracto ferunt cùm in fossa quidnam reliqui esset scrutati essent, eos mannam tantùm farinæ candorem imitantem reperisse: eamque ex sepulcro illius sua etiam memoria manare solitam idem Gregorius scribit, quæ eam vim haberet, vt per vniuersum orbem lõgè lateque deportata, medicinam ægrorũ morbis afferret. Idemque auctor est, in cuiusdam montis, vrbi proximi cacumine, quatuor parietes sua etiam memoria extitisse, intra quos ille semper populi peccatis Deum placare solitus esset. Quin etiam cùm ad Euangelium scribendum eum delegisset locum, & illum petisse, vt nullus eò è cælo imber, quoad opus institutum absoluisset, descenderet. & miraculũ illud ad suam etiam ætatem perseuerasse scribit. Augustinus autem explanans illius librum extremum, qui Euangelium inscribitur, commemorat, ætate sua famam constantem fuisse, in sepulcro eius terram sensim scaturire, & quasi ebullire solitam, quod quamobrem fiat, non audet certum aliquid pronunciare.

VITA

VITA BEATI MATTHAEI APOSTOLI, IOACHIMO PERIONIO BEnedictino Cormœriacenoauctore.

MAtthæus publicanus, cui & Levi, quemadmodũ Marcus & Lucas commemorant, nomen fuit, Alphæi, vt ait Lucas, fuit filius. Is primũ ex communi discipulorum numero fuit, deinde ex eo à Christo ad Apostolicam dignitatem honoremq́ne euectus. In numerum quidem discipulorum ascriptus fuit hoc modo. Cum ipse publicanus, vt dixi, esset, publicanorumq́ue munus exequeretur, eum Christus, vt se sectaretur, hortatus est, quod ille non grauate ilicò fecit, introduxitq́ue domum suam Christum, vbi ei adhibitis multis publicanis alijsque hominibus quorum de vita Pharisæi malè existimarẽt, conuiuiũ apparauit. Quod cùm Pharisæi, qui Christi facta calumniandi causa obseruabant, animaduertissent, illud ei vt probrum obijcere cœperunt, quod cum publicanis peccatoribusque versaretur. At ille, eam illorum calumniam ita vel illusit, vel diluit, vt diceret, non valentibus medico opus esse, sed

se, sed ægris. Atque hoc quidem modo se Matthæus in Christi disciplinam tradidit A. postolorum autem duodecim numerus nō ita sensim auctus & expletus fuit, sed duodecim, quorum est Matthæus, simul ex communi discipulorum numero delecti atque adeo selecti tum fuerunt. Luca teste: cùm Christus nocte in oratione in monte quodam consumpta, mane ad se omnes accersiuit. Non est quod hoc loco dicam, Matthæum ex quo Christum secutus sit, nunquam ab illo discessisse, testemque ac spectatorem eius miraculorum, totius vitæ etiam imitatorem, socium itineris ac laborum, curarum, angorum participem fuisse, hæc enim ei sunt cum cæteris communia. Itaque ad ea quæ ad eum propriè pertinēt, festinat oratio. Cùm illud tempus venisset, quo CHRIstus suos omnes, atque in his maximè duodecim vniuersum orbem peragrare docendi euangelij causa voluit, diuisis inter se ex præscripto afflatuque Spiritus prouincijs, Aethiopia Matthæo obtigisse dicitur. Huc ille primò quoq; tempore venit, ac primum in vrbe & maxima nobilissima commoratus est, in qua magi duo Zaroes & Arphaxat falsis quibusdam in. nibusque editis op ribus, in eam

sui.

sui admirationem Aegyptum regem cum populo excitauerunt, vt eos deos esse crederent. Matthæus autem primò suo aduentu, eorum præstigias fraudesque aperuit atque refellit. Nam & eis quos & illi excæcasse videbantur aspectum, & surdis auditum, restituebat. Angues quos in homines ita concitabāt, vt grauissima vulnera infligere viderētur, expellebat, vulneraque curabat. Erat tum in eadem vrbe Candaces Eunuchus reginæ, qui à Philippo baptizatus fuisse in Actis apostolicis dicitur. Is cum Matthæum hæc omnia facere animaduertisset, prouoluit se ad eius pedes, Deumque laudauit, qui misertus esset populi sui, quem cum magi in errorem induxissent, ipse per Apostolum suum ab errore ad rectam vitam reuocauisset. Recepitque eum domum suam, quò amici illius ac necessarij confluere cœperunt, auditoque vitæ verbo, crediderunt, salutarique aqua expiati sunt. Plures enim partim miraculis non ijs modò quæ paulò ante commemoraui, sed nouis alijs quæ maxime in ægrorum curatione versabantur, adducti, partim singulari illius eloquētia, religionem disciplinamque nostram comprobarunt. Itaque Candaces Eunuchus ille, tot linguarum

rum in ea cognitionem admiratus rogare eum cœpit, vt exponere vellet, qui fieri posset, vt ille cum Hebræus esset, tamen tam plenè linguam Græcam, Aegyptiacam, Aethiopicamq; nosset, vt earum homines ipsi concederent. Tum Matthæus homines inquit, quoniam principio generis sui, vno sermone omnes vsos fuisse, eorumque arrogantiam fecisse, vt vnus in multos eosque dissimiles sit, variosque diuisus. Arrogantiam autem fuisse eiusmodi, vt turrim communi consilio ædificarent, cuius fastigium cælum pertingeret. Quod cum Deus animaduerteret, cum tantam linguarum sermonumq; varietatem repentè eis admiscuisse, vt quidquisq; diceret, aut vellet, nemo homo alius nec ipse intelligeret, nec alij explicare possent. Hoc linguarum multitudinem initium habuisse, hoc quasi supplicio hominum temeritatem & audaciam tantam retardatam ac repressam fuisse. Neque enim hanc viam esse quæ recta ad cælum ferret, sed eam quam Christus DEI filius in mundum veniens ostendisset. Eum enim decimo quam in cælum ascendisset die, misisse ad ipsum & condiscipulos Spiritum sanctum, quo afflati variis linguis apud homines, qui tum Hie-

rosolymam ex omnibus penè imperijs conuenerant. Christi virtutes beneficiaque in genus hominum prædicassent. Se enim & ratiōem qua humanam naturam ille assumpsisset, exposuisse, & eum natū ex matre virgine, ab eadem educatum, cum triginta annos natus esset, baptizatum, inde tentatum à diabolo, denique in crucem actum narrasse, tertio inde die ab inferis mortuisque excitatum, quadragesimoque ipsis spectantibus vi sua cælos conscendisse, eum ibi à dextra patris sedere, vnde esset tandem aliquando venturus, vt homines pro suis quenque meritis iudicet. Non igitur se istas tantum quatuor linguas, sicuti putaret, nosse, sed omnes omnium gentium quascunque adirent. Nunc ergo turrim ædificari, non lapidibus, sed Christi virtutibus. Omnibus qui Patris, & Filij & Spiritus sancti nomine baptizarētur, aditum ad turrim quam CHRISTVS ædificauisset patere, vnde facilis in cælum ascensus ostenderetur. Hæc atque talia cum mystico sermone Matthæus differeret, venit qui nunciaret magos duos aduentare cum singulis draconibus, qui ore flammas redderent, naribus auras sulphureas spargerēt, quarum odor deterrimus homines enecaret,

Matthæ-

Matthæus statim signo crucis intentato, egredi cœpit: quem cum Candaces Eunuchus prohiberet, admoneretque vt sibi potius consuleret, atque è specula tutò feras conspicaretur. Tu verò, inquit, qui times, in specula consiste, ego qui nihil timeo, in publicum prodeo. Vix dicendi finem fecerat, cum apertis foribus dracones atque magos qui eos sequebantur conspicit, Feræ autem vt primum Matthæum animaduerterunt, ad pedes illius cubantes somno se ac quieti dederunt. Tum Apostolus per ridiculum magis. Vbi est, inquit, ars vestra? Excitate eos si potestis. Equidem si CHRISTVM dominum non rogassem, furor quem in me concitauistis in vos omnis retortus recidisset. Cumque illi arte aliqua dracones expergefacere conarentur diuque tentantes nihil proficerent. Matthæus hoc artis earum esse negauit, hoc se facile posse facere, dixit: eosq; ita præceptis suis parituros, vt deposita iracundia, eiectoque furore quàm primùm ad lustra sua redirent. Hoc populus orare, hoc precari, vt se à bestiarum furore quem expertus esset, liberaret. Tum Matthæus Christi nomine qui ex Spiritu sancto natus esset, ac Maria virgine, quēque Iudas Apostolus Pharisæorum libi-

dini

dini dedidisset, quem illi postea cruci suf fixissent, qui sepultus tertio die quàm mortuus esset, excitatus esset ab inferis & mortuis, qui cum discipulis quadraginta diebus versatus esset, eisque omnia quæ antè mortem dixerat, commemorasset, qui denique quadragesimo quàm excitatus fuisset à mortuis, die, ad cælos conscendisset, vnde aliquando rediret, vt viuos mortuosque iudicet, Spiritum Dei adiurasse dicitur, vt dracones excitaret, excitatos iuberet ita repetere sua lustra vt nihil cuiquam mali ac dettimenti afferrent. Cum his verbis repentè feræ discesserunt, nec ex eo tempore à quoquam visi sunt. Tum hortari eos qui circunstabant, cœpit, vt à dracone diabolo liberari vellent, se enim à DEO salutis eorum causa missum esse, vt relicta idolorum superstitione, se ad veram vnius Dei religionem conuerterent, qui omnia creasset. Deum enim hominem quem primum condidisset, vnà cum vxore quam ex illius costa finxisset, in paradiso collocasse. Paradisum autem quæ altissimos montes superaret, cæloque vicina esset, locum amœnum esse: in eo nec senectuti, nec morbo, nec his miserijs, calamitatibus & malis quę sentiamus locum esse,

omnia

omnia iucunda illic ostendi, grata omnia & ex animi sententia euenire. Addidit hoc etiam, cùm primi illi homines in tam amœno loco à DEO collocati fuissent, diabolum tãta in eos statim inuidia exarsisse, propter Dei imaginẽ & similitudinẽ quam in eis cerneret, vt serpentis anguisque specie, ad mulierem accedẽs, nunquã eam destiterit vel diuinitatis quã illis promitteret, specie illicere, quoad persuasisset, vt fructũ à Deo pœna capitis vetitum comederet, quod etiam Adamus ab vxore pellectus & deceptus fecisset. Quæ cùm Deus animaduertisset, illos primos homines ab eo ex loco perpetuæ iucundæq; vitæ, in hũc calamitatis miseriæque plenũ expulsos esse supplicij causa. Non tamen eos, eorumque posteros à Deo neglectos esse, sed tam charos habitos, vt ad extremum DEI filius pro singulari eximiaque erga nos benignitate, homo fieri diuinitate retenta, minime dubitauisset. Natum enim eum esse ex Maria virgine, cum Spiritus sancti virtute conceptus esset, sicuti angelus ei prædixerat fore, vt virginalis in ea castimonia quam DEO vouisset, salua permaneret. Idque multò ante, à Salomone prædictum fuisse, cùm diceret: Sapientiam Dei, id est Dei filium,

sibi

sibi domum ædificasse. Hoc etiam consentaneum fuisse, vt quemadmodum Adamus fictus compositusque fuisset ex terra, quæ virgo esset, cum nec peccato cōtaminata, nec sanguinis effusione polluta, nec mortui vllius sepultura inquinata ante fuisset, sic Dei filius qui Adamū restituere ac redimere voluisset, ex virgine nasceretur. Atque vt ille à diabolo cōtra Dei p̄ceptum vescēdo victus fuisset, ita hic ieiunando diabolum vinceret. Quin etiam superatum eum esse à illo patientia, quādo ad flagra, ac colaphos, ad sputa, ad coronam spineā, deniq; ad crucē voluerit peruenire, vicisse mortē oppetēdo, vt cælos nobis resurgendo apariret cū nemini dubiū esse deberet, quin animi sanctorum ex corporibus excedentes illuc conuolarēt. Extrema eius oratio fuit, qui vellet, à morte iam ad vitam redire, & ad paradisum, vnde Adamus parens noster eiectus, hic nos procreauerit. Aperuisse nobis Christū paradisi portas, vt ad patriam reuertamur, in qua mors nihil possit, in qua nullus miseriæ locus sit, nullus mœrori, sed lætitia & gaudium, quod nulla tempora nec tollere, nec obruere possint. Cum hæc alia q; eiusdem generis Matthęus peroraret, repente tumultus quidam

tristi-

tristitia luctuque plenus exortus est. Efferebatur enim cum gemitu omnium Regis filius, ad cuius funus cum ingenti multitudine duo quoque magi illi conuenerant. Qui cum illum ab inferis excitare frustra conati essent, suadere Regi cœperunt, vt filium qui ad Deorum concilium raptus esset, in Deorum numero poneret, eique templum ædificandum curaret, in quo illius statua poneretur. Quod cum Candaces Eunuchus intellexisset, ad reginam adiens, ei suasit, vt magos in custodiam traderet, Matthæumque accerseret, qui si filium mortuum à mortuis excitaret, magos quorum sceleribus mala omnia in ciuitate euenirent, viuos exuri iuberet. Accersitur Matthæus, cum honore introducitur, Euphinisia regina supplex eum rogare, vt filium suum excitaret. Se enim credere illum à Deo salutis hominum causa missum esse, eiusque esse discipulum, qui & mortuis vitam restituisset, & ab omnibus suo imperio morbos omnes depulisset. Itaque sibi non esse dubium, quin si illius nomen appellauisset, filius mortuus reuiuisceret. Apostolus fidem Reginæ admiratus, hæc ei dixisse fertur. Eam profiteri se credere, quæ nondum ex ipsius ore verbum illum audiuis-

diuisset. Itaque hoc sibi persuaderet, excitatum iri filium ab inferis. Cumque in cęlum manus tendisset, DEVS: inquit, Abraham, Deus Isaac & Iacòb, qui in mundum salutis nostræ causa filium tuum vnigenitum misisti, vt & nos ab errore abduceret, & te nobis Deum verum ostenderet, rogo te ac deprecor, vt hunc excites, vt hi Deum præter te præpotentem esse nullum credant, & quæ dixi vera esse intelligant. Cumque hæc peroraſſet, manum mortui comprehendit, cum his verbis Domini mei IESV Christi qui cruci suffixus est, nomine, Euphrono (erat enim hoc nomen regis filio reuiuisce, & surge, statimq; reuixit, cum summa patris regis & voluntate, & admiratione. Itaq; confestim coronas & purpuram ei deferri iussit, præconesque misit, qui ex toto imperio suos accerserent, vt Deum in hominū specie ac figura latentem cernerent. Fit concursus hominum innumerabilium, qui cum cereos, & lampadas deferrent, thurque incēdere vellēt, adhibito vario sacrificiorum genere, tum Matthæus ne id facerent prohibuit: se enim non Deum esse, sed Domini sui Iesu Christi seruum, à quo missus esset, vt ipsi relicta simulacrorum, quæ colerēt, superstitione & ertore,

rore, ad veri Dei cultum religionemque uocarētur. Qui si ipsum hominem eis similem Deum esse crederent, quantò magis eum Deum esse credere deberent, cuius se ipse seruum esse prædicaret? cuius etiam nomine regis filium excitasset ab inferis? Itaq; cū hæc ipsi ratione atq; animo vera esse perciperent, aurū & argentum coronasque aureas è cōspectu ipsius tollerent, templūq; Deo vero ædificarēt, in quod ad Dei verbum audiendum conuenirent Hæc illius verba vt Dei oraculum accipientes, tantum architectorum operariorumque numerum adhibuisse dicuntur, vt intra dies triginta opus perfectum absolutumque sit. Templo autē nomen, vt ita dicam, Resurrectionis imposuit, propterea quòd filij regis excitatio ei ædificando occasionem attulisset, tres & viginti annos, illic præfuisse, atq; presbyteros & diaconos instituisse, ciuitatibusque episcopos præposuisse, & complura templa fundasse dicitur. Salutari etiam aqua & Aegyppum regem expiauit, & Euphinisiam reginam, & Euphronomum quem excitauit, & Iphigeniam eorum filiam, quæ vt mox dicetur ab eodem CHRISTO dicata virgo permansit. Quoniam autem longum est exponere.

quot

quot cæcis aspectum reddiderit, quod le-
prosos curauerit, quot paralysi liberaue-
rit,, quot denique à mortuis excitauerit,
quam religiosus Aegippus rex fuerit,
quam proba eius vxor regina, hic quam
ob causam, quoque modo mortem pro
CHRISTO obierit, narrari melius est.
Aegippus quidem, cùm admodum senex
in sancto proposito permanens, excessis-
set è vita, Hirtarchus regnum adeptus est,
Is Iphigeniam Aegippi filiam in matri-
monium accipere cupiebat, idque se facilè
ab Apostolo impetraturum esse sperabat: quanquam enim eam non solùm
CHRISTO consecratam videbat, ve-
rumetiam iam amplius ducentis virgi-
nibus præpositam, tamen eius animum
facile Matthæi auctoritate commoue
ri abducique posse existimabat. Itaque
hac spe fiduciaque fretus Apostolum
adijt, eique dimidium regni pollicitus
est, si ad hoc virgineum animum induxis-
set. Hoc illi Apostolus primùm nec pla-
nè concessit, neque denegauit, sed
eum tantùm admonuit, vt consuetudi-
nem Aegippi seruans, qui omni sabba-
to eò conueniret, vbi verbum DEI præ-
dicaret, ipsæ virgines omnes quæ cum
Iphigenia essent conuocarent tum illum
audi-

auditurum, quod coniugium laudibus ornaret, ipsumque Deo gratum acceptũque esse doceret. Omnes cùm conuenissent, Matthæus hortatus est, vt & attentè audirent, quæ dicturus esset, & memoria, quæ iam audissent, tenerent. Hirtarchus, qui hæc Apostolum dicere arbitraretur, vt Iphigeniæ animum ad ea quæ de coniugio quod initura esset, præpararet, laudibus eum efferre cœpit, de ijsq; rebus cum eis quos secum adduxerat, communicabat. Facta rursus audientia, ita Apostolus exorsus est: Videret illi, quàm longè oratio progressa esset, vt etiam cædem rectè fieri posse doceret, cùm is occiditur, qui si ipse solus interfectus non esset, multos innocentes occideret. Sic Goliam occisum esse, sic Sisaram, sic Amanum, sic Holofernem, sic denique interfectis esse, qui eorum sedibus ac regnis insidias parassent. Itaque coniugia etiam dum inirentur, præclaris honestisque actionibus & officijs ornari, si iustè, si legitimè, si sanctè, si integrè inirentur. Quod si sponsam regis eius seruus vsurpare audeat, is non solùm peccare, sed etiam tam graue scelus admittere dicitur, vt quàm primùm viuus exuratur, non quòd cõiugium omnino ineat, sed quia regis aut domini sui

vxo-

vxorem vsurpet. Sic Hirtarchus rex (ad eum autem orationem conuertisse dicitur) cùm Iphigenia regis cui successisset filiam sciret. Regisque cælorum sponsam, & sacro velamine consecratam, quo tandem modo posset potentiori ereptam, in matrimonio ducere? Hirtarchus qui adhuc Apostoli verba omnia laudauisset, tũ iracundiæ facibus concitatus, discedisse dicitur. Ipse verò multò alacrior cœptum sermonẽ persecutus est, cùm cæreros ad audiendũ non minus quàm anteà paratos vidisset, Regem dixit, qui in orbe terrarũ dominatũ in alios teneret, haud diuturnum imperium tenere posse. Regis autem qui cælis præesset, æternum esse dominatum & imperium. Eundẽque vt lætitia gaudioque maximo eos qui ipsi fidem seruant, perfundit, & afficit, ita eos acerrimis supplicijs afficere, qui ab illius fide deficerent. Quòd si regis ira & furor pertimescendus esset quid de Deo existimare deberent? præsertim cum hominis ira siue tormentis, siue ignibus, siue ferro & sanguine satietur, ad quoddam tempus duret, diuina autem vltio sempiterni ignis in scelestos supplicium statuerit? Itaque Donminum nostrum Iesum Christum suis præcepisse, cùm in conspectum

regum processisset, ne eos timerent qui cùm verberauissent & interfecissent, nihil quod pręterea facerent, haberent: eum metuerent potius, qui cùm occidisset, & perdere posset, & in gehennam mittere. Iphigenia tum spectante populo se ad pedes Apostoli misit, orauitque eum eius nomine cuius Apostolus esset, vt sibi socijsque virginibus omnibus, quæ domino ipsius sermone consecratæ essent, manus imponeret, quò facilius minas regis possent contemnere. Ille eius precibus deductus, Christique, præsidio ac spe fretus contempto regis odio, velum omnium capitibus apposuisse dicitur. Deumque orasse, vt illas famulas suas, quas ex omni numero bonus pastor ad seruãdam ornandamque perpetuæ virginitatis castimoniã elegisset, ipse custodiret, atq; tueretur, & ad omnia virtutũ munera & officia duce sapientia ita excitaret atque præpararet, vt victis carnis illecebris, coniugijsque non legitimis repudiatis, vinculo quod res nùlla soluere posset, cum Christo colligarentur. Hæc atque alia eiusdem generis cùm Apostolus virginibus illis bene precatus esset, missæ sacro peracto, ad aram in qua Christi corpus confecerat, reuersus est: ibi cùm passis mani-

manibus precaretur, eum lictor ab Hirtarcho rege missus, securi percussit. Quod vt populus accepit, statim ad palatium cum igne proficisci cœpit, vt ligna & sarmenta circundaret, ignemque subijceret, quo incendio totum deflagraret. Obuiam fiunt populo furenti sacerdotes omnes ac clerici, qui hortati sunt ne id facerent, quod voluntatem diuinā offenderet. Petrum enim apostolum cùm districto gladio Malchi cuiusdam auriculam præcidisset, à Christo ne par pari referre videretur, obiurgatum esse, atque auriculam suo loco integram sine vllo doloris sensu restitutam. Itaque Apostoli martyrium lætis animis celebraret, & quid DEVS constitueret, expectaret. Iphigenia autem CHRISTI virgo, quicquid auri & argenti & gemmarum habuit, id cùm ad sacerdotes attulisset, ea omnia se ita conferre dixit, vt cùm dignum CHRISTI Apostolo templum ædificassent, quod reliquum esset, egentibus erogarent. Sibique dixit certamen remque cum Hirtarcho fore. Quod non ita multò post accidit. Hirtarchus enim omnium nobilium vxores ad eam proficisci iussit, quòd earum siue precibus, siue cohortationibus illam flecti adduci-

que posse speraret, vt ipsi in matrimonio collocaretur. Quò cùm illa nullo modo deduci posset, magos conuocat, qui eam dæmonum præsidio vsi raperent. Sed nihil ars eorum potuit. Itaque alia via rem aggreditur. Incendere constituit locum in quo Iphigenia vnà cum cæteris virginibus die noctuque DEO seruiebat. Nec verò subiecti ignes nocere potuerũt, flammaque circum domum tantùm apparuit. Quin etiam angelus vnà cùm Matthæo visus esse dicitur, qui Iphigeniam bono animo esse iuberet, nec ignem timere, qui in eum à quo paratus erat, redundaturus esset. Vix angelus finem dicendi fecerat, cum ventus ortus est qui suo impetu flammam à domo virginis ad regis palatium transtulit, vt consumptis omnibus ipse cum filio quem vnum habebat, ægre potuerit euadere. Quanquam multò illud supplicium leuius ei accidisset, quàm quo affectus est. Nam & in illius filium cacodæmon inuasit, atque intrauit, cuius impulsu, cum ad Apostoli sepulcrum magno impetu cucurrisset, manibus à tergo vinctis, eum paterna crimina & scelera cogebat confiteri: & ipsum elephantia totum infecit, quem morbum cum medici adhibiti curare non posset,

sent, ipse vi morbi coactus, in gladium incubuit. Quod vt resciuit populus, magnā ex morte illius cœpit voluptatem, fratremq; Iphigenię, Beiorium nomine, qui sororis opera à Matthæo aqua salutari expiatus erat, regalem potestatem administrare voluit. Is cum quinque & viginti annos natus regnare cœpisset, ad tres & sexaginta imperium prorogauit. Duobusque susceptis liberis, vnum exercitui præfecit, alterum regni hæredem instituit. Ita pace in Ecclesia Aethiopiæ constituta, Respublica Christiana illic Matthæi meritis ac precibus amplificata est. Scripsit Euangelium, quod eius nomine circunfertur, Hebraico sermone, vt ait Hieronymus, quod incertum est quisnam posteà in Græcum connertit.

BEATI BARTHOLOMAEI APOSTOLI VITA, IOACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriaceno auctore,

(.·.)

BArtholomæus primum Christi discipulus, deinde apostolus fuit. Ei India (neque enim in libris qui noui Te-

tui Testamenti nomine inscripti sunt aliud de eo scriptum est) ei inquam India prouincia, quæ orbis finis & terminus est, obtigit, in quam vt venit, templum quoddam ingressus est, in quo Idolum & simulacrum quod incolæ Astarotum nuncupabant, erat eiusmodi, vt se homines quouis morbo afflictatos curaturum profiteretur. Sed curatio quam adhibebat, non vera erat, sed quædam eius quæ homines captabat, simulatio. Neque enim quenquam curabat, sed cùm eos quos in morbum coniecisset, torquere & excruciare desineret, hominibus hoc ipso curare videbatur. Primo autem Bartholomæi aduentu simulacrum, aut potius dæmon qui in eo latebat, nec responsa dare, nec cuiquam ex ijs quos in morbum coniecisset, subuenire poterat. Itaque cùm indies maior ægrorum multitudo in templum curationis causa conflueret, quorum nemo vlla ratione remedium inueniret, coacti sunt sacerdotes ad proximum oppidum venire, atque à DEO qui ibi colebatur, quærere, cur Deus quem ipsi colerent, iam responsum nullum daret. Respondet Beritus (hoc enim Deo nomen erat) ob eam causam illum iam loqui non posse, quod ibi esset

Bar-

Bartholomæus Dei Apostolus. Cumq; rogarẽt quisnam ille esset, & qua ex re eum possent internoscere. Amicũ veri Dei eũ esse ait. ob eamq; causam venisse in illam prouinciam, vt omnia deorũ numina euerteret, eius barbã prolixam esse paucis iam canis distinctã, nigrũ capillitium, carnem candidã, nares iustas, staturã iustam, pallium album. Sex & viginti annis, vestem eius nec sordes contraxisse, nec sensisse vetustatis iniurias. Centies interdiu totiesque noctu flexis genibus ab eo Deum verum rogari. Se ab eis petere, vt eum cùm inuenissent, rogarent, ne eo migrans eodem supplicil genere se afficeret, quo in Astarotum collegam ipsius animaduertisset Illi cùm Deus conticuisset, redierũt, cumque magna cum diligentia Apostolum quærerent inter peregrinos, fortè quidam quem dæmon agitabat, magno clamore Bartholomæum nomine appellare cœpit, ac palam dicere, se illius precibus incendi, quod cum apostolus audisset, imperauisset que vt & obtumesceret, & abiret, statim & obtemperauit ille, & homo curatus est. Erat tum in ea prouincia Polimius rex, qui cum à Bartholomeo ex corpore huius hominis cacodæmonem expulsum esse auditione accepisset,

filiam quam dæmon torquebat ad eum misit, rogans, vt quemadmodū Eustium (ei enim homini quem curauerat, hoc nomen fuit) ab eo morbi genere liberasset, sic filiæ quam charissimam haberet, subueniret. Virgo autem ita à malo genio agitabatur, vt præ dolore omnes morderet, & quos arripere poterat, discerperet. Itaque catenis vincta ad apostolum adducta est, quam vt vidit eam solui iussit. Ministri hoc se facturos pernegarunt, quod nemo ad eam accedere, nemo eam attingere auderet. Eos ille primum obiurgat quòd eum hostem qui in virgine esset, vinctum & constrictum teneret, ipsi eam etiam timerent: deinde eis imperat, vt ad eam accederent, eamq; soluerent, ac abluerent, & postridiè prima luce ad se introferrent. Illi cum dicto audientes fuissent, dæmon ita expulsus eiectusque est, vt eam postea nunquam agitauerit, Rex ne tanto beneficio accepto immemor ingratusque videretur, ei camelos auro, argento, gemmis, vestibusque onustos muneri misit, quæ omnia cum apostolus diligenter quæsitus, inueniri minimè potuisset, reportata sunt in palatium. Postridiè prima luce occlusis foribus apostolus in regis cubiculum cùm solus esset, intrasse dici-

dicitur, eique dixisse, frustra se ab eo cum auro, & argento quæsitum esse, cùm ea omnia illi requirant, & desiderent, qui terrena sapiant, & quærant, cuiusmodi nihil ipse requireret. Itaque se hoc sibi ipse persuadere velle, Dei filium nasci voluisse ex virgine, cuius initium ante orbem conditum à Deo patre esset, quique naturis omnibus tam ijs quæ cernerētur, quàm ijs quæ aciem oculorum effugerēt, principium dedisset. Virginem autem eam, ex qua natus esset, omnem viri concubitum declinasse ac repudiasse semper, primamque omnium DEO virginitatis votum nuncupasse. Ad eandem missum à Deo Gabrielem Archangelum in cubiculum quod occlusum esset venisse, eumque cùm illam metu perculsam cerneret, hortatum esse ne timeret, quòd ipsa à Deo gratiam inijsset tantam, tamque ei grata esset, vt filium & conceptura & paritura esset, quem Iesum vocaret, quique filius summi Dei diceretur. Illa verò iam metu deposito constanter rogasse, quid fieret, cùm Deo virginitatem castimoniamque vouisset, ad eaque angelum respondisse. Spiritus sancti illam munere & opere non viri semine concepturam esse atque parituram. Itaque quod

ſanctum ex ea naſceretur, id Dei filij vocatum iri nomine]. Hæc etiam Bartholomæus Polimio regi patefecit, hunc Dei filium cùm natus eſſet, ſe triginta annos natum, paſſum eſſe tentari à Diabolo eo, qui primum hominem viciſſet, cùm ei auctor fuiſſet, vt fructum quem Deus vetuiſſet, ederet. Itaq; eum ad ſe accedere propterea paſſum eſſe, vt quemadmodũ Adamo, id eſt primo homini per mulierem ſuaſiſſet, vt veſceretur, & comedit, ob eamque cauſam ex paradiſo in hunc mundum exilij ſupplicijque cauſa expulſus, omne hominum genus propagauit & genuit: ſic huic cùm ſuaſiſſet, vt lapides quos oſtenderet, in panes, ſi filius Dei eſſet, conuerteret, & ederet, victoriam qua potitus eſſet, ieiunantis virtute conſtantiaque amitteret, cùm ei reſpnodiſſet. Non ſolo pane hominem, ſed omni etiam verbo quod ex Dei ore exiret, viuere. Aequum enim fuiſſe, eum à virginis filio vinci, qui filium virginis ante viciſſet. Hoc loco Polimius Apoſtolum rogat, cur primam virginem vocaſſet eam, ex qua homo & Deus natus eſſet. Ille cũm gratias Deo primùm egiſſet quòd regiment mad ſe audiendum dediſſet, ita reſpondit, primum hominem Adamum dictum

ctum esse, terramque ex qua fictus compositusque fuisset & matrem eius, & virginem fuisse, propterea quòd nec sanguine humano adhuc polluta contaminataque fuisset nec ad cuiusquam mortuii sepulturam aperta. Itaque consentaneum fuisse, id quod iam dixerat, vt qui filium virginis, id est terræ, vicisset, is â virginis filio vinceretur. Vicisse autem illum, quòd arte & fraude egisset, vt Adamus contra Dei præceptum vesceretur, ob eamque causam expulsum eum esse ex paradiso, quò ei reditus postea non patuisset. Hunc autem virginis filium egisse, vt artem diaboli & experiretur & vinceret, vt cœlum homini victoria sua aperiret. Nec verò eius temperantiam ante quadragesimum diem diabolum tentare cœpisse, quòd ita existimaret, ac secum reputaret, si quadragesimo die minimè esuriret, illud certum fore diuinitatis argumentum. sin intra illud tempus esuriret, hominem eum esse, qui ea quæ homines patiretur. Multaque alia Apostolus de illa triplici tentatione & victoria commemorauit, eaque omnia eo pertinere voluit, vt doceret ad extremũ quemadmodum ij qui tyrannos vincunt, suos mittere solerẽt qui in omnibus locis

quæ illi vsurparent, insignia victricia ipsorum statuerent: sic Iesum Christum qui diabolum tyrannum superauisset, apostolos suos misisse in omnes prouincias, vt & diabolum eiusque ministros, qui in statuis templorum habitarent expellerent, & homines qui eos colerent, ex illius qui vinctus esset imperio ac potestate eriperent. Itaque argentum & aurum se contemnere ac pro nihilo putare, sicut Christus ipse contemsisset, quòd ibi diuites esse cuperent, vbi solum eius imperium dominaretur, in quo nec languori nec morbo locus esset, nec tristitiæ, nec morti, sed contrà vitam ibi, beatitudinem, felicitatem, lætitiamque sempiternam vigere. Quo factum esse dicebat, vt cùm primùm in eius templum intrasset, dæmonem qui responsa dare solitus esset, ab eius angelis qui ipsum misisset, vinctum & constrictum teneret. Quòd si salutari lauacro expiari vellet, fore, vt quanto malo caruisset, cerneret. Quod quò facilius comprehendere, & intelligere posset, iubebat eum audire, qua arte eos, qui in templo ægrotarent, dæmonis qui primum hominem vicisset, curare videretur. Dicebat ergo diabolum arte & fraude sua agere, vt homines in varios

morbos

morbos inciderent, ac tum deniq; eis suadere solitum, vt simulacris idolisque crederent, atq; vt animos eorum dominatu suo teneret, tum denique morbos immittendi finem facere solitum, cùm lapidem aut metallum Deum suum esse dixissent, quod illi curare nuncuparent. Tum verò quoniam constrictum eum ipse teneret, etsi essent qui Deum suum illum esse profiterentur, eum tamen responsa nulla dare posse. Quòd quo facilius rex intelligere & probare posset, promisit Apostolus se imperaturum dæmoni, vt & in statuam rediret, & se vinctũ esse, nec responsa dare posse fateretur. Rex postridie prima luce pontifices ei sacrum facturos respōdit, seque adfuturum, vt rem tam mirabilem & inusitatam cerneret. Postridie conueniunt pontifices, prima luce, ijque vt primùm sacra instituta agere cœperunt dæmon magno clamore ne id facerēt prohibere cœpit, se enim catenis igneis vinctũ & constrictum ab angelis Iesu Christi teneri, quem Iudæi in crucem sustulissent, cùm eum à se morte mulctari existimarent. illum autē de morte eiusmodi triumphum egisse, vt & dæmonum principem catenis igneis vinxerit, & tertio die victor; reuixerit, & discipulis suis crucis signum

num dederit, cosq; in vniuersum orbem miserit, in hisque Bartholomæum qui ipsum constrictum tenere, petere se maiorem in modum, vt illum etiam atque etiã rogarent, vt ipsum alio proficisci pateretur. Tum Apostolus ea omnia eum confiteri coegit, quæ de morbis & diuinitatis professione illum regi paulò ante pollicitum esse dixi. Quæ cùm omnia dæmon planè confessus esset, tum Apostolus omnes qũi aderãt, hortari monereque cœpit, vt viderent, quem ipsi Deum coluissent, & à quo se curari putassent. Itaque eo contempto, iam Deum verum colerẽt, qui & ipsos creasset, & in cælis habitaret. Quod si cum pro ipsis rogare vellent, & vt omnes ægri curarentur, impetrare, ipsi simulacrum deijcerent, & confringerent. Sic enim fore, vt & templum Christo consecraret, & eos aqua salutari Christi nomine expiaret, Regis iussu omnes simulacrũ funibus alijsque machinis auellendum curauerunt, quo cæterisque minoribus diaboli opera, id iubente Apostolo comminutis, omnes clamare. Vnum Deum præpotentem esse, quem Bartholomæus prædicaret, Ipse tum passis sublatisque in cælum manibus. Deus inquit, Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob, qui filium

tuum

tuum Deum Dominum nostrum misisti, vt nos, qui peccati serui eramus, sanguine suo redimeret, & tibi filios quæreret, qui idem verus Deus; ex hoc cognosceris quod semper idem es & immutabilis permanes. Vnus es Deus pater, sine origine & ortu, vnus etiã filius tuus vnigenitus, Dñs noster Iesus Christus, & vnus Spiritus S. illustrator & altor animorũ nostrorum, hinc Iesus Christus suo nomine hãc vim nobis dedit, vt oĩs generis morbos curemus, te vehementer etiã atq; etiã rogo, vt omnis hæc multitudo hominum salutem assequatur, teque oẽs Deum vnum esse cognoscant, qui per Christum salutẽ restituas, q̃ cùm dixisset, angelus circumuolasse dicitur, & digito in quadratis lapidibus signũ crucis sculpsisse, cũ hac oratione. Hoc Deũ à quo missus esset, dicere, quemadmodum illi morbis curarentur, sic se tẽplum mũdare & expiare omni sorde, eoq; quem apostolus in solitudinẽ misisset. Polimius rex tum vna cum vxore & duobus liberis, exercitu, omniq; populo aqua salutari expiatus est, abiectoq; ornatu regio, apostolum sequi cœpit. Quod cum Axages eius frater maior natu pontificũ opera resciuisset, misit vnà cum eis mille armatos, q eum comprehẽsum ad se

addu-

adducerent: perductus autem cum ab eo rogaretur, isne esset, qui ipsius fratrem euertisset: Non, inquit, euerti eum, sed conuerti: & isne esset, qui deos lares confringendos curasset: se, dæmonibus qui in eis erant imperasse respondit, vt ipsi idola futilia cōminuerent, vt omnes homines relicto errore Deum verum, qui in cælis esset, agnoscerēt & colerēt. Cumq; Astyages rex apostolo dixisset quemadmodum fratri auctor fuisset, vt Deo suo contemto, illius Deum coleret, ita se facturum, vt ipse relicto Deo suo, ipsius Deo crederet & immolaret. Apostolus Deū quem illius frater coleret, se vinctum & cōstrictū ostendisse respondit, & fecisse, vt simulacrum suum confringeret. Itaque si hoc ipsum Deo quem coleret facere posset, eadem opera illum facturum, vt Deo ipsius immolaret. sin nihil tali Deo, cuius seruus esset, facere posset, ipse autem Deum illius confringeret, ita denique Deo illius crederet. Hæc cùm Bartholomæus diceret. nunciatum est regi, Deum suum cecidisse, atque in multas partes fractum atq; distractum: quo ille nuncio adeò conturbatus est, vt & purpurā qua indutus erat, sciderit, & apostolum fustibus cædi excoriari primū, deinde securi feriri iusserit.

Rex

Rex autē Polimius cum populo veniens, eius corpus magno cum honore extulit. Nec verò Astyages dijs scelus hoc inultū tulit. Tricesimo enim â morte die arreptus à dæmonio, in templum apostoli venit, eumq3 pontifices eodē morbi genere afflictati, & correpti secuti sunt, in quo oēs intra paucos dies ex illo morbo mortui sunt. Corpus autem apostoli diu illic in summo honore fuit, maximaq3 veneratione, quoad Barbari id est, qui à nostra religione abhorrerent, cùm molestè ferrent illud à nostris, vt Gregorius pōtifex Turonū scribit, coli, inuidia, odioque impulsi, clām è sepulcro sublatum, in aliud quod plumbeum esset, conclusum, in mare ieceruntcum hac oratione. Populum nostrū iam non decipies. Sed prouidentia diuina factum est, quemadmodum idem scribit, vt aquis conuehentibus delatū sit ad insulāSiciliæquæ Lipara dicitur: Quòcum peruenisset, patefactū esse Christianis, & impetratū dicit, vt illud colligerē ac conderent, ab eiisq; templum eo loco quo situm sit magnificum miroq; opere ædificatum esse, in quo tum cùm hæc ipsa proderet, coleretur cum maxima eorum vtilitate, qui eius fidem implorarent.

VITA

VITA BEATI THOMAE APOSTOLI IOACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriaceno auctore,

THomas quidē qui à Ioanne in Euangelio Dydimus appellatur, quo primùm tempore se ipse in Christi disciplinam tradiderit, aut à Christo vocatus sit, diuinis literis mandatū non est. Hoc autē ea ij'dem intelligi licet, eum ex cōmuni discipulorū ordine, ac numero, ad apostolatus dignitatē vna eū alijs vndecim euectum & elatum fuisse. Is quanto in magistrū amore flagraret, tum declaranit, cum, languente Lazaro Mariæ Marthæq; fratre, earum rogatu ad illum curādum Christus se ire velle discipulis exposuit. Nam cum cæteri eum à suscepto propositoque cōsilio deterrerent quod in Iudæam venire constitueret, vnde vix saluus & incolumis è Iudæorum manibus elapsus esset, multaque alia ipse de Lazari morte primum obscure, deinde aperte dixisset, vnus Thomas condiscipulis vt Ioannes commemorat hæc dixit: Eamus & nos cum eoq3 moriamur. Hoc quidē vnū de Thoma ante Christi mortē scripta diuina

uina commemorant. Cùm autem tertio quam in crucem actus esset, die à mortuis inferisq; Christus excitatus fuisset, idem penè àmoris singularis in eundem documentum vt mihi quidem videtur, dedit. Cùm enim eo ipso die quo excitatus est, vesperi Christus eo in loco in quem eius discipuli habitandi gratia conuenissent, & vnde Thomas abesset, cæteris se ostendisset, eiq;ue redeunti cōdiscipuli se Dominum vidisse narrarēt, eis se ille habiturum fidem antè negauit, quàm vulnera, & plagarum cicatrices & vestigia non solum vidisset, verum etiam tractasset. Amantis enim etiam, nō solū diffidentis aut dubitātis, hæc videtur oratio. Nam eodē nos animo esse solemus, cùm rem quæ nobis chara esset, amisimus. Tum enim si recuperatā in luctu inuētamq; audiamus, aut nos rideri putamus, aut certè id fieri posse vix tandē aliquādo, aut ne vix quidem credimus. Quod si aliqua ex parte culpādus est, accusandusq; diffidētiæ, quippe qui toties à magistro in spē vocatus esset, fore vt III die excitaretur, hāc talē siue dubitationē siue diffidētiā clarissima illa eius professio quam octauo inde die Christum plagas ei tractandas, manusq;ue videndas dantem, & Dominum, & DEVM suum agnouit,

non

non solum compensare, sed multum etiã superare debet. Atque hæc tantum literis diuinis de illo scripta inueni. Quæ autem sequuntur, etsi ex libro cuius author non nominatur, deprompta sunt, tamen quia passim ab Ecclesijs leguntur, comprobare debemus. Igitur cùm misso sancto Spiritu, apostoli prouincias instinctu diuino docendæ religionis veritatisque causa sortirentur. Thomæ India diuinitus hoc modo obtigit. Gundaphorus Indiæ rex cùm palatium ædificare miro eoque Romano opere instituisset, Abanem qui ad id opus architectum præstãtissimum cõquireret, Romam misit. Is cùm Cæsaream venisset à Christo rogatus esse dicitur, quid venisset quæue cũ illo causa adduxisset. Cùm respondisset, missum se à Domino Indiæ rege, vt architectũ peritissimum locaret. Est, inqnit ille, mihi seruus, qui in ea arte excellit. Credit primùm Abanes, Thomamque sibi tradi ascisciit, deinde eum rogat, num seruus eius esset à quo esset traditus. Ad hæc Thomas, Ego, inquit, si eius seruus non essem cùm me tibi tradidit, restitissem. Nunc, quia seruus illius sum, non quod mihi libet facio, sed Domini voluntati morem gero, eiusque præceptis pareo. Nec verò vnus ego seruus

eius

eius sum, sed vnus ex millibus, qui omnes illius cõmodis ita inseruimus, eiusque rem sic procuramus, vt ex artibus quas quisq; multas variasq; nouit, prouincias omneis obeuntes quidquid lucri fecerimus, id illi sine fraude paremus atque afferamus. Dum hæc inter se ambulantes agunt, ad nauem perueniunt, qua conscensa rursus sermonem vltro citroq; conferunt. Abanes prior, quid ille in arte præcipuè teneret, rogat, quòd eum Dominus suis cæteris prætulisset. Tum se Thomas iacere fundamenta, quæ nunquam vetustas consumeret, dixit: parietes construere & erigere quæ nunquam collaberentur, facere exedras & speculas eiusmodi, quæ lumen deesse aut deficere nunquam paterentur, fabricam totius ædificij ita erigere, vt excelleret. Aedificia autem etsi extrinsecus nõ magnam speciem pulchritudinemque preferrent, at intrinsecus mira specie præstare. Quid pluribus, inquit, tibi artem meam prædicem efferamque laudibus? Quidquid marmore aut structura effici potest, in eo me genere excellere & præstare profiteor: & si quos mihi discipulos trades, diligenter erudiã. Cumq; Abanes & magnũ dominũ esse qui hujusmodi seruos haberet, dixisset, & quouis rege

præstantiorem atq; sapientiorem, est inquit Thomas, ita vt ais, est enim vnicus patris filius, qui regnum tenet atque imperat in excelsis montibus, quo nec hostis vllus, nec morbus, nec paupertas egestasue potest accedere. Hæc atque his similia cũ Thomas narraret, secundis ventis vsi contento cursu Andranopolin vrbem appellunt. Tum forte rex eius loci, quod filiam suam nuptui tradebat quo magnificentior celebriorque apparatus esset, per præcones omnes omnium ordinum conditionumque homines ad nuptiarum solẽne conuiuium conuocabat, hac lege vt si quis abfuisset, ipsum offenderet. Itaque Thomas & Abanes cum cæteris peregrinis conueniunt. Mensæ omni genere ciborum instruuntur, conijciunt ciues oculos in peregrinos quos nunquam viderãt. Tibicinistria interim quæ Iudæa erat, circumcursabat, vt tibiæ modis singulos cõuiuas oblectaret. Cumque ad Thomam veniens hominem nec edentẽ, nec bibentem animaduerteret, diutius aduersa stetit, ex eoq; illius habitu statim Hebræũ esse intellexit. Quod suum de illo iudiciũ aperto testimonio declarauit, nã Hebraicè canere cœpit. Vnum esse Deum Hebræorum, qui omnia creauit: mariaq; effuderit. Thomas hæc audiens vehemen

tius orare, admonereq3 puellā, vt hæc eadē verba, quę vera essēt repeteret. Tū verò is qui pocula ministrabat, cernens Thomā nec vescētem, nec bibentē colaphū ei infregit. Thomas aūt Hebraico sermone dixit, satius esse. vt ei in futura vita, in qua nullus esset supplicij finis, ignosceretur, & in hac pœnas q̄ ad tēpus durarēt, eiusmodi penderet, vt ipse interiret, & manus qua colaphū infregisset, derosa à canibus in mediū conuiuiū inferretur. Hanc Thomas Hebraico vt dixi sermone vocem misit, quo factum est, vt p̄ter psaltriā nemo intelligeret: Itaq3 cùm pincerna vt aquam deferret, & egressus, & à leone interfectus esset, canisq3 manū illius in medium conuiuiū intulisset, virgo quæ rem ita vt ab apostolo prædicta erat euenisse animaduerteret, cōuiuis rē admirātibus, ipsa pedibus illius prouoluta. Hic, inquit, propheta est. Nā cū pincerna colaphū ei infregit, id fore prædixit, quod euenisse cernitis Tū clamor ac strepitus hominū primū à quoq3, deinde à rege etiā exauditus est. Rex quid rei esset. rogare cœpit. Re comperta, Thomam ad se venire iubet, atque sponso & sponsæ bene precari. Sic enim mihi videtur Latinè hoc loco dici quod nostri dicūt benedicere. Introductus autē

in tha-

in thalamum apostolus, hac vsus oratione dicitur. Deus Abrahã, Deus Isaac, Deus Iacob, benedic his adolescẽtibus, eorumque in mentibus vitæ æternæ semen consere, vt quidquid ad salutẽ suam pertinere didicerint, id perficere & exequi velint. Hæc cùm Apostolus dixisset, salutato rege abire cœpit, eumque sponsus deducere: quo in officio cùm esset, repẽtè palmæ ramus ei visus est, quem manu arreptum lętus ad spõsam detulit. Cumq; vterq; eius fructum degustasset, somno oppressus est: In somno visus est rex præpotens, gẽmis fulgens, eos amplecti, cum hac oratione. Apostolus meus vobis tantum precatus est, vt sempiterna vita perfruamini. Experrecti dum quæ visi erant videre, vterq; alteri exponit, ecce Thomas in cubiculũ introit, eosque his verbis alloquitur. A Dño magistroq; suo qeis visus esset foribus obstructis introductũ esse ait, id omne quo vsus esset in eos, benè eis procederet. Eos virginitate præditos esse, quę omniũ regina virtutũ esset, soror angelorũ, libidinũ victrix, fidei trophæũ, quæ de hoste triumpharet, & ad vitã homines æternam tutò pduceret. Tũ stupri corruptionisq; mala eius exponit, in ijsq; mortem sempiternã, quam si effugere vellẽt, casti-

monian

moniam colerent, quæ facilem ad vitam sempiternam aditum petefaceret. Vterq; eius pedibus prouoluitur, oratq; vt se in veritate cõfirmet, ne quid de doctrina diuina eis desit. Thomas eis se proxima nocte rediturũ pollicetur, eaq; plenius traditurũ, quæ ad vitam rectè & ex religione degendã pertinerent. Quòd cùm ille diligenter officioseque præstitisset, tũ deniq; prospero cursu in indiã contendit. Nec ita multò pòst, Dionysium qpẽdam è discipulis suis Andranopolin misit, qui institutis sacerdotibus, fundataq; Ecclesia multos in ea vrbe ab idolorum cultu ad Christi fidem religionemq; deduxit. Ipse verò Dionysius adolescẽs ab illo põtifex creatus, sponsam suam Pelagiam nomine virginum sacris initiauit, atque eõsecrauit. Hęc sponso mortuo duplex martyriũ pertulisse dicitur, vnum quod nubere, alterum quod idolis sacra facere noluit. His enim duabus de causis securi feriri iussa est. In eius autem sepulcro Græcis literis hoc incisum esse dicitur, Hic sita est sponsa Dionysij pontificis, Thomæ apostoli filia. Sed ad rem reuertẽdum est. Cùm Thomas vnà cùm Abane in Indiã peruenisset, Gundaphorus rex eũ accersiuit rogauitq; primum quo opere exædificare ædes ipse

sciret, deinde cùm ille ad singula ita prudenter respondisset, vt summam de eius arte opinionem rex conciperet numerata ingenti vi pecuniæ ad futurum ædificiũ, ipse ad aliam regni partem profectus est. Thomas autem toto illo biennio, quo rex abfuit, nullum finem fecit docendæ Christianæ religionis, largiendæque egẽtibus pecuniæ regiæ. Quo quidem factum est vt innumerabilem multitudinẽ ad profitendum Christi nomẽ perduxerit. Rex verò Gundaphorus cùm perfecta re quæ eũ abesse coëgerat rediẽs, hoc totũ comperisset quod fecisset apostolus, eum statim in vincula vnà cum Abane coniecit, vt eos paucis post diebus interficeret. Tum Gaudius regis frater grauiter ægrotabat, nec ita multò post vi morbi interit. Quæ Apostoli morrem in aliud tempus differre coëgerũt. Dum autem in magnifico funeris sumptu atque apparatu rex occupatus est quatriduo quàm mortuus erat, Gaudius ab inferis excitatus, reuixisse dicitur, qui cùm ad Gundaphorũ regem fratrẽ venisset, eiq̃ vidisset ordine narrauit. Sibi ab Angelis in cælo palatium quod ei Thomas miro magnificoque opere extruxisset ostensum esse illius cùm pulchritudinem cõsideraret, eaque laudata & suspecta, angelis

gelis qui ostendebant, dixisse, se vnũ optare, vt dignus esset, qui vel ianitor eius palatij deligeretur: tũm angelos respondisse, indignum eo se fratrem fecisse, itaq; si in eo habitare vellet, se rogasse Dominũ Iesum Christum, vt reuiuisceret, adiretq; regem fratrem qui illud venderet, accepta pecunia quã profudisse existimaret. Legi Thomæ vitã descriptam in eodem libro, in quo scriptum est, non excitatum esse Gaudium, sed cùm grauissimè ægrotaret, hæc illi in somnis visa esse omnia. Gaudius cùm hæc fratri exposuisset, in carcerem venit, prouolutusque Apostoli pedibus eum primum rogare cœpit, vt fratri qui imprudens tã graue scelus admisisset, ignosceret, deinde, vt destimẽta elegantiora sumeret. Tum Apostolus respondit illum etiam ignorare, eos qui ad cælum aspirarent, re nulla vti quæ terrã carnemq; attingeret. Itaq; sibi satis esse sciret, colobium quo in humeris vteretur, & palliũ atq; scandalia, quæ nunquã omnino antè abijceret, quã excederet e vita. Iã vterque carcere egrediebatur, cùm Gundaphorus ipso se mittens ad pedes apostoli, veniam precatur. Ad vtrũq; aũt orationẽ conuertens, apostolus. Magna, inquit vobis concessit Dominus meus IESVS Christus,

qui vobis mysteria sua patefecit. Prouinciæ iam vestræ nomen Christo dederunt, faciteetiam vos vt expiemini, expiatique lauacro sactosancto, regnũ sempiternum consequamini. Cumque Gaudius apostolo dixisset, visum à se esse palatium, quod regi fratri ædificasset, idque vt ab eo emeret, se ab angelo impetrasse, respondisset q; Thomas, hoc in fratris situm esse potestate, Gundaphorusque dixisset, id sperare se consecuturum, quod iam ipsi ædificatum esset, illi alterum ab apostolo extrueretur: tum hac Thomas oratione vsus est: Hoc vobis persuadeatis velim, innumerabilia iam in cælo constructa esse palatia, eaque à prima mundi origine præparata. quæ fidei precio emantur, Itaque si cælestium diuitiarum, si regnorum & palatiorum cupiditate ducimini, diuitiæ vestræ vos antecedere morientes possũt, sequi migrantes ab hac vita omnino non possunt. Eas igitur egentibus. peregrinis viduis, pupillis, alijsque indigentibus largimini, freti hac spe, eos vos ibi multò maiores, vbi nullus est finis, consecututos. His ita gestis, cùm iã locus esset nullus in India, quo non fama & sanctissimę vitæ quam ageret beatus Thomas, & mirabilium operum, quæ in quouis morbi

gene-

genere depellendo ederet, persuaderet, vn dique ad eum concursus fiebat hominum, qui ad eum coronas ex auro & gemmis deferebant, vestesque regias, eo consilio, vt ei tanquam Deo cultum honoremque præstarent, vitulosque & arietes immolarent. Quòd cùm Apostolus animaduerteret, Gundaphorum regē rogauit, vt res ad tricesimum diē differretur, cum tota prouincia cōuenisset. Fit igitur maior indies populi concursus, tantusque tricesimo demū die numerus apparuit, vt coactus fuerit apostolus in campum homines conuocare. Quo in cætu quoniam ægroti, sine delectu cum valentibus permixti, confusique erant, omnibus vnum in locū cōuocatis, seiunctisque à valentibus, ipse medius passis in cælum manibus, precari supplex patrem cœpit, his verbis. Te sanctissime Deus, præpotens rerū omniū pater, nomine vnigeniti tui quem ad nos tenebrarum vitiorūq; expulsorem, luminisq; tui largitorē misisti, precor, vt nunc verba eius confirmes, quibus ipse pollicitus est nos laturos esse quidquid à te suo nomine peteremus. Hic populus quem vides aliqua opinione mirabiliū tuorum operū excitus conuenit, hic surdi sunt, hic muti claudi, hic mille morborū generib: affli-

ſtati ſunt, vt tua benignitate ſani, & incolumes redire poſſint. Hęc illorũ ſpes eos ne fallat, vehementer etiâ atque etiã rogo vt mirabilib. tuis operibus te cognoſcant eſſe ſolum verũ Deum & Dñi noſtri Ieſu Chriſti patrẽ, per quẽ omnia cõdidiſti & vnum ſpiritũ ſanctũ, qui animos illuſtret ſanctosque efficiat, & hoc tẽpore, & futuris ſeculis. Cumque ij omnes qui ſacro lauacro expiati erãt, reſpondiſſent, Amen, tantum repente fulgur in eos viſum eſt cadere, vt tactos ſe de cælo interituros putarent. Cumq; horam ferè dimidiatã proſtrati ſolo iacuiſſent, primusq; Apoſtolus ſurgẽs illis vt conſurgerent imperaſſet, q̃ Dñs Ieſus, vt Fulgur veniens eos morbis liberaſſet, illiq; valẽtes Deo eiusque apoſtolo egiſſent gratias: tum demum è ſuperiore loco ita ad eos locutus eſt, ſe à IESV Chriſto, cuius ſeruus eſſet, miſſum eſſe, qui omnes ægros eorum paulò antè curaſſet, ſe enim hominẽ quemadmodum ipſi oẽs eſſent, eſſe, ac miſſum à Deo, vt eos à cultu vano & falſo ſimulachrorum ad vnius veri Dei omnium conditoris, qui in cælis eſſet, cultũ religionẽq; traduceret. Itaque ſi vitam gloriamq; ſempiternam cõſequi vellent, primũ omnium in vnũ Deum patrẽ, qui videri nõ poſſet, nec cõprehendi,

quique

quique immēsus esset, crederent: deinde in vnigenitum eius filium Dominum Iesum Christum, per quem effecta essent omnia voluntate patris, & quæ sub aspectū caderent, & quæ aciem oculorum effugerent, tam terrena quam cælestia, postremo in spiritum sanctum consolatorem, qui sub cernendi sensum non cadens, & initio careret, quemadmodū & pater & Dominus Iesus Christus eius filius, cum quibus ita essent futuri, si syncere & integrè in Deum crederent, & veterem hominem vnà cum ipsius operibus abijcerent: si omnia simulacra, & eorum dies festos delerent atque conculcarent, si tenebras abijcerent, vt æternam lucem inuenirent, si mortem refugerēt, vt vita æterna digni essent. Quod ita denique perficere possent si duodecim virtutibus, quas enumerasset, præditi essent. Primum omnium hortabatur eos vt recte crederent, deinde, vt credentes salutari aqua expiarentur, tum vt se à stupro abstinerent, tum vt ab auaritia, tum vt gulæ & edacitati imperarent, sexto loco, vt patientes essent reb. aduersis, septimo, vt perseuerarēt in bonis actionib. octauo, vt hospitalitati studerent, nono, vt qd Deus vellet, ac iuberet exquirerent, & cum inuenissent, id diligēter efficerent: decimo,

vt quid idem prohiberet ac vetaret exqui rerēt, quod cùm inuenissent, id omnino declinarent: vndecimo, vt non solum amicos, verumetiam inimicos charos haberent. Postremò, vt diu noctuq; in custodiendis cōseruandisque virtutum diuitijs omnem operam, studium, diligentiamq; ponerēt. In his enim duodecim integram absolutamque æquitatis cognitionē consistere dicebat. Tum eos monuit, vt ea dona quæ contulissent, ipsi pauperibus & egentibus erogarent, (neque enim se Deum esse, sed Dei seruum) & se ipsi compararent, vt propediem salutari aqua expiarentur. His eos verbis dimisit Apostolus. Illi autem cùm is dies, quem nos Dominicū dicimus venisset, expiati sunt aqua salutari numero nouē milia, præter pueros & mulieres. His ita gestis, diuino instinctu in Indiâ superiorem profectus est. Ibi magnus ad eum cōcursus fiebat populorū, cum orationē illius multa inusitata opera sequerētur. Nam & dęmones eijciebat, & cæcis aspectū restituebat, omniaq; morborum genera curabat. Interea accidit, vt Syntiche quędā quæ Migdoniæ Carisij propīqui regis vxori charissima erat, cùm cæca esset, à Thoma aspectū recuperaret: Quod cùm Migdonia animaduertisset,

tisset, nec vestigium vllum pristini morbi notaret, magna voce clamare cœpit. eum vel Deum esse, vel Dei angelum, qui nulla adhibita medicina ita illā curasset. Illa vero hoc ita Migdoniā mirari dixit. quasi præter ipsam curasset neminē, cùm innumerabilium morbos Iesu Christi DEI sui nomine profligasset. Migdoniæ autem summa Thomæ videndi cupiditate teneri se dicenti, cum postera die, loqui ad populum constituisse dixit. Itaq; si eum videre & audire illi in animo esset, vestem mutaret, ne fortè agnosceretur. Quid multa Syntiches consilio vtitur, mutat vestē, famulari habitu ad constitutum locum inter ancillas suas venit. Thomas tum fortè causam cur Christus Dei filius in mundum venisset, exponebat his verbis. Quoniam vita hæc quam agimus, tot miserijs casibusque oportuna est, vt cùm eam se tenere homines putant, ipsa effugiat, atque labatur, repentinoque casu ita effluit, vt iam inueniri non possit, idcirco veram lucem Dei filium è cælo ad nos descendisse, vt nos alteram vitam esse doceret. quæ omnino immortalis esset, omnisq; doloris gemitus, miseriæ, & calamitatis expers, contraque, cum summa voluptate, gaudio lætitiaque degeretur. Fecisse autem

tem hoc eum, vt omnes qui ea conditione nascerentur, vt tandem aliquando morerentur, ad vitam quasi renati peruenirent, Deiq; filij Apostolorum doctrina ij efficerentur, qui essent peccatores, peccatorumque filij. Neq; enim mortaliū hominum filios immortales fieri potuisse, nisi aqua & Spiritu sancto iterū nati, Dei filij fierent. Atque eundē, ne forte ea quæ traderēt approbarētur, eam vim dedisse omnibus apostolis, vt ipsius appellato nomine, cæcis oculorum, surdis auditus vsum munusq; redderēt, dæmones expellerent, mortuos denique excitarēt, vt homo qui rationis est particeps, hoc secum reputaret si vera ea non essent quæ docerent, tā inusitata opera, & portenta consecutura non fuisse. Quapropter cùm superiore biduo eò accersiti fuissent, vt eorum corpora prius curarentur, eo ipso die se de animorū salute decreuisse dicere. Quēadmodum oculi malè affecti à medicis nisi collyrio inuncti nō curantur, sic animos ab apostolis & doctoribus nisi verbis & veritati quæ docerent, assentirentur, castimoniamq; amplecterētur, & ab auaritia intemperantiaq;, omnibusq; vitijs se continuerint, non posse curari. Multaque alia Thomas apostolus cum docuisset, omnes

qui

qui aderant, religionem nostram approbauerunt, septemq; dierum ieiunio aqua salutari vicissim expiati sunt. Migdonia autē cum Carisio viro regis, vt dixi, propinquo, coniungi, miscerique iam noluit. Quod cum ille propterea euenisse intelligeret, quòd illa Thomam cōcionantē audiuisset, statim à Misdeo rege impetrauit, vt ipse in carcerem conijceretur. Ad eum Syntiche Migdoniam in carcerem adduxit, quæ statim ad pedes eius se mittēs, orare cœpit, ne se cuius causa & culpa ipse tantū mali sentiret, pœnas diuinas vellet pendere. Apostolus eam domū suā redire iussit, quo ipse venturus esset, quo facilius ipsum spōte hæc ipsa perpeti intelligeret. Illa occluso ostio in cubiculo humi iacens orabat Deum, quem Apostolus prædicaret, vt se illius doctrinæ participem facere vellet. Nocte autē intempesta ad eam apostolus venisse dicitur, admonuisseque vt constans esset atque bono animo, quod quemadmodum illa ipsius opera & præsidio vitam & gloriā sempiternum cōsecuta esset, sic ipse per eā cum martyrij corona ad Christum esset euolaturus. Cumque Migdonia ab eo maiorē in modū peteret vt quemadmodum cæcorum oculos aperuisset, ita animi sui oculos aperiret, vt

rectam vitæ viam cerneret, nec in errorē incideret. Apostolus eam septem dierum ieiunium explere iussit, octauoq; se ad eā rediturum esse pollicitus est, eamque aqua salutari expiaturum, omnesque qui illius opera essent crediturī. Dum hæc geruntur, Carisius Misdeum regem, qui eius sororem vxorem habebat, rogat, vt illa vxorem suam adeat, si fortè eam de sententia deijcere, & à suscepto propositoque cōsilio abducere posset, quum omnes quos adhibuisset, nec precibus ab ea, nec vlla ratione impetrare potuissent, vt ad viri thorum rediret, vel vnà cibum caperet, aut etiam eum illa intueretur. Impetrat, Treptia (hoc enim reginæ nomen erat) proficiscitur omnibus modis Migdoniam abstrahere conatur, sed frustra. Quinetiàm hanc Migdonia hortatur, vt ad Thomam cuius de virtutibus diceret, cognoscendi experiendique causa secū adiret. Thomā in carcere multos ægros curantem offendunt: quod cùm regina cerneret, misit se ad pedes Apostoli petens supplex, vt se vitæ æternæ participem faceret. Ipse primū omnium eam aqua salutari expiauit, cum illi ea omnia quæ ad religionem pertinent tradidisset: deinde cum alijs dimisit, Treptia cùm ad domum regiam se recè-

pisset,

pisset, Misdeus eam rogauit, cur tamdiu abfuisset. Illa ob eam causam id contigisse dixit, quòd Migdoniam quam anteà stultā existimasset, summa sapientia præditam inuenisset. Quinetiam se Apostolum Dei, qui omnibus salubre consilium daret vidisse. Itaque si ipse qui rex esset, nec immortalis fieri posset, eum audire vellet, fore. vt nunquam morte occumberet. Ad hanc Treptiæ reginę orationem regis animus non solum immutatus est, sed planè obriguit, accersitoque Carisio. Dum tuam, inquit, vxorem recuperare volo, amisi meam. Tteptia enim mea multò est in me iniquior, quam in te tua Migdonia. His quasi furijs agitatus Misdeus, Thomam ad se vinctis manibus pertrahi iubet: Ab eo quærit, quisnam Deus illius esset, qui eius opera coniuges ipsius & Carisij ab eis separaret: Thomas eum Regem esse respondit, qui indigna seruitia habere nollet, quod si ipse qui homo & rex esset, nitidos mundosq; seruos habere velet. quanto magis eum credere debere à Deo sancta castaque coniugia diligi? Quæ nam culpa ipsius esset, si ea Deo chara esse prædicaret, quæ ille in famulis requireret? Cumque Misdeus vxorem suam quam ad Migdoniam proficis-

ci voluisset, vt eam à præcipitio liberaret, in præcipitium ab eo missam diceret, apostolus non esse ruinam dixit, nisi deficere à castimonia & ruere in libidinem. Eos enim qui se à libidine subtraherent, & ad virtutē referrent, à ruina qua & oppressi fuissent, ad salutem reuocari, & ex tenebris ad lumē egredi. Cumq; rex ei imperaret, vt quēadmodū verbis artibusque magicis suis, vxores à coniugum consuetudine separasset, sic eas eodē reuocaret: imperium edictumq; eius iniquū esse dixit, propterea quod arcem quā ipse ædificasset, vt destrueret, imperaret, & fontem obrueret, quē alia terræ fossione eduxisset Itaque se Christi verbis ad eas vsurum esse potius Qui amat patrē, aut matrem, aut vxorem, aut filios plus quàm me, Deo dignus non est. Eum quidē cùm rex sit ad quoddam tempus, tamen si quis eius voluntati non paruerit, pœna aliqua quæ ad quoddam tempus duret, afficere illum solere. Nec posse tamen cùm corpus occiderit, animum occidere. Deū autē qui rex sit æternus si eius voluntas contemnatur, æterno supplicio in cōtemptores ita animaduertere, vt occiso corpore, animum etiam interficere possit. Hæc omnia Carisius audiebat inuitus, Itaque ira ac fu-

rore

rore concitatus, regem admonet, ni seruis Thomam quem magum appellaret, interficiendum curaret, fore, vt se ac illum malè perderet. Itaq; rex lanceas ferreas totas igne incendi iussit, Thomamque apostolum nudis pedibus eis appositum ita vita priuari. Quod vt factũ est, aquæ effusione diuinitus ignis restinctus est, idque factum esse apostolus dixit non causa sua, sed illius, vt ita tandem aliquando crederet. Quanquam Deus hanc fortitudinẽ ipsi dare posset, vt sine aqua ipse ignem timere non posset. Hinc eundem in fornacem ardentem Carisij consilio adductus conijciendum curat, sed vbi flamma talem hostiam sensit, vim suam ita repressit, vt postridie incolumis sit inuentus. Tum Carisius auctor regi fuit, vt eum simulacrum solis colere venerarique cogeret. Apostolum ergo virgines eo ritu quo solitæ erant, in templum cum tibijs lyris, tympanis canentes, deducunt. Apostolus vt ingressus est, primum regem obiurgauit & irrisit quod cùm statuã suam sibi postponendã intelligeret, tamen simulacro solis quàm ipsi soli plus honoris tribueret, præsertim qui relicto sole eius imaginem ipsi alijsq; colendam censeret. Deinde Christi nomine

dæmoni-

dæmoni qui in simulacro lateret, imperauit, vt sine vllius damno & iniuria abiret, solisque simulacrum confringeret. Quam Apostoli orationem mirantibus omnibus & obstupescentibus, vtraque res subsecuta est. Nam & simulacrum solis instar ceræ liquefactum solutumque est. Quare commoti, cùm sacerdotes omnes tum vel maximè pōtifex, arrepto gladio. Apostolum interfecit, cum hac oratione, Ego deorum iniuriam vlciscar: cuius corpus magno cum honore ibi primum sepultum est, deinde Edissam translatum esse dicitur imperatore Alexandro, quam in vrbem idem Apostolus Taddæum vnū ex duobus & septuaginta discipulis ad Abagarum regem, vt scriptum est, apud Eusebium, misit.

VITA BEATI PHILIPPI APOSTOLI, IOACHIMO PERIONIO BEnedictino Cormœriacenoauctore.

PHilippus Galilæus è vico Bethsaida, quæ Patria Petri & Andreæ fratrum fuit originem duxit, quemadmodum Ioannes principio ferè Euangelij sui commemorat. Is se Christo, postridie-

die quàm Petrus vocatus est, in disciplinam tradidit, cùm eum Iesus admonuisset, vt se ille sequeretur. Sic autē eum secutus est, vt ipsum, non hominem solùm sed Christum, quem Moses & prophetæ venturum prædixissent, esse profiteretur. Neque verò eam quam de IESV opinionem habebat, dissimulauit, aut cælauit, sed eius Nathanaëlem qui ei primus factus est obuiam, participem sociumq; fecit. Nathanaël enim cùm Christum *à* Philippo Nazarenum esse audiuisset, & ex eò quæsiuisset, num quid boni ex eo oppido proficisci & prodire posset, Philippus ita ei respondit, vt illi experiendi causa veniendum esse censeret. Ad Iesum ergo vna profecti sunt, qui cum Nathanaëlem vnà cum Philippo ad se venientem videre, eū esse professus est Israëlitam, in quo dolus nullus esset, nulla fraus. Nathanaël qui miraretur quòd hæc de ipso CHRIstus quem nunquam vidisset, prædicaret, eum, qui ipsum nosset rogauit. Eum se ille vidisse dixit sub ficu, antequam à Philippo vocaretur. Hic autem Philippus postea ex communi discipulorum numero ad summam Apostolicæ dignitatis gradum Christi benignitate euectus est, id quod ex Matthæi, Marci, & Lucæ Euangelijs per-

perſpici licet. Paucis ante Chriſti mortem diebus nonnulli eorum qui Gentiles à Iudæis quaſi Barbari appellabantur, Hierofolymam fortè venerant, vt die feſto qui paſcha dicitur, ſacrum ſolenne agerent. Ij ad Philippum venientes, ei expoſuerunt, quanta CHRISTI videndi cupiditate ducerentur. Philippus hoc primum Andreæ condiſcipulo enunciauit, deinde vterque IESV narrauit. Ille verò cùm multis verbis omnes qui aderant hortatus eſſet, vt & hanc quam agimus vitam præ æterna contemnerent, ac pro nihilo putarent, & ſibi miniſtrarent, quod ita futurum eſſet, vt in cælo eis à patre honos tribueretur, patrem rogare cœpit, vt ſibi gloriam tribueret. Quam illius orationem vox è cælo ſubſecuta eſt dicentis ſe & gloriam ei tribuiſſe, & rurſus tributurum. Omnes qui aderant non planè vocem exaudierunt. Itaque alij tonitru illud fuiſſe, alij angelum cum Chriſto locutum eſſe dixerunt. Ipſe autem eam vocem non ſua, ſed illorum cauſa fuſam eſſe dixit, cauſamque expoſuit multis verbis, quæ enumerare longum eſſet. Idem cum è Chriſto à cœna pridie quam mortem perferret, audiret, neminem ad patrem niſi eius beneficio venire poſſe,

cum

eum rogauit, vt sibi ac condiscipulis patrem ostenderet: sic enim fore, vt nihil prætereà requirerent. Qua oratione ostendit, quanta sempiternæ gloriæ studio traheretur, etsi nondum plane intelligebat quid diceret, nec de CHRISTO ita vt æquum erat, sentiebat. Itaque eum ille obiurgauit, quod cùm tandiu cum ipso versatus esset, tamen nondum eum qui esset cognosceret: præsertim cùm videndi patris se cupiditate duci exponeret, quem videret cum ipsum cerneret. Atque hæc quidem tantum literarum sanctarum monumentis de hoc Philippo mandata sunt. Nunc de eius doctrina & morte aliquid dicendum est. Ei Scythiam in partitione prouinciarum obtigisse inuenio, in qua cùm annos ferè viginti Christianæ religionis institutis animos populi imbuisset, innumerabilemque multitudinem à falso cultu ad verum traduxisset, à nonnullis qui à religione nostra abhorrebant, comprehensus est primum, deinde ad statuam Martis ductus, vt ei diuinum honorem & cultum tribueret. Eo vt ventum est, draco insitatæ magnitudinis ex basi statuæ erupisse dicitur, pontificisque filium qui ignem ad sacrifi-

crificium ministraret, duosque tribunos qui prouinciæ præessent, cuius satellites Philippum comprehensum habebant, certo quodam impetu vulnerauisse, multosque flatu oris in grauem morbum precipitauisse. Philippus autem qui omnia lamentationum, gemitus, morborumque plena cerneret, omnibus tum exposuit, si consilium ipsius sequi vellent, fore, vt non solum ij qui draconis flatu in morbum incidissent, conualescerent, verumetiam ij qui iam extincti essent & occidissent, ab inferis excitarentur. Quinetiam se Dei sui nomine draconem qui eis tam pestifer esset, fusurum atque fugaturum, esse promisit. Omnes eum tum orare vt consilium daret, quo quàm primum vteretur. Ille Martis statuam deijciendam esse dixit, & in eius loco Iesu Christi crucē figendam quam ipsi venerarentur & colerent. Cumque ægri sibi vires deesse clamarent, ostenderentque lachrymis se si possent quàm primum deiecturos esse statuam, Philippus draconi Christi nomine vt eo abiret, vbi nocere nemini posset, imperauit: atque ita eius iussu euasit. Tum autem & pontificis filium, & duos tribunos quos paulò antè dixi, ab inferis excitauit, & omnes qui flatu draconis in

morbum

morbum inciderant, curauit Quo factum est, vt omnes qui antea à Philippo infesti erant, pœniteret scelerum suorum, ipsiq; eum vt DEVM hominis specie & figura adorarent. Ipse autem annum ibi præterea commoratus est, totumque illud tempus in tradendis docendisque religionis nostræ mysterijs institutisque consumsit. Christum enim docebat mundo qui in maximum discrimen salutis deductus esset, aduentu suo remedium attulisse, eũque liberasse: eundem natum ex Maria virgine, mortem salutis hominum causa perpessum, sepultũ, ac tertio die excitatũ à mortuis, quę ante mortẽ docuisset, eadẽ docuisse eũ reuixisset: quadragesimo die, in cælũ discipulis spectantibus ascendisse, vnde Spiritum sanctum sicuti pollicitus erat, ad suos misisse, à quo specie ignis in singulis insidente, omnium populorum atque nationum sermone linguis fuissent eruditi. Se ex eorum numero vnum eò missum, docuisse simulacra vana & futilia esse, generique hominũ aduersa, Hæc atque alia eiusdem generis cùm Philippus doceret, innumerabiles homines ad Christi cultum & religionẽ traducti baptizatique sunt. Institutis autem eorum hominum ordinibus & gradibus, qui

rem

rem diuinam procurarent, delectoque pontifice, multisque templis ædificatis, ipse oraculo diuino admonitu, in Asiam reuersus est. Ibi in vrbe Hierapoli sectam Ebionitarum qui Dei filium veram hominis naturam ex Maria virgine sumpsisse negabant, euertisse ac sustulisse, eorumque inuidia & scelere in crucem actus & lapidibus obrutus esse dicitur, Quanquam in peruetusto bibliothecæ Cormœriacenæ volumine non cruci suffixum eum reperio, sed septimo quàm excederet è vita die omnes clericos ad se accersisse, eisque exposuisse, septem dies sibi à DEO concessos esse, vt eos hortaretur, vt in CHRISTI doctrina & cultu permanerent: eumque annos natum septem & octoginta in cælum ad CHRistum migrasse, duasque eius filias virgines post aliquot annos, mortuas à dextra læuaque eius sepultas fuisse. Quarum etiam mentionem apud Eusebium facit Polycrates in epistola quam ad Victorem Romanum pontificem misit. Sed ne errore labamur, quemadmodum Eusebius, diligenter videndum est. Neque enim Philippus is, quem in Actis Apostolorum Cæsareæ visum à Paulo & eius quatuor filias virgines Lucas

eas scribit, Apostolus, sed tantùm Diaconus fuit.

D. IACOBI IVDAE APOSTOLI FRATRIS vita, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriacenso auctore.

IACObus Iudæ ac Simonis frater, Alphæum patrem habuit, & Mariam matrem, quæ interdum in sanctis scripturis, Maria Iacobi, interdum Ioseph mater, interdum etiam Maria Cleophæ sancta filia dicitur. Hic quidem quando à Christo vocatus fuerit, incertum est, vocatum autem esse hinc intelligi potest, quòd apostolatus dignitatem ab eo consecutus est, cùm nemo ad eum honoris gradum ascenderit, qui non se ante in Christi disciplinam tradidisset. De eo primatim ac propriè nihil prorsus ij quatuor sanctissimi viri, qui libros quatuor quæ Euangelia inscripti sunt, scripserunt, literis mandarunt. Paulus autem eius mentionem facit multis locis, & Lucas in eo libro quem Acta Apostolorum inscripsit. Ac Paulus quidem in priore epistola ad Corinthios, CHRISTVM cum excita-

excitatus esset ab inferis, ei se ostendisse scribit. Deinde, inquit, visus est Iacobo Quod quemadmodum gestum sit, Hieronymus in Euangelio quod Hebræorum dicitur, quodque ipse, vt ait, ex Hebræo in Græcum & Latinum conuertit, se reperisse commemorat. Iurauerat ipse, vt Euangelium illud exponit, nunquam se cibum esse capturum ex ea hora qua cruci Christus suffixus fuerat, quoad extitatum eum à mortuis cerneret. Itaque Christus qui quanto ille sui desiderio moueretur, consideraret, venit ad eum, instructaq3 mēsa, panem eiporrexit, admonens eum vt ederet, quòd ipse ab inferis excitatus esset. Idemque Paulus in principio epistolæ quam ad Galatas scripsit, anno tertio quàm à CHRISTO delectus esset, Hierosolymam se profectum esse dicit, vt Petrum videret apud eum etiā dies quindecim sit commoratus. Aliū autem apostolorum se vidisse negat. præter Iacobum Domini fratrem Anno inde quarto decimo eandem in vrbem se venisse scribit, vnà cum Barnaba & Tito, afflatu diuino incitatum, vt de Euangelio cum ijs qui in honore erant & precio communicaret. Ibi autem cùm Iacobus hic, Petrus & Ioannes qui columina disciplinæ no-

stre

ſtræ eſſe viderentur, munus ad beneficiũ quo ipſum Deus affeciſſet, cognouiſſent, illos ipſi ac Barnabæ dextra ſocietatis dediſſe, vt illi Gẽtibus, ipſi Iudæis myſteria religionis noſtræ enunciarent & traderent. Atque hæc quidem Paulus de eo ſcribit. Lucas autem in eo libro quem modò nominaui, ſcribit, cũm Antiochiæ factione quorundam Iudæorum inter religionis noſtræ homines, magna quædam de circuncisione Moſaicæ legis orta eſſet diſſenſio, nonnulliq́ue ei legi hac in parte parendum eſſe neceſſariò cenſerent, alij contrà, in eis Paulus & Barnabas, negarent, omnibus tandem placuiſſe, mitti Paulum & Barnabam cum quibuſdam alijs alterius factionis Hieroſoiymam conſultũ apoſtolos maiores q́ue natu, q́uæ nam eorum de hac re eſſet ſententia. Eosq́ꝫ cùm eò ventum eſſet, curaſſe conuocandos apoſtolos & maiores natu, quorum Petrus expoſuerit ſibi à Deo patefactũ eſſe, barbaros quos Gentes vocarent, ad religionẽ diſciplinamq́ꝫ noſtram pertinere. Itaque non eſſe, quod conarentur iugum imponere ceruicibus omnium, quod neque ipſi, neque maiores eorũ ferre patiq́ꝫ potuiſſent. Fide enim eos quemadmodũ & Iudæos ſalutem poſſe conſequi. Quæ cùm

Petrus dixisset, indicto paulisper silentio: Iacobum censuisse, quoniam Simon vt omnes audiuerant diceret, sibi a Deo significatum, barbaros quos Gentes appellarent, ab ipso electos esse, cui etiam cùm aliorum prophetarum, tum verò Amos verba & testimonia congruerent, barbaros non esse ex ordine & loco mouendos, scribendumque ad eos esse, vt se a iis scibis, qui idolis immolati essent, à stupro & fornicatione, à suffocatis animalibus & sanguine abstinerent. Hanc verò Iacobi sententiam adeo comprobatam esse omnibus Apostolis & maioribus natu, vt epistolam ad Gentes quæ nostræ religionis institutis parerent, in eandem sententiam scribendam censuerint. Atque hæc de Iacobo in scriptis diuinis sola reperiuntur. In quibus quamquam non est scriptum, eum ab apostolis statim post ascensum Christi Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfectum esse pontificem, tamen & Egesippus & Clemens Alexandrinus & Eusebius & Hieronymus asserunt, idemque Ecclesia ita comprobat, vt eam sententiam, cuius paulò antè mentionem feci, ab eo vt Hierosolymitano pontifice dictam existimet. Quæ sequuntur ex Egesippi commentarijs Eusebius conquisita & collecta, vt ipse ait,

expo-

exposuit: neque enim in ijs quinq; libris eius qui extant, ea reperire potui. Iacobus hic ex vtero matris suæ sanctus fuit, vino nunquam vsus est, neq; vlla alia potione quæ ebrios reddit, nec animalium carnibus vnquam vesci voluit, ferro & nouacula nunquam ratum est eius caput, oleo corpus nunquam perfudit aut vnxit. Ei vni in templum interius quod Sancta sanctorum dicitur, ingredi licebat, neque enim laneis, sed tantum lineis vestibus vtebatur. Solus in templum venire solitus erat, ibique diu genubus humi hærentibus Deum vt populo suo propitius esset, orabat, in eoque tamdiu perstitit, vt genua eius quasi callo quodam obduruerint. Itaque ex hac opinione quam de incredibili eius abstinentia & sanctitate omnes habebant, Iusti cognomen inuenit. Cùm autem multos annos cum hac tali opinione Ecclesiam Hierosolymitanam sibi traditam commendatam, rexisset, tricesimo anno nonnulli qui Pharisęorum, Scribarum & Saducæorum sectas sequebantur, eum rogarunt quidnam de Iesu sentiret. Ille cùm eum seruatorem esse prædicaret, multi de populo orationi eius fidem habuerunt, illorum nemo eum nec excitatum ab inferis, nec venturum

vt pro ſuis cuique meritis reddat, credidit. Itaque illi cùm in ſuo errore perſtarent, concitare in Iacobum odia populi, miſcere ſermones, clamare ac vociferari, nihil reſtare, niſi vt omnes IESV religionem diſciplinamque approbarent. Quod etſi Iacobi maximè opera & crebris concionibus fieri animaduertebant, hoc tamen non ſibi oſtendendum ſed ſimulata quadam fronte tegendum cenſuerunt. Hinc ad eum conuenerunt, petitum, vt populum qui de IESV ita ſentiret, vt Chriſtum, id eſt, eum quem expectandum ſeruatorem prophetæ prædixiſſent, illum eſſe prædicaret, ab ea tanquam falſa ſententia abduceret. Se ac populum de illius probitate ac virtute ita exiſtimare, eique tantum tribuere, vt nullius rationem eum habiturum exiſtimarent, potius quàm veritatis. Diem feſtum inſtare qui paſcha diceretur, ad quem in vrbe infinitam hominum multitudinem affuturam intelligeret: eo die ipſe de loco ſuperiore verba de IESV ad populum faceret, ne deinceps in eum errorem induceretur. Ipſe qui nihil eos fraude agere exiſtimaret, tantam de IESV dicendi occaſionem nactus, cùm dies veniſſet, templi pinnam eorum rogatu cõſcendit, quò

vt

vt venit, cũ magno clamore sublato orare cœperunt, vt ipse quem omniũ iustissimum & optimũ scirent, cuiq3 parere oẽs deberent, quid de Iesu sentiret, quẽ plebs vt Christũ coleret, palàm ac publicè profiteretur. Iacobus magna tum voce, vt oẽs intelligerent, ita exorsus est. Quid me ne de Iesu rogatis? en in cælo à dextra Dei sedet, venturusque est vt inter omnes dijudicet. Hoc Iacobi de Iesu testimonio variè affecti sunt ij qui aderant. Ij enim qui disciplinæ religionisque nostræ institutis imbuti erant, magna ex eo lætitia affecti, Deũ laudibus in cælum ferre cœperunt: Scribæ autem & Pharisæi tantis iracũdiæ inuidiæque facibus inflãmati sunt, se vt peccasse in eo faterentur, quod eiusmodi testimoniũ Iesu ipsorum opera dictũ esset. Itaq3 alij alios hortari, vt ascenderent, & ex pinna Iacobum præcipitẽ darent, cuius supplicio & morte cæteri à fide & professione Christianæ religionis deterrerentur, & adducerentur: Iustum etiam errasse dicebant, Iustum lapidibus obrui oportere. Quod etiam perfecerunt: nam cùm ad pinnã ventum esset, non solum præcipitem vi magna & impetu dederunt, verumetiam lapidatione. Nec tamen eo supplicio extingui potuit, sed con

uersus atq; in genua erectus, rogare Deũ cœpit, ne tale facinus eis noxæ ac fraudi esse vellet eos enim ignorare quid facerent. Cumq; talia orantem ex superiore loco lapidibus obruerent, Rechabius quidam sacerdos Rechabini filius, orare eos cœpit vt ignoscerent, ac desinirent eũ lapidibus obruere, qui pro ipsis precaretur. Illi nec tanta viri in ipsos charitate, nec Rechabini cõsilio & precibus ducti, finem eum interficiendi fecerunt, quo ad vnus eorum arreptum fustem fullonum cerebro eius illisit. Taliq; morte Iacobus ab Christum migrauit. Eum autẽ de eius sanctitate omnium Iudæorum opinionẽ etiã Iosephus qui à nostra disciplina abhorruit, fuisse scribit, vt morte eius causam datam Hierosolymitanæ oppugnationi atq; adeo euersioni & cladi, sapientissimus quisq; & optimus iudicauerit.

D. SIMONIS ET IVDAE APOSTOLORVM vita, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore. (.·.)

SImonis & Iudę Christi Apostolorum vitam vno sermone concludere constitui,

stitui, propterea quòd eodem in loco & religionis nostræ mysteria tradidisse, & mortem pro Christo eodem etiam die pertulisse reperiuntur. Ij quidem Alphæo, patre, & Maria matre nati sunt. Maria autē eorum mater in Euangelijs modo Maria Cleophæ, sancta filia dicitur, modo Iosephi mater qui fuit Christi discipulorum vnus, alias Maria Iacobi sancta mater, alias Maria Iacobi & Iosephi mater. Quod si Iudas hic de cuius rebus gestis scribimus, principio Epistolæ quā vnam eamq; perbreuem scripsit, Iacobi se fratrem nominat, profecto iam tres illos, Iacobum, Iudam & Iosephum fratres fuisse intelligimus. Restat vt Simonem de quo sermo est eorum fratrem fuisse doceamus, quod nisi Ecclesiæ auctoritate quæ hos duos de quibus loquimur semper vt fratres venerata est, non possumus. Iacobum autem horum fratrē eum intelligimus, qui post ascensum Christi ab apostolis Hierosolymitanus pontifex præfectus est. Alter enim Iacobus qui Zebedæi filius fuit, Ioannem fratrem habuit, Atq; hi quidem quo tempore se in Christi disciplinam tradiderint, literarum sanctarum monumentis proditum non est. Apostolos autem eos delectos esse aut potius selectos ex

communi discipulorũ numero Matthæus, Marcus & Lucas docent. Eos verò in Galilęæ oppido quod Cana dicitur, natos esse, hinc sciri potest, ꝙ Simon hic interdum Cananæus, interdum zelotes nuncupatur. Quoniam enim Cana zelus ab Hebræis appellatur, duo eorũ qui Euangelia scripserunt, Cananæum, Lucas verò zelotẽ eum nominat, illi verbum Hebraicum secuti, hic Græcam interpretationem. Nihil de eis in diuinis literis scriptum reperio duntaxat quod ad illos priuatim pertineat, nisi quod in illo prolixo sermone, quem à cœna extrema Christus ad apostolos habuerit, cum ipse Christus dixisset. Qui præcepta ipsius haberet, eisque pareret, eum esse qui ipsum diligeret, eum autem qui ipsum diligeret. Patri charum futurum, seque ipsum ac Patrem illi ostensurũ: Ioannes scribit tum Iudam hũc quæsiuisse à Christo, quamobrem ipsi atq3 cõdiscipulis se ostensurum esse, non mundo diceret, Christumque ei respondentem facit. Si quis ipsum diligeret forè vt ipsius præceptis obediret, eiusque Pater illum charum haberet, & ad illum venirent, & apud eũ manerẽt atque habitarẽt, & quæ apud illum sequuntur. Ijs autem in partione prouinciarũ Persis obtigit, ad quam

vt,

vt venerunt, magos duos Zaroën & Ar-
phaxatium qui Matthæi Apostoli conspe-
ctum fugerant, inuenerunt. Horū doctri-
na ita falsa erat, vt Deum verū qui Abra-
hami & cæterorum veterum Deus dice-
retur, tenebrarū Deum vocarent, Mosem
veneficum esse dicerēt, prophetas omnes
à Deo tenebrarum missos dicerent, ho-
mines animos à Deo delibatos habere,
corpora à Deo præposterè facta. Itaq; cō-
trarijs diuersisque rebus corpus gaudere,
eisdemque animi offendi solitū, contraq;
quibus ex rebus animus voluptatem ca-
peret, eas corpori dolorem afferre & mo-
lestiam. Solem etiam, lunam & aquam in
deorū numero reponebant. Dei autem fi-
lium Iesum Christum dominum nostrū,
nec verum hominem ex vera virgine na-
tum, nec verè tentatum, passum, nec verè
ab inferis excitatum esse tradebant. Ac
Magorum quidem talis disciplina & do-
ctrina erat, eaque Persarū animos magna
ex parte imbuerāt, aut potius infecerant.
Simon autem & Iudas tum Persidis fi-
nes arrigerunt, cùm Xerxis regis Ba-
byloniorum exercitus, cui Varada dux
præerat, contra Indos, qui Persidis fines
inuaserant, educebatur. Habebat autem
in comitatu suo Varada dux haruspices,

ariolos & magos, quorum opera & artibus deos consulebat, vt quidnam agendum esset, eorum oracula patefacerent: Cùm verò eo ipso die, quo apostoli venerant, nulla responsa dare possent, coacti sunt ad fanũ finitimi oppidi consulendi causa proficisci, vbi dæmon respondit deos qui se illis ad prælium properantibus comites præberent, nihil omnino responsi dare posse propterea quòd Dei Apostoli ibi essent, quorum vnus Simon, alter Iudas diceretur. Eos tantã vim à Deo consecutos esse, vt nullus Deus illis præsentibus loqui audeat. Varada dux diligenter conquisitos apostolos ad se adducendos curauit, præsentesque rogauit, vnde, & qui essent, quæque eorum aduentus causa esset. Simon si genus quæreret, Hebræos se ac fratrem esse respondet, si cõditionem: IESV Christi seruos: si causam tanti itineris: illius omniumque salutis causa venisse, vt relicto simulacrorum errore, Deum qui in cælis esset, possent cognoscere, Negat ille sibi tum otium esse plura ab eis de his rebus audiendi, quod Indi ascitis socijs Medis in Persidem impetum fecissent. Itaque eos se cùm victor redisset, studiosius auditurum esse dixit. Iudas contrà confirmabat consentaneum

esse

esse iam in animo ipsius notitiam aliquā illius imprimi, cuius ope & auxilio vel victoriam obtineret, vel certè eos qui defecissent, pacatissimos redderet. Quæ Iudæ oratio fecit, vt Varadæ duci veniret in mentē q̃ dij respondissent: Itaque eos rogauit, vt quoniā dij patrij nihil illis præsentibus respondere ausi essent, ipsi quem belli euentum & exitum habituros esset, prædicerent. Simon seac fratrē illis pristinam facultatē respondendi dare dixerūt, quò facilius eorum errorem quos futura prædicere putaret, coarguere posset. Cumque ille vnum hoc se optare, vt loquerentur, dixisset, apostoli eis potestatem Christi nomine fecerunt. Illi autem graue ac diuturnum bellum futurum esse dixerūt, & ex vtraq; parte magnum militum numerum interfectū iri. Quæ illorum oratio risum Apostolis mouit tantum, vt Varada eos accusarit q̃ in tanto metu suo ipsi tamen riderēt. Apostoli metum illius depulsum esse dixerunt, quòd secum in eam prouinciam pacem inuexissent. Itaque si eo die longius minimè proiederetur, postridie eos quos præmisisset redituros esse cum Indorum legatis, qui & loca capta redderent, & ad conditiones pacis quas vellet, Indos descēsuros nunciarent.

Pontifices eodem modo in risum soluti ducem admonuerunt, vt ne ignotorum & externorum hominum plus apud eum, quàm deorum valeret auctoritas. Illos enim fallendo loqui aliquid ne speculatores esse videantur, & illum bono esse animo iubere, vt dum minus cautus esset, posset nec opinato circunueniri, & opprimi. Deos autem veros esse, dedisseque responsum eiusmodi quod ipsum admoneret vt prouideret. Simon externos, ignotos & egentes se ac fratrẽ fateri: sed tamẽ cùm ipsi non mensem vnũ expectandum esse censuerint. verùm vnum diem, eumque posterum quo euentura ea essent quæ ipsi prædixissent, non id longũ aut molestum videri debere. Põtifices tum furere, ac dicere. Quid? inter aureas & gemmis distinctas vestes, inter purpuram & auro textas tunicas, deos patrios mentiri posse? quamprimum eam deorum iniuriam omni supplicio vindicari oportere. Varada cùm hoc mirum videri dixisset, quòd externi & ignoti homines tam constanter asseuerarẽt, quod ab oraculis deorum discreparet, illique eum hortarentur, vt Apostolos in custodiam traderet, ne fugerent. At vero, inquit non ij solùm, sed vos etiam in custodia eritis, vt re-

vt rerum exitus doceat, vtrorum testimonium sit verius. Tum videbitur, vtri honoribus merito affici. vtri supplicijs debeant. Postero die hora tertia ea omnia acciderũt quæ Apostoli prædixerant. Itaque dux ignem excitari iussit, in quem viui pontifices conijcerentur: quòd cùm Apostolis nunciatum esset, se ad illius pedes miserunt, ab eo petentes ne id faceret, ne ipsi qui salutis hominum causa venissent, vt mortuos ab inferis excitarent, viuos occidere viderentur. Mirari se tum dixit dux, quod pro illis precatores accederent, qui nihil aliud egissent per præfectos & tribunos pretio etiam adiecto, nisi vt ipsi viui exurerentur. Apostoli autem cùm disciplinæ nostræ instituta postulare dicerent, vt non solùm malum pro malo non referrent, sed etiam bonũ pro malo, hoc ille ab eis contendit, vt vel hoc paterentur, omnes eorum facultates sibi tribui. Tum censa sunt bona omnium, quorum quisq; quoque mense de fisco libram vnam capiebat, cùm centum viginti pontifices templorum essent præter eum, qui principatum obtinebat, cui quadruplum pendebatur. Adduxit posteà dux ad regem Apostolos, eosq; Deos esse dixit, specie ac figura hominum, eiq; exposuit ea omnia

quæ accidissent, victoriam pōtificum insaniam eorum in pontifices misericordiā & charitatem singularē, quanta in eis esset diuitiarum despiciētia & cōtemptio, quòd cùm facultates pontificum eis vellet tradere, ipsi sibi quidquā possidere in terra nefas dicerent: esse enim eorū possessionem æternam in cælo, vbi regnaret immortalitas. Itaque eos dicere se non posse vllatione aurū accipere, vel argentum, vel domos, vel pdia, vel seruos, vel ancillas, quippe cum hæc omnia terrena sint & moriētem hominem non sequantur. Hoc etiam addidit, cùm eos admoneret, vt vel pauxillum acciperent quòd essent exteri & egētes, se egentes esse negasse, quòd diuitias cælestes haberent. Quinetiam eos ipsi hoc consilij dedisse exposuit, si cēsum sibi saluti esse vellet, erogaret debilibus, largiretur viduis & pupillis, conferret in egētes & ægros, multaque alia quæ ab eis didicerat, regi exposuit. Interea Zaroēs & Arphaxatius magi, de quib. initio multa dixi, quia adetant cùm hæc Varada de Apostolis regi narraret, coniurasse eos cōtra Deum & regnum illius dixerūt, quod vt verum esse intelligeret, prohiberet eos loqui, nisi antè Deos adorassent. Cumq; Varada Apostolorū patrocinium

suscep-

suscepisset, magisq; diceret vt facerent, si auderent artibus suis, vt deos Babyloniorum adorarent: illi contenderunt ab eo, vt si quid possent experiri vellet, accersiri iuberet homines qui plurimum dicendo possent: tum fore, vt omnino muti redderentur. Placuit conditio, homines accersuntur, qui & copia dicendi, & disputādi acumine præstabāt. Cumq; magi illi (huic aūt spectaculo rex, dux, clarissimiq; Babylonij interfuerunt) primi verba fecissent, repente illi disertissimi homines ita muti effecti sunt, vt ne nutu quidem quod verbis non poterant, significare possent. Quod cùm regi mirum videretur, magi paulò pòstei exponunt, se tam disertis viris illius ita loquendi potestatem facere, vt tamē se ipsi penitus loco mouere non possent. Quò facilius nos, inquit, ex numero deorū esse intelligas. Nec verò hoc vnum se facturos, sed hoc etiam vt iterū illis mouendi se loco facultate ipsorum nutu & voluntate concessa, apertis oculis nihil cernerent: vtrunque horum regis ducisque animis terrorem stuporemque tantum iniecit, vt & ipsi quod contrà dicerent, non haberent, & amici eorū asseuerarent, non esse illorum vim tantam quantam cernerent, cōtemnendam,

ne ipsis idem, quod ijs quos viderent, magorum artibus contingeret. Dux qui Apostolos charos haberet, hæc omnia eis exposuit, quæ cùm audissent, ab eo contenderunt, vt eloquentes illos homines, ad se prius adducerent, quàm ad magos, vt eodem certaminis genere dimicarent. Sic enim perspecturum eum, quàm imbecillia sint vanitatis arma si cum veritate congrediantur. Dux hac apostolorum oratione adductus, viros illos qui summa dicendi facultate præditi erant adit, eisque narrat quanta molestia affectus esset ex ea ignominia & infamia quam superiore certamine suscepissent. Itaq; ex eo tempore nihil aliud à se actum esse, nisi quemadmodum maculam illam obliterare & delere possent. Neq; verò se antè destitisse, quàm excogitarit quod huic malo remedium afferret. Esse enim homines à se inuentos, quorum præceptis instructi, facilè magos vincerent. Gratias illi maximas Varadę cum se ad illius pedes abiecissent, egerunt, eumque rogarunt, vt rem maturare vellet. Producit ille Apostolos, quos cùm illi sordidis vestibus indutos aspexissent, eos ferè contemserunt, ac pro nihilo putarunt. Simon qui hoc ex vultu eorum intelligeret, ferè dixit fieri vt in au-

reis

reis & argenteis thecis res minimi pretij recondātur, cōtraq3 vt in ligneis, pateræ, scyphi, candelabraq; aurea gemmisq3 distincta reponantur. Solere etiam vasa pulcherrima in quibus acetum sit, contemni, dolia verò vini præstantissimi plena, quāquam aspectui ingrata essent, tamen homines odoris & saporis sensu ita afficere vt degustare velint, nec eos de aspectu qui offendit, sed de sapore tantum cogitare. Itaque omnes qui alicuius rei cupiditate ducātur, non magnopere de eo in quo inclusa sit laborare, dūmodo re ipsa pfruantur. Nihil ergo esse quod eos habitus ipsorum seruilis offenderet, cùm intus laterēt ea, quæ facere possent, vt & gloriam & vitam consequerentur sempiternam. Omnes enim homines ijsdem parentibus natos esse, eos cùm à Deo in loco amœno, in quo tantum vitæ nullus morti locuerat, collocati essent, consilio impulsuque angeli, qui hominis felicitati tantæ inuideret, legem quam à Deo acceperant, violasse, ob eamque causam seruos eius effectos esse, cui parere voluissent. Hinc factum esse, vt ex illo tam amœno fortunatoq; loco in hanc terram tanquam in exilium quoddam expulsi sint. Ipsos autem atq3 eorū posteros, quanquā in hoc quasi exi-

exitum missi essent, tamen nō neglectos esse à Deo, sed tam charos habitos, vt si Deum effectorem solum colere venerarique velint, nihil eis angelus ille nocere & obesse possit. Egisse tamen hoc inimicum illum angelum, vt homo à conditore suo descisscens, idola coleret, elementa adoraret, lignumq; quod ipse dolauerat Deū suum appellaret. Hunc autem errorem illum in hominibus ob eā causam fouere, vt eos imperio suo dominatuq; cohibeat eisq; arbitratu suo abutatur. Itaq; illum fecisse magorum suorum artibus, vt ipsi quandiu voluisset, primum tacerēt, deinde oculorū munere non fungerentur, postremo vt moueri loco nō possent. Quod si idolorum cultum repudiaturos se esse promitterēt & eum qui solus esset DEVS veneraturos atq; adoraturos, fore vt ipsi manus capitibus eorum imponerent, & Christi signū in eorum frōtibus imprimerēt, quibus illi reb, & quasi armis instructi, nisi magos refellerent, ac superarent, falsa omnia & futilia quæ ab ipsis assererētur, crederēt. Omnes tum se ad Apostolorum pedes miserunt, pollicitiq; sunt si impedirent quò minus magi nihil ipsis obesse possent, fore, vt ab idolis discederēt. Apostoli cùm Deū orassent, vt magis quan-

quanta posset ostendere: quemadmodum Zambri & Mambri ostendisset, illosq; qui religionem fidemq; ipsius se accepturos pollicerentur, tanta cõstantia & fortitudine armaret, vt oẽs prepotentẽ eum cognoscerẽt, eos ad regẽ abire permisit. Magi eodem venerunt: qui cum maximè conarẽtur idem quòd anteà facere non potuerunt. Prouocabãt etiam illi, quos pridie vicerant, vt si possent eadẽ agerent, illi cum nihil aliud possent, serpentum ingentem vim excitarunt, Accersendos oẽs Apostolos censent. Ii primo aduentu suo cõgesserũt in pallatia sua serpẽtes, quas, in magos concitarunt, ita tamen, vt morderi illos ab eis tantum sinerent, non morsibus etiam interfici. Itaq; rex cæteriq;ue omnes agebant cum Apostolis, vt serpentũ morsibus eos necari sinerent. Illi vero missos se esse, non vt à vita quenquã in mortem præcipitem darent, sed vt oẽs ad vitam à morte reuocarent. Proinde Christi nomine serpentibus imperarunt, vt veneno q̃ in corpore magorũ effuderant collecto, loca sua repeterent. Iussu autẽ eorum ita abierunt, vt maiorem cruciatum fugendo veneno, quã infundendo, magis sentirent. Liberatos apostoli monuerunt, vt scripturã audirent, quæ diceret, eum qui

alteri

alteri foueam pararet, in eam priorem casurum. Eos quidem ipsis mortem parauisse, se contra Christum rogasse, vt eos à morte seruaret: neq; hoc solum, sed cum id sceleribus eorum deberetur, vt multos annos ex serpentum morsu ac vulneribus laborarent, se tamen impetrasse, vt tertio die pristinam valetudinem recuperarent. Eos fortassis ab impietate discessuros, cùm Dei voluntatem in se experirentur. Sic enim illos triduũ illud ob eam causam excruciari velle. vt eos errorum scelerumq; suorum pœniteret. Ita admonitos domum duci iusserunt. Illi autem triduo illo nec cibum, nec somnum capere potuerunt, sed sensu doloris coacti, nullum finem vociferandi clamandique fecerunt. Iamq; spes salutis omnis propè ademptaerat cùm Apostoli venientes, ita eos allocuti sunt, Deum coacta seruitia respuere, itaq; salui & incolumes ita surgerent, vt si vellent, se à malo ad bonum conuerterent, tenebrisque relictis lucem sequerentur. Illi autem in perfidia errorequeperstantes, quemadmodum Matthæi Apostoli, sic horum conspectum fugerũt, vniuersamq; Persidem peragrantes, omnium qui idola colebant, inuidiam & odium in eos concitarunt. Apostoli regis

alio-

aliorumque rogatu Babyloniæ diu commorati sunt, cùm interea miris operibus editis, curandis morbis omniũ innumerabiles ad Christi religionẽ traduxerunt. Post autẽ peragrata vniuersa Persidea ad vrbem quãdam, Sunirum nomine peruenerunt. In ea magi pontifices admonuerunt, venturos esse duos Hebræos, qui illorum Deos & ipsi contemnerent, & alijs cõtemnendos relinquendosq; censerent, quod si obtinerent. forè vt ipsi sine honore, sine gloria, sine re viuerent. Apostoli cùm eo venissent, à ciue quodam cui nomen Semni erat, quemque primo suo aduentu Christi religione ac fide imbuerãt, hospitio accepti sunt. Quod vt primum pontifices resciuerint, omnes eò cum populo quem concitassent, venerunt. Semniq; imperarunt, vt inimicos Deorũ suorum produceret, ac si cum eis non sacrificaret, Deosq; coleret, se illum ac domum ipsius cũ eis incensuros esse minati sunt. Comprehenduntur Apostoli, & ad templum Solis deducuntur. Illi cum in primo etiam templi aditu essent, dæmones per eos homines in quibus erant, clamare cœperunt, quid eis cum ipsis rei esset, cùm Apostolos Dei viui eos appellassent se enim aduentu eorum exuri, Erat in ea

templi

templi parte quæ ad orientem, pertinebat, cuius fusilis ex auro, in quo sol cum radijs fusilis ex auro erat collocatus. Ex altera parte stabat Luna fusilis ex argento, cum curru boum fusili ex argento. Eos vt colerent Apostoli pontifices cum magis duobus quos fugisse dixi, & populo cogebant. Interea à Apostoli inter se Hebraico sermone colloquebantur: prior Iudas cernere se Iesum dixit, à quo vocarentur. Simon eundem se etiam iamdiu videre dixit, angelũ enim sibi cùm oraret, hoc prædixisse, se vtrumq; emissurum è templo, ac tum denique templũ casurum, cuius ruina illi omnes opprimerentur. Se tamen orasse, ne ita fieret, quòd nonnulli fortasse Deum relictis idolis secuturi essent. Hæc dum illi Hebraico, vt dixi, sermone inter se colloquuntur, angelus eis se ostendit, eisque potestatẽ alteri utrum eligẽdi fecit, vt vel vnus aliquis eorum qui aderant interiret, vel ipsi martyres ad Christum migrarent. Illi Deum se orare respondẽrũt, vt pro sua misericordia eximiaq; bonitate & illis ignosceret, & se ad coronã martyrij perduceret. Hæc cum soli apostoli & vidissent, & audissent, eos pontifices Solem & Lunam colere cogebant. Ipsi verò indicto silentio, Solem & Lunam seruos

Dei

DEI esse scire professi sunt, qui tamen in cælo essent collocati. Itaque eos non sine iniuria, in templo includi, qui s in cælo collucere ab orbe condito constare. Atque vt intelligerent non Solem & Lunam in simulacris inesse, sed dæmonia, ipsi imperaturos se dæmonibus professi sunt, vt ex simulacris exirent, atque ea comminuerent. Hęc inter eos officia diuisa sunt, vt vno eodemq; puncto temporis Simon dæmoni qui in Solis, Iudas ei qui in Lunæ simulacro inclusus erat imperaret. Quod cùm ab eis factum esset, statim duo Aethiopes nigri, nudi, horribilique specie visi sunt ingredi, qui simulacris in frustra concisis, cum magno clamore abierunt. Hoc cùm molestè acerbeque ferrent pontifices, impetu facto Apostolo, interfecerunt. Ea ipsa hora cùm summa esset serenitas, & tranquillitas repente templum illud de cælo tactum tres in partes discissum est, magi autem etiam de cælo tacti sunt, cùm nullam speciem nisi prunarum eorum corpora gererent. Xerxes autem rex non ita multò post de pontificibus supplicium sumpsit, Apostolorum verò corpora Babyloniā transferenda curauit, eisque templum mirè magnificoq; opere exædificauit. Hæc ex

veteri

veteri quodam Cormœriacenæ bibliothecæ volumine descripsi, quæ auctor vacans nomine ex Africani veteris scriptoris libris se exscripsisse confirmat.

BEATI MATHIAE APOSTOLI VITA, IO. ACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriaceno auctore,

MAthias Christi Apostolus, Bethlemitanus ex tribu Iuda originem habuisse dicitur. Is quemadmodum ex libro Lucæ, qui Acta Apostolorũ inscriptus est, intelligi potest. Christum ab initio doctrinæ, ac prædicationis secutus, nunquam ab eo postea discessit: nec tamen vnà cum cæteris ex communi discipulorum numero ad apostolicæ dignitatis arcem elatus est, sed in locum Iudæ qui magistrũ discipulus prodidit ac vendidit, post CHRISTI ascensum successit. Quod quemadmodum euenerit aut factũ sit, quoniam ad eius laudẽ pertinet, non erit alienũ exponere. Cùm Christus Apostolis spectantibus in cælum ascendisset, apostoliq; & alij qui vnà aderant Hierosolymam domum in qua habitabant, redijssent, non ita multò post Petrus Apostolus

stolus surgens, omnes qui circunstabant numero ferè centum & viginti condiscipulos conuenit, his verbis, Scripturam impleri oportere, quam Spiritus sanctus ore Dauidis prædixisset de Iuda, qui dux fuisset eorum, qui IESVM CHRIstum comprehenderant. Eum quidem eundem gradū honoris adeptum esse, quem ipsi consecuti essent, sed præmium scelere dignissimum consecutum esse eiusmodi, vt suspensus medius crepuerit, di ffusis intestinis omnibus, Idque omnibus. Hierosolymitanis ita compertum exploratumque fuisse, vt ager lingua eorum Ager sanguinis nominaretur. Scriptum enim esse in libro Psalmorum. Fiat domicilium eorum desertum, nec sit qui in eo habitet: episcopatumque eius alter accipiat. Proinde in eius locum sufficiendum cooptandumque esse vnum ex ijs, qui semper CHRIstum vnà cum ipsis iam ex eo tempore secuti essent, cùm à Ioanne baptizatus esset, ad eum quò in cælum ascendisset, qui vnà cum eis palam ac publicè CHRISTVM à mortuis exciratum esse testificaretur. Hac Petri oratione cæteri adducti duos constituerunt ac proposuerūt, Iosephum qui Barsabas diceretur, & Mathiam de quo dicimus: orauerunt-

que Deum in commune vt doceret ac patefaceret, vtrum eorum vellet in Iudæ locum succedere. Cumque eis sortes dedissent. Matthias sorte Apostolus delectus est. Nec vero hoc gradu honoris indignũ hoc præstitit. Nam cum in partitione prouinciarum Iudæa è nutu diuino obtigisset, multos partim doctrina partim vita, quam integerrimam ageret, partim miris inusitatisque operibus, quæ in ægrotorum morbis profligandis ederet, ad Christianam religinonem fidemque traduxit. Quod cum Iudæi, quos ad sanam mentem à praua deducere non potuit, acerbè ferrent, eum ad Pontificem pertraxerunt, doctrinamque ac religionem ei vt crimen obijcere cœperunt. Ille magna fiducia præsentique animo fretus, hoc statim respondisse dicitur, ea quæ ipsi vt probra & crimina obiectarent. nõ longam desiderare orationem, Christianum enim esse non criminosum esse, sed gloriosum. Cumque Pontifex ex eo quæsiuisset, si tempus pœnitentiæ daretur, mutaréne consilium vellet? Deus, inquit, prohibeat, ne à veritate quam semel inueni ac secutus sum, aliquãdo quasi trãsfuga deficiam. Tum concitati populi furore Pontifex præter priuatum odium impul-

impulſus, eũ ſententia ſua lapidibus primo obruendum, deinde ſecuri feriẽdum eſſe pronunciauit. Duo autem teſtes quos ſubornauerant, primi in eum lapides iaculati ſunt. Ille verò lapides teſtimonij cauſa vt ſecum ſepelirentur, rogauit: ſic beatus Apoſtolus ad CHRIſtum migrauit VII Kalend. Martij. Eius autem corpus ex Iudæa Romam primũ, deinde Roma Treuiros translatum eſſe dicitur.

INDEX IN ABDIAE ATQVE PERIONII HISTORIAM APOstolicam. ⁂

A

ABban Indus. 272
Abdias ſaluatorem in carne vidit. 1
Abdias apoſtolorum diſcipulus. 2
Abdias paſſioni B. Andreæ interfuit. 118
Abdias ab Apoſtolis Simone & Iuda ordinatus eſt Epiſcopus Babylonis. 219
Abgarus, Chriſti fide imbutus. 270
Abiathar pontifex Iudæorum. 131
Abraham quare credentium pater ſit dictus. 125
Abrahæ fides. 341.
Abſtinentiæ vis, 103
Adam primus homo. 239
Adam de terra virgine formatus. 260. 539
Adimathi cuiuſdam Theſſalonicenſis miraculoſa curatio ab ægritudine vicennali. 73
Adoratio vera nõ ptinet ad idol. 301. 302
Adulteri & adulteræ ſimul lauantium vltio. 92
Aegeates proconſul Lisbij ſucceſſor. 106
Aegeę procõſulis mors miſerabilis. 117. 118
Aeglippus rex baptizatus cũ familia. 239
Aegyptij idololatræ. 348

Aethiopia

Aethiopia ad fidem Christi conuertenda Matthæo apostolo obtigit. 225
Aethiopum forma dæmones. 90. 223
Aethiopum Rex, Regina, filius & filia baptizati. 239. 526
Afflictio discipulorum Christi quando cœperit, 334
Africanus interpres apostolicæ histor. 213
Agnus paschalis Hebræorũ, typicus erat.
Alapa iniusta grauiter vindica. 274 (344
Alemana puer quidam à dæmonio obsessus, vt liberatus. 109
Alexandriæ primus Episcopus B. Marcus. 355
Amor coniugalis quatenus licitus, & Deo gratus. 241
Amor patriæ, animorum vinculum. 274
Amores insani, sed tamen felices. 143
Amoris deperditi exemplum in Callimacho iuuene horrendum. 142. 148
Anizanus prædicatione B. Marci ad Christũ conuersus. 351
Ancharadus insula. 73.
Andreas apost. Chortuum iuuenem ad littus maris eiectum resuscitat. 94. cum socijs ipsius alijs triginta nouem. 96
Andreas apost. prædicat in Achaia 53. 472
Andreas apost. prædicat apud Myrmidones, qui eum ligatis pedibus trahunt per plateas ciuitatis. 55. 473
Andreas apost. ordinat Episcopum. 63

Andreas apost. B. Matthæo oculorũ vsum & è carcere liberationẽ obtinet. 52 472
Andreas feris obiectus, illæsus euasit. 82
biduo suspensus adhuc viuens. 116
Andreas apost. ab Aegea proconsule conijcitur in carcerem. 112. cruci adiudicatur. 114
Andreę apostoli gesta. 52. 99 in Achaia. 56 in Asia. 61. Philippis. 67. 75.
Andreæ sepulcrum manna præbet & oleũ miræ virtutis. 477
Andreæ reliquiæ Constantinopolim translatæ. 477
Andreæ apost. ad crucem exclamatio & desiderium 144. ad populum in cruce exhortatio. 115. ad Dominum deprecatio. 117. 475.
Angelus malus humani generis inimicus. 210
Angelus D. Ioanni in sepulcro Drusianæ apparens. 150
Angeli apparitio, quales pinguntur. 265
Angeli potestas aduersus malos. 60. 266
Angeli Simonis magi non diuini, sed canini. 33
Angelorum fletus 169.
Annuntiatio B. Mariæ virginis. 258. 259
Antiphanis Megarensis dæmoniaci historia. 104
Antymus S. Andreæ discipulus. 88
Aper ferus in B. Andream immissus, nihil nocuit. 82

Apoca-

Apocalypsis in Patmo insula scripta. 136
Apostoli anno 14. post Christi passionem Hierosolymis publicè in templo Christianæ fidei mysteria profitentur. 189
Apostoli Philippi filiæ duæ. 324
Apostoli omnium linguarum periti. 230
Apostolos selegit Christus duodecim simul è numero omnium discipulorum 480. 516.
Apostolorum facultates. 265
Arborem malam fructus malos producere quomodo intelligendum. 158
Arioli & Magi responsa dare nequiuerũt, præsentibus SS. Simone & Iuda Apostolis. 199
Aristodemus Pontifex idolorum, Ephesi à B. Ioanne veneni sumptione & mortuorũ suscitatione conuersus. 174. 506
Arma Christianorum. 248
Astaroth idoli descriptio. 258
Astaroth idolum obmutuit ob præsentiam B. Bartholomæi. 253. 534.
Astyages Polymij Regis frater B. Bartholomæum capite iubet plecti. 267. 268
Astyages contra apostolum durè loquitur. 267. 268
Astyagis, & Pontifitũ eius mors. 269. 545
Atticus & Eugenus B. Ioan. discipuli. 170
Auarorum solicitudo. 168
Aurũ & argẽtũ Christiani cõtemnũt. 260

B.

BAbylonis primus Episcop. Abdiãs. 1
Bacillus itineris S. Iacobi amuletum contra diabolum. 123.484
Baptismatis aquam antè sanctificat. B. Thomas Apostolus. 283
Baptizati etiam paruuli in Perside, docentibus ibi SS. Simone & Iuda. 218
Bartholomæus capite trũcatus. 268.544
Bartholomæi Apostoli res gestæ. 153
eius descriptio 255.535
Bartholomæi corpus in mare proiectum in Liparũ Siciliæ Insulã delatũ est. 545
Beatitudinis felicitas. 283
Beireth idolum de Astaroth rogauit cur obmutuerit. 154
Benedicti panis virtus. 283
Benedictio pro cõseruãda virginitate, 248
Beor Ephigeniæ virginis frater. 252
Blasphemia Pharisæorum in Christũ. 338
Bona vera atque interna. 77
Bonum pro malo reddendum in schola Christi. 120.121.
Bonis reb. bene & male vti cõtingit. 242
Buculus, locus. 353
Byrrhus quidã tumuli B. Ioan. fossor. 182

C.

CAecitas à Diabolo inducta, ope B. Andreæ apostoli restituta. 107.108
Cæco etiam inuito visus à S. Andrea restitutus

stitutus 366
Cælibem vitam elegit B. Thomas, vt in apostolatu totus vocaret Christo. 3165
Caiphas pontifex anno 14. post Christi passionem apostolos ad se cõuocat. 1899
Calceamenti diruptio boni ominis. 3499
Calix cue pingatur in manu Ioannis Euangelistæ. 1766
Calli in genibus ex orationis assiduitate. 193
Callimachus perditè amans Drusianam perimitur, & ab apostolo Ioanne resuscitatur. 142. 1483
Calliopæ mulieris paganę labor in eijciendo partu, eiusq; rei exitus mirabilis. 983
Canes in B. Petrum immisi à Simone mago. 333
Canum specie dæmones apparentes. 644
Capita cur radiata sint sanctorum imaginibus. 1866
Carnalis amor quatenus licitus. 2441
Caro nostra qualiter nobis tractãda. 1466
Castitatis tenacissima fœmina Drusiana 142
Castitatem colentes fœminæ Christianæ ad maritos infideles reuerti nolũt. 2966
Catenæ Diabolorum 2691
Choreæ in sacrificijs Deorum. 3000
Christus à mortuis excitatus, cui primũ apparuerit. 1888

Christus à Pharisæis blasphematur. 338
Chtistus aduentu suo idola & templa destruxit. 349
Christi supplicia recensentur. 309
Christi victoria ac triumphus. 250
Christianum esse, non criminis est, sed gloriæ. 341.602
Christianorum consolatio. 112
Christianorum disciplina, bonum pro malo reddere, &c. 205
Cibus spiritualis ante carnalem sumendus. 243
Claritas mira in ædificatione tēpli. 239
Claudius Cæsar omnes Iudæos Roma excedere iussit. 424
Clemens socius Petri ordinatus ab illo cū simili potestate successor. 27.28.
Clementis laus. 27
Coacta seruitia Deus non accipit. 215
Cogitationes hominum solus Deus nouit. 33
Cōmunicatio inter Ecclesiæ fideles. 182
Conceptus dolosus, partum dolorosum gignit. 98
Confessio peccatorum iam inde ex tempore B. Andreæ apostoli. 94
Coniugium laudat B. Matthæus, sed præfert Deo dicatam virginitatem. 241
Conuersio ad Christum, voluntaria esse debet. 120

Corporis

Corporis Christi consecratio. 249
Cum coronis obuiã procedendi mos. 97
Cratini filius, à dæmone afflictus, ab Andrea liberatus. 60
Craton philosophus à B. Ioanne confutatus. 161
Craton apostolicæ historiæ author. 219
Cratonis philosophi & S. Ioannis apostoli de diuitijs contemnendis sententiæ diuersæ 160. 503
Creaturæ sunt picturæ creatoris. 299
Crucifigi quare dicatur Christus in suis fidelibus. 37. 262
Crucis signaculi virtus. 37. 51. 66. 111. 176.
Crucis in fronte signandæ ipsis moituris consuetudo. 138
Crucis signo se munit B. Andreas. 66. 111
Crucis signo munit se S. Paulus. 51
Crucis signaculũ expetit Rex Indiæ, 282
Crucis signo munit templum Angelus Dei, & homines eodem iubet frontes consignare. 266. 543
Crux ex auro. 46. ijs qui initiarentur. 211. 212.

D.

DAemon adiuratus cogitur stare ante Apostolum. 300
Dæmon cùm desinit lædere, sanasse putatur. 254
Dæmon idolum suum comminuit. 264

Dæmon in arreptitio potentiã B. Andreę fassus. 80.90
Dæmon laqueo quendã strangulans. 75
Dęmon potentiam apostoli agnoscẽs. 283
Dæmon supplex. 256
Dæmon à muliere deijcitur. 283
Dæmon ab apostolo Matthæo angelorũ ministerio vinctus confringit idola, & abscedit. 261. 267
Dæmonia nec sibi, nec alijs prodesse possunt, 98
Dæmonis consiliũ mulieri parturienti. 98
Dæmones ab apostolis male metuentes. 221
Dæmones ab Hermogenes excitati aduersus Iacobum apostolum. 120
Dæmonum aduersus B. Andream clamor 105
Dæmones catenis igneis vincti. 121. 162
Dæmones in Aethiopum specie apparentes. 90. 223. in forma canum. 64
Dæmones quàm formidandi impijs. 120
Dæmonum confessio de sua ipsorum miseria ante tempus. 121. 197
Dæmonum impostura, 254
Damnatorum liber. 326. 329
Dedicatio templi mirabilis per Angelum Domini facta. 266. 543
Demetrius princeps Amaseorum. 560
Deus falsus vt homines illudat. 253

Deo

Deo sponsæ virgines, homini ne nubant. 245
Diabolus fugatus verbo. 264
Diabolus carnem hominis lædit, non animam. 262. 263
Diabolus in speciedraconum adiuratus à B. Matthæo expellitur. 231
Diabolus eiectus in desertum. 267. vbiq; insidiatur. 101
Diaboli iram timens Hermogenes magus accipit baculum B. Iacobi in sui munimentum. 125. 484
Diaboli hypotyposis 266
Diaboli inuidia vnde sit. 210
Diaboli vaframentum. 261
Diaboli catenis religati. 262
Diaconus ordinatus Rex Indiæ à D. Thoma. 278
Diana obstetricantium præses. 98
Dianæ templum Ephesi B. Ioannes subruit. 174
Didymus cur dictus B. Thomas apostolus 270
Dimidio regni sui rex vxorem à B. Matthęo apostolo licitans. 240
Discedentium benedictiones super manẽtes. 286
Diuitias neglexit B. Thomas. 317
Diuitiarũ quàm fluxa sit gloria, & spes. 164. 165

Diuitiarum contemnēdarum ratio recta. 161. 503
Diuitiarum amor damnabilis in duobus Ephesijs: & contra hos S. Ioannis grauissima oratio. 163
Diuitis epulonis exitus. 165
Diuitiæ terrenæ à salute remorantur. 317
Doctrinæ malæ ac perniciosæ sparsæ correctio vt sit facienda. 124
Draconis ex inopinato emergentis mirũ. 323.
Dracones duo pessimi à B. Matthæo eiecti. 231
Drusiana resuscitata à B. Ioāne. 156. 503
Drusiana resuscitat mortuum. 157
Drusianæ mulieris nobilis castitas. 142
Duodecim millia gentilium vnā die à B. Ioanne conuersa. 174

E.

ECclesiæ in Persidæ extructæ. 219
Ecclesiarum ædificatio à tempore Ioannis apostoli 180. vide Templum.
Ecclesias multas constituerunt SS. Simon & Iudas in Babylonia. 216
Edicta imperatorũ, edictis Christi postponenda fidelibus. 135
Epidama, Maximillæ proconsulis Aegeatæ vxoris ancilla. 106
Ephigenia virgo 239. 250. Deo dicata, ab Hirtaco in Coniugem expetitur: sed

B. Mat.

B. Matthæo concionante virgo perseuerat. 240.527
Ephigenia ab incendio Hirtaci liberata cum suis. 251,532
Ephigenia Aethiopum Regis filia virgo & sponsa Christi, sacrum velamen à B. Matthæo accepit, ducentis & amplius virginibus velatis præposita. 240. 530
Episcopus qualis eligendus sit. 27
Episcopi per castella & ciuitates ordinati. 239
Epulæ Solis sumptuosissimæ. 220
Errorum confusio. 197.198
Euangelium, primus conscribit B. Matthæus. 252. ex quibus constet. 185
Euangelium vbi & cur scripserit Ioannes. 518
Euangelij mira virtus. 91.102
Eucharistiæ diuisio. 311
Eucharistiam Christi sumendam Iudæis suadent apostoli. 190
Eucharistiam sumit, alijsque distribuit D. Thomas. 310.311
Eunuchus Aethiopicus à S. Philippo baptizatus excipit. B Matthæum. 227. 517.
Euphenissa regina Aethiopum. 237
Euphranon puer à mortuis excitatus. 238

Euphro-

Euphrosinus Diaconus incesti insimulatus, infantis sermone innocens declaratur. 216
Eutropius Abdiæ discipulus. 2
Eutychus adolescens de morte suscitatus. 44

F.

Fides nos Deo conciliat. 126
Figere homines soliti magi. 226
Filiæ B. Philippi apostoli duæ 324. iuxta patrem sepultæ. 325
Filius paterna crimina confiteri compellitur à dæmone. 251
Finis vitæ semper nobis proponendus. 146
Flagellorum terniones septem. 114
Flumina paradisi. 234
Fœminæ castissimæ ac pijssimæ exemplum. 143
Forma mulietis, occasio sceleris. 143
Fortunatus quidam pessimi sceleris procurator: 151. vsque ad 159.

G.

Gabini, quæ & Giscala, Galilæę ciuitas. 335
Gemmarum fragmenta in pristinum statum coalita. 162
Gentes etiam vocibus prophetarum credunt. 130
Gundaforus Indiæ rex. 272

Hebrio

H.

HEbionitarum hæresis. 324
Hæretici Christi gloriæ detrectantes. 198
Hermogenes Magus & Philetus B. Iacobi Zebedæi aduersarij ab Apostolo conuersi. 119.481
Herodes Archelai filius. 131
Historia apostolica vt sit conscripta. 2
Homicida nō omnis malè agit. 243.244
Homo liberatur à Dæmone. 256
Hyrtacus Exadelphus Aethiopiæ rex. 240.252
Hyrtaci horrendus exitus. 251

I.

Iacobus Alphæi Hierosolymis prædicat Iudæis post Christi adscensum. 189
Ibidem Episcopatu fungitur. 191.396
S. Iacobus Alphæi ab vtero matris suæ sanctus. 193
Iacobus Alphæi cur iusti cognomen sortitus. 192
Iacobus de pinna præcipitatur, lapidibus obrutus occiditur. 194
Iacobus Alphæi cibum capere noluit, donec Christum resurrexisse vidisset. 188
Iacobus Zebedæi Iudæam & Samariam in diuisione orbis sortitus. 119.489.
Iacobus Zebedæi cōprehensus enarrat vaticinia Prophetarū de Christo. 124.486

Iacobi

Iacobi Zebedæi supplicium. 489
Idola in Aethiopia destructa. 240
Idololatricum templum in Sennair cælitùs ictum trifariam rumpitur. 224
Ieiunium septem dierum indicit D. Thomas baptizandis. 282
Ieiunij efficacia. 103.179. opus satisfactionis pro peccatis. 103.179.501
ad Imaginem suam Deum nos fecisse, quid sit. 159
Incarnationis Christi occasio. 235.259
Incendium miraculosè extinctum. 70
Incestus punitio. 58.59
Incesta coniugia vetita. 68
Incredulitas infideles perdet. 130
India triplex. 253
Indiam sortitus est B. Thomas. 271
Inferni descriptio. 170
Innocentes soluerunt Apostoli, nocentes non prodiderunt. 217
Inuidia diaboli vnde nata. 234
Ioannes vbi & cur scripserit Euãgelium. 511
Ioannes Christo præcipuè charus. 492
Cerinthi hæretici præsentia fugit, 511
Ioannes Ephesi Episcopus. 135
In Pathmos relegatur. 512
B. Ioannes raptus ad templum Dianæ Ephesianæ, multa millia hominum convertit. 173

Ioan-

Ioannes Romæ in dolium feruentis olei immissus exijt illæsus. 501
Ioannis Apostoli gesta sacris litreris comprehensa. 491
Ioannis ex hoc seculo, migratio, eiusque ad populum exhortatio, & precatio, ad Deum. 180.512
Ioanni Asia obtigit. 499
Ioseph iustus cognomine, sponsus Mariæ virginis. 188
Iosias vnus ex scribis Pharisæorum à S. Iacobo, conuersus baptizatur, & cum apostolo capite plectitur. 131.489
Iræ Dei & iræ hominis diuersus finis. 246
Iudas proditor. 333
Iudæi quàm grauia propter CHRIstum sint passi. 338
Iudæos omnes Claudius Cæsar Roma expulit. 424
Iudicium religionis noluit exercere Gallio proconsul. 425
Iustitiam Dei quærere & regnum eius, quid sit. 15

L.

LAc pro sanguine manans. 51
Læsio Diaboli. 262.268
Lapidandi cõsuetudo apud veteres. 346
Lapilli minuti ex littore maris in gemmas conuersi. 164.171.178

Lauari

Lauari simul cum viro mulierem, probrosum, & Deo ingratum. 92
Lecli nuptialis religio. 275
Leontius quidã Sostrati seruus ad Christũ conuersus. 99
Leopardus in B. Andreã immissus. Quirini proconsulis filium suffocat. 82
Libros magicos submergi, nõ incendi voluit B. Iacobus. 123. 485
Linguarum tam diuersarum origo vnde manarit. 228
Linguas omnium gentium perfectè norant apostoli. 230
Lucina Christi famula Paulũ sepelit. 51
Ludi perniciosi tabularum & spectaculorum. 169
Luzanis filius regis idolorũ cultor. 295
Lysbius proconsul apud Patras cõfitetur B. Andreæ omnia peccata. 94
Lysbij proconsulis ad fidem Christi mira conuersio. 90
Lysias & Theocritus Hierosolymorum præfecti hostes Christianorum. 125
Lysimachus S. Andreæ discipulus. 71

M.

Macedones verbum Dei recipiunt. 81
Magia publicis legib? olim vetita. 21
Magus vocatus est Christus à Simone mago. 17. 19
Magi cur hominibus mala inferrent. 227

Magorum

Magorum impoſtura apud reges 236
Male nubens, male etiam pariens. 98
Mali patienter tolerandi. 19
Mammon, Dæmonis nomen eſt. 167
Manazara Luzanis vxor. 307
Manna de ſepulcro B. Ioannis Apoſtoli ſcaturiens. 186.514
Manna è ſepulcro B. Andreæ emanat, prognoſticum fertilitatis ſeu ſterilitatis. 477
Manus impoſitio in baptizando. 132
B. Marcus in Aegypto ſeminat verbum Dei. 347
D, Marcus comprehenſus carceri mancipatur, moxque martyr obdormit. 352
Marci euangeliſtæ vita. 347
Maria Mater Dñi quot annis poſt Chriſti adſcenſionem vixerit in terris. 501
Mariæ Cleophæ filij tres. 187.188
Maritali amori præpoſitus Chriſtus. 292.293
Maritus mortis, diabolus. 268
Martis ſimulaerum eliſum. 324
Mater immorentem filium attentatę ſuæ pudicitiæ accuſans. 57
S. Mathias cooptatur in numerũ ſeptuaginta duorum diſcipulorum, dein & 12. Apoſtolorum Chriſti. 332
B. Mathias vinctus ducitur ad Phariſæos. 336.

B. Mat-

B.Mathias vinctus ducitur ad Pharisæos 336
B,Mathias duos lapides,quibus erat à falsis testibus petitus,sibi consepeliri petijt in testimonium illis. 347.603
B.Mathias nobilis,genere illustris. 336
B.Mathiæ concio ad Pharisæos. 341
condemnatio & supplicium. 346
Mathiæ apostoli vita. 52. afflictio. 54. patria,parentes, educatio, studium. 331
Mathiæ apostoli res gestæ. 326
B.Mathiæ obtigit Iudæa. 334
B. Mathæus dracones Zaroæ & Arfexat ante se mortuos resuscitat, & abscedere iubet. 230.520
S.Mathæus Zaroę & Arfexat Magorum, in Aethiopia pro Dijs se vendicantiū, præstigias detexit. 226, 516
Matthæus primus Hebraicè scripsit Euangelium. 252
B.Matthæus iuxta altare, vbi missæ celebrauerat mysteria,confossus. 249
S.Matthæo Aethiopia obtigit. 225. 516
Maximillæ pietas. 117
Mendacium nonnunquam bonum sit ex causa. 243
Mesdeus rex in India conuersus. 320
Mesdei regis coniunx cum filio à Mygdonia cōuersi,qui omnes secludūtur. 295

Miraculũ aquæ diuinitus prorũpẽs. 250
Misericordia misericordiam promeretur.
Missæ sacrificiũ obtulit D. Petrus. 20. (75
Missæ mysteria celebrat B. Matthæus. 249.530
Morere, vt viuas. 154
Mors, regina Diabolorum. 262
Mors repentina parentum filium à Christo diuellere. 72.73
Mortis desiderium. 312
Mortuæ concubitum appetens. 148.149
de Mortuo suscitando spõsio inter B. Petrum & Simonem Magum. 26. 30
Mortuus resuscitatus à muliere. 72
Mortuum egressum, quod indignè erat conceptum. 99
Mortuum resuscitat B. Ioannes iuuenem, qui duos ad pœnitentiam cohortatur filios Mammonæ. 169
Mortuũ Euphranonẽ Regis Aethiopum filiũ resuscitat B. Matthæus, quod frustra tentauerãt Zaroës & Atfexat Magi. 236. & deinceps. 524
Mali Deus in rubo apparens. 348
Mulier virum propter Christum relinquens. 90
Munera respuit B. Bartholom. 257.537
Mygdonia conuersa à B. Thoma. 288
Mygdonia frustrà tentatur pro abdicando Christianismo. 294

Mydo-

Mygdonia vxoris Charisij regis pænitentia. 287
Mygdonia conuertit nutricem suā. 293
Myrmydon vrbs a Matthæo verbum prędicationis accipit. 53
Myrmidones ad prædicationem & orationem S. Andreæ conuertuntur. 55
Mysteriorum Dei celebratio, eiusq; tempus. 180

N.

NAddauer ciuitas magna in Aethiopia. 226
Nardua nutrix Mygdoniæ ad Christum conuersa. 293
Natura communis nihil delinquit 152
Naturæ bona omnibus communia 168
Naufragi cuiusdam extincti, ac deinde resuscitati, mira narratio. 94
Nebionitarum hæresin extirpat Hierapoli S. Philippus. 324
Nero à Simone Mago deceptus adnersari cœpit Apostolis Petro & Paulo. 28
Nero pincernæ suo Patroclo Christiano facto colaphum infregit. 464
Nero Christianos omnes viuos exuri iussit. 465
Nicæensis epis. à B. Andrea institutus. 63
Nomen Domini assiduè contra insidias diaboli inuocandum. 101
Nub. ntium benedictio. 275

Nudus

Nudus quidam Christum prædicans. 105
Nudi in muudum progredimur, nudi in terram reuertimur. 168
Nuptiæ an omnes bonæ sint. 244
Nuptiæ in castitatē perpetuam versæ. 276
Nuptiæ regiæ solennes. 273
Nuptias ter appetiuit B. Ioannes, tamen virgo est mortuus. 184. (67
Nuptias cognatorum impedit S. Andreas.
Nutricis amor erga alumnam. 92

O.

ODij magnitudo declaratur. 339
Oleum miræ virtutis è sepulchro B. Andreæ manans. 478
Opera nostra quatenus bona aut mala sint. 77
Operis nostri limites Deus non arctè circumscripsit. 243
Orat. S. Petrus cum Simone Mago congressurus. 14. (87
Oratio B. Andreę pro populo à se cōuerso.
Oratio B. Thomæ ante mortem fiducia plena. 316
Orationis perseuerantia. 255
Orationis genus in epistolis Pauli vehemens. 468
Orationibus assiduis callum in genibus obduxit S. Iacobus Alphæi. 193
Orauit flexis genibus centies interdiu. totiesq; noctu S. Bartholom. 255.535

Orante B. Andrea locus contremuit. & lumine resplenduit. 54.472.
Ordinat presbyteros, Diaconos & Episcopum S. Philippus in Scythia. 324
Ordinat S. Matthæus Episcopos, Presbyteros & Diaconos.. 239.526
Ordinabant SS, Simon & Iudas per ciuitates Presbyteros, Diaconos & Clericos. 216
Ordinauit S. Marcus Episcopos, Presbyros, Diaconos, aliosque Ecclesiæ ministros. 351
Osculandi mos inuicem in degressu. 87
Ostium Domini quod sit. 194,195

P.

PAcis osculi, vel iam morituris dandi consuetudo. 132
Palatiũ spirituale & æternum à B. Thoma in India Regi extructũ. 279. & dein.
Palatio commodus locus. 279
Panis aridus & sola aqua victus senis pœnitentis. 104
Panis consecrati mira vis. 34
Papæ potestas qualis sit. 28
Paradisi descriptio. 238. 521
Patientia, prima virtutum, diuinarũ, 177
Patroclus Neronis pincerna mortuus à Paulo resuscitatus. Christianusq; effectus Neronem vrsit. 44.465.
Paulus Neroni suæ doctrinæ reddit rationem. 48.

Pau-

Paulus capite plexus lac pro sanguine fudit. 51. 467
Paulus Longino, Megygsto & Aresto securi feriendus traditus à Nerone. 466
Paulus Romam venit. 28
Paulus Romæ vt plurimum versatus est per duodecim annos. 457
Paulus Apostolus Romæ Christum prædicat eo tempore, quo Petrus. 28
Paulus à Nerone morti adiudicatur. 50
Pauli res gestæ sacris literis comprehensæ. 39. 402
Paulus acrior posteà Christianæ religionis propugnator, quàm antè oppugnator. 404.
Pauli epistolæ dogmatis Christianis refertissimæ. 467
Pauperes non sunt Christiani, qui diuitias cælestes habent. 206. (124
Pecuniæ male acquisitæ. vt expendendæ.
Pecuniarum repositarum solicitudo. 168
Perinthus ciuitas Thraicæ, 66
Periurium nonnunquam in bonum conuertitur. 243
Perseuerantiæ bonum. 103
Persidis regio Simoni, & Iudæ apostolis obuenit. 198, 218
Petrus Tripolim veniens curat dæmoniacos & infirmos. 22
Petrus Antiochiã veniens quid egerit. 23. & dein.

Petrus curat omnes ægros & energumenos, ex proximis ciuitatibus Hierosolymam allatos. 9.388
Petrus captus mox crucifigitur. 36
Petrus Pontifex Romanus per quinque & viginti annos. 296
Petrus venit Romam sub Claudio Imperatore. 397
Petri præsentia dæmones effugauit, & dæmoniacæ vincula disrupit. 26
Petri gesta, de quibus sacræ literæ commemorant. 4.367.& dein.
Petro efflagitante populo, Roma ne comprehenderetur, excessuro apparet & loquitur Christus. 35.36.401
Phanatici Gentilium, vani. 201
Pharisæorum cõtumeliæ in Christũ. 338
Pharisæorũ odiũ aduersus B. Iacobũ. 195
Phasæ Hebræorum mysticum erat. 344
Philippi apostoli res gestæ. 321
Philippi quo tẽpore ad fidem conuersi. 76
Philippi apostoli obitus, 325
Philetus magus ab Hermogene ad Iacobum apostolum deficit. 119
Philopater naufragio submersus, vitæ redditus. 96
Pictura præstantior non est in eo cuius est pictura. 299
Pœnitentiæ vis, & eiusdem ratio in primitiua Ecclesia cuiusmodi. 171

Pæni-

Pænitentiæ fructus dignos præscribit Hermogeni Mago B. Iacob. Zebed 124 495
Polymius prouinciæ cuiusdam in India Rex cũ omnib. suis & duodecim ciuitatatum incolis baptizatur. 267. 543
Polymius rex ab apostolo Bartholomæo in Episcopum ordinatus. 269
Polymij regis Aethiopum filiam lunaticam curat B. Bartholomæus. 256. 536
Polymij regis ad apost. deprecatio. 256
Pontifices lxx. idolorum ditissimi 220. à Xerxe confiscari. 225
Pontificum Babyloniorum diuitiæ. 205
Pontificum idololatrarum in Senair annuus prouentus. 220
Potestas ligandi & soluendi ab vno in alium transferri potest. 28
Præcipitium vbi. 297
Præsentia apostoli potestatem dæmonis cohibet. 204
Præstigiæ magorum. 226
Præuaricatio hominis, 234 235
Preces sanctorum quatenus nos iuuent 102. 103,
Prophetarum vaticinia de Christo. 126
Pseustius quidam dæmoniacus liberatus
Prudentiæ vis. 140. (256
Pudicitia lupanari inclusa, defensa ab angelo. 91
Puellæ dæmoniacæ mira fortitudo. 62

Puer quidã Alemana dęmonio liberatus.
Puer vnius diei pfectè loquens. 216. (109

Q.

QVadrigæ fusiles ex argento. 221
Quirinus proconsul aduersus B. Andream concitatur. 79

R.

RAdicis totum est vitium quod in fructibus peccatur. 158
Radiorum velut solarium supra capita sanctorum pingendorum origo. 186
Religio Christiana viget in Aethiopia 252
Religionis iudicium exercere noluit Gallio Achaiæ proconsul. 425
Reliquiæ sacrosanctę Andreæ, Lucę ac Timothei Constantinop. translatæ. 477
Reliquiæ sanctorũ ab angelis protegunt. 154
Reliquiarũ sacrarũ veneratio & vis. 320
Resurrectio templũ, mira celeritate constructum, 219
Resuscitatus ad vitam ingratus. 158.160

S.

SAcra ad defunctorum tumulos. 150
Sacramentorum vsus. 244.(199
Sacrificatores nec apud ethnicos deerant.
Sacrificio cur sibi peccant diaboli. 263
Samaritani ad Christum conuersi. 9
Sanare dicitur dæmon, cum læderecessat. 254.261.263.

Sancta

Sancta sanctorum non cuiuis ingredi licitum. 193
Sancti nõ semper immunes à casibus. 14
Sanctorum & iustorum prærogatiuæ. 193
Sanctorum preces quatenus nos iuuent. 102. 103.
Sanguinis proprij effusione vltronea sacrificantes. 199
Sanitas post annos viginti ægroto cuidã reddita. 73
Sapor B. Thomæ apostoli auditor. 291
Sarcophagus apostol. ex auro puro. 224
Saulus, qui postea Paulus eruditissimus in lege Moysi, sed duntaxat secundum litteram. 30. (191
Saulus, seditionis aduersus B. Iac. author.
Schalæ virtutum in cælum. 229.
Sceleris procurator qualiter exceptus. 148
Scortatoris cuiusdam insignis & diuturni confessio & pœnitentia. 101. Eidem egrè à Deo B. Andreas veniã obtinuit, & reconciliato satisfactio diuinitus præcipitur. 102. 103
Scythia obtigit sorte B. Philippo. 322
Seditio pecunia excitata. 131
Sennes SS. Simonis & Iudæ discipulus. 221. in Perside hospes martyrio coronatur cum apostolis. 224
Septuagenarius senex nequam, ad Christum conuersus. 101

Sepulchrum sibi suum B. Ioannes apost. effodi iussit. 183
Serpens, castitatis vindex. 149
Serpentem noxium miræ magnitudinis enecat verbo B. Andreas. 83. 84
Serpentem ingressus angelus sua potētia. 234
Serpentes à magis immissos Simon & Iudas apostoli in pallia sua exceptos, in ipsos magos reijciunt. 213
Serpentibus imperantes magi. 226
Siforus presbyter à D. Thoma ordinatus. 319
Siforatus militiæ regis dux. 304
Siforis vxor regis. 304
Simon magus 10.14.16.19 ad cælum volatu contendens, orante D. Petro decidit, & non multò pòst expirat. 34.490
SS. Simon & Iudas confundunt Zaroēn & Arfexat Magos. 206. & dein.
SS. Simon & Iudas in Babylonie à Rege & Duce rogati, mirabilia patrant. 215
Simonis magi discipulus, pœnitens redit ad apost. Petrum. 20
SS Simon & Iudas Regi Babyloniorū per Varardach ducē belli cōmendati. 205
SS Simon & Iudas Varardach duci exercitus Regis Babyloniorum futura prenunciant alia, quàm eius Sacerdotes, & ita eueniunt. 200. & deinceps

Simon,

Simon Magus frustrà nititur resuscitare mortuū quēD. Petrus reuocat ad vitam. 30.398
SS. Simon & Iudas in Perside baptizant vltra sexaginta milia virorum, exceptis fæminis & paruulis. 218
SS. Simon & Iudas in Persidē tendūt. 197
Simonis Magi Petro corā Nerone concertatio de cordis cogitatione alterius reuelanda. 32
Simonis magi vanitates & flagitia detegit Romæ Petrus. 26. & dein.
B. Simonis apostoli vita. 187
Simonis & Iudæ apost. fratrū historia. 197
Simonis Magi cum D. Petro disputatio Cæsariæ. 13. & dein.
Simonis Magi blasphema arrogantia. 17
Simone Mago repulso populus adhæret S. Petro, & conuertitur ad Deum. 19
Solis epulæ solemnes. 220
Solis statua excellentissima. 299
Somnium S. Andreæ de futura passione sua. 85
Sostrates puer à matre ad incestum prouocatus. 57. (229
Spiritus sancti missio, quantæ efficaciæ.
Sponsam vnius alter vsurpās, quàm grauiter peccet. 245.
Stacteus quidam à morte suscitatus. 170
Stipem sani petere non d ent. 24

Stupri violenti vltio. 91
Suanyr. amplissima ciuitas Persidis septuaginta habuit templorum pontifices idololatras. 220
Sudarium miræ virtutis. 120

T.

TAddæus, idem & Iudas, & Zelotes. 197
Tempestas subito exorta pro defensione reliquiarum B. Marci euangelistæ. 354
Templa in Aethiopia extructa. 239. 526
Templa construuntur in Scythia. 324
Templi ædificandi mira celeritas. 239
Templorum sanctis dedicandorum origo. 179
Templis nomina primum indita. 239. Vide Ecclesia.
Templum Ephesi extructum in nomine S. Ioannis. 179
Terra, virgo. 260
Terræ motus miraculosus in causa infantis. 59 353
Thessalonicæ. 69. Patris Achaiæ ciuitate 88. 106. 474. Corinthi. 98. Megaræ. 105
Tigrides duæ ferocissimæ à SS. Simone & Iuda in verbo Domini mansuefactæ. 217
Timothæus Episcopus Ephesinus à B. Paulo ordinatus. 500
Thomas raptus ad regem Mesdeum torquetur

quetur & carcere recluditur. 291
Thomas ingentem pecuniam à Rege Indiæ acceptam, qua extrueret palatium, in pauperes distribuit. 278
Thomas Indiam ingredi detrectãs à Domino confirmatur. 271
Thomas ex magno amore ad credendum tardus. 547
Thomas à tormentis Regis Indici liberatur. 298
Thomas in Regijs nuptijs in India sponso & sponsæ benedicit: qui mox fiunt Christiani. 273. & deinceps. 551
Thomas principis cuiusdam Regis Mesdei sanat vxorem & filiam dæmoniacas. 285
Thoma è carcere egresso, iterumque ingresso, ostia ijsdem signis obserata spectantur. 313
Thomæ Apostoli res gestæ. 270.
supplicium. 314.318
Trahite bubalum ad loca buculi, 352,353
Trinitatis professio, & proprietates personarum, 264.265
Triste quid sit. 70
Trophima seruat castitatẽ in lupanari. 1
Trophimæ impudicæ fœminæ, conuersio. 90
Tunica miræ efficaciæ, 178

V.

Varadach

Varardach dux exercitus Xerxis Regis. 198.199
Vaticanus sepulturæ B. Petri locus. 38
Venenum bibit B. Ioannes, nec nocet. 175.506.
Venenibibendi sponsio. 175
Verbum Domini ex S. Andrea certatim & cum desiderio audiuere. 87
Vestes pauculæ homini sufficiunt. 167
Vestimentorum mira duratio. 255
Vestis B. Ioannis miræ efficaciæ. 136. 178
Vestitus vilis & diuitis collatio. 209
Vincùla magica per D. Iacobum apost. soluta. 120
Vindicta non expectanda Christiano. 121. 149
Vipera S. Paulo nihil nocens. 45
Virgæ fascium ligneorum in aureas virgas conuersæ. 164.171.173.
Virgines Deo sponsæ ne nubāt. 245.247
Virgines sacræ duæ filiæ S. Philip 324.325
Virginum Deo consecrandarū ritus. 247
Virginitas virtutum Regina. 552
Virginitatis cultores fiunt Regis Indici filia & maritus nuptiali cōuiuio celebrato. 276
Virginitatis votum prima omnium virgo Maria Deo obtulit. 258
Virginitati seruandæ apta & efficax oratio B. Matthæi. 247

Vir-

Virginitat-m qui Deo dicauit, ei damnabile est coniugium. 245
Virginibus vela imposita à B. Matthæo apostolo. 240,247
Virgo obijt B. Ioannes, à nuptijs abstractsu. 183
Vir ab vxore derelictus propter Euangelium. 90.142.296
Vitæ humanæ solicitudines. 145
Vltio ab alio in alium translata. 89
Vltio diuina horribilis. 224
Vltio diuina sequitur quendam B. Thomæ alapam impingentem. 275.551
Vsus rerum bonus & malus vt discernatur. 224
Vualdath idolum dissilijt. 268
Vuarus quidam à mortuis per B. Andream excitatus. 96
Vxoria impedimenta à salute remorantia. 316
Vxor viri consortium abnuens vel mortis minis compatiens propter Christũ. 142.143
Vxoris insana licitatio. 240
Vxoris ægritudine maritus sibi mortem consciscere meditans. 106
Vxorem tibi permitterem, nisi meus esses, Christus ad Ioannem. 184

X.

XErxis regis pietas. 224

Zabere

ZAbeiron Græcis armamentorum repositorium. 123
Zaroës & Arfexat magi 197. Deos se credi volentes. 224. à facie apostolorum semper fugerunt. 219. eorũ mors, ibid.
Zaroës & Arfexat Magi blasphemi in Perside. 197
Zaroës & Arfexat Magi suis incantationibus apud regem Babyloniorum SS. Simon & Iudæ detrahentes, ab ijsdem sunt confusi. 206. & deiu.
Zaroës & Arfexat cælitus icti in carbonẽ vertuntur. 224
Zuzanes filius Regis Mesdei Diaconus à B. Thoma ordinatus. 319

FINIS.

Sortiegen Paderb.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2568

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN